THEOLOGIA MYSTICA

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiamystica0002schr

THEOLOGIA MYSTICA

AD USUM

DIRECTORUM ANIMARUM

EX S. SCRIPTURA, CONCILIIS, SS. PATRIBUS, MYSTICIS PRIMARIIS,
AC THEOLOGICIS RATIOCINIIS ADORNATA

auctore Dominico Schram, O.S.B.

TOMUS SECUNDUS ET ULTIMUS

ALMA COLLEGE
247.3
LIBRARY
1Sch69
Alma, California

PARISIIS
APUD H. VRAYET DE SURCY, TYPOGRAPHUM
in viâ vulgo dictâ de Sèvres, 37

1848

44908

APPROBATIO

ILL^mi AC REV^mi DD. CLEMENTIS VILLECOURT, EPISCOPI RUPELLENSIS.

CLEMENS VILLECOURT,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS RUPELLENSIS, SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS, ETC.

Dominus Noster Jesus Christus necessariam salutis viam indicavit his verbis : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Fidei quoque necessitatem expressit dicens : *Qui crediderit..... salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* In his autem ambobus necessariis, nihil aliud designatur, secundùm D. Paulum, nisi *inchoationis Christi sermo : ad perfectiora* enim vocamur : et ideo, apud S. Matthæum, Salvator mundi ab octo Beatitudinibus prædicationem incipit, ut quæ sint optanda perficiendaque a dilectissimis Discipulis suis edoceat. In hoc porrò calcando perfectionis itinere, Duce securo opus est, ne, sub specie veritatis et pietatis, *seducantur corda innocentium* : quod sæpiùs accidit.

Nullus igitur liber ad reserendam Ecclesiasticis viris, et, per eos, Fidelibus, Perfectionis semitam, aptior nobis visus est, quàm THEOLOGIA MYSTICA DOCTORIS

Schram, in favorem optimi Operis denuò editam..... Nihil enim in eâ offendimus quod Catholicum dogma tantisper læderet; imò, omnia docta, sana, et purioribus Fidei fontibus consentanea invenimus, ideoque hancce Theologiam Clero Diœcesis nostræ impensiùs commendamus.

Datum Rupellæ, XIII Kalend. Jan. MDCCCXLIX.

† CLEMENS, Episc. Rupell.

(Loco Sigilli.)

APPROBATIO

ILLmi AC REVmi DD. PETRI LUDOVICI PARISIS, EPISCOPI LINGONENSIS.

PETRUS LUDOVICUS PARISIS,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS LINGONENSIS.

Ipsorum est regnum Dei, pax et gaudium in Spiritu sancto, qui inveniuntur vigilantes et diligentes in Ejus servitio, cui servire regnare est. Qui verò Deo servit et manet in charitate, altissimam tenet scientiam, scientiam videlicet Sanctorum, doctrinam veritatis, quâ veraciter illuminatus progreditur de virtute in virtutem.

Porrò ad hanc præstantiorem doctrinam, juvante Deo, adipiscendam, nobis apprimè adaptatum visum est Opus cui titulus : *Theologia mystica ad usum Directorum animarum, ex S. Scripturâ, Conciliis, SS. Patribus, mysticis primariis, ac theologicis ratiociniis adornata.* Quod quidem lucidâ methodo omnes qui piè vivere volunt in Christo, ad Ipsum qui via, veritas et vita est, per varios ascensionum gradus quasi manuducit.

Quapropter hoc eximium Opus omni nostro Clero impensiùs in Domino commendamus, utpote salutari

pereffluens doctrinâ, quâ perfundantur Sacerdotes quamplurimùm præstat, ut faciliùs suî copiosiùsque animarum sibi concreditarum adoperari valeant salutem.

Datum Parisiis, in Festo S. Raymundi de Pegnafort, die vigesimâ tertiâ Januarii, anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo nono.

† PETRUS LUDOVICUS, Episc. Lingon.

(loco sigilli.)

APPROBATIO

Illmi ac Revmi DD. H. DEN DUBBELDEN, Episcopi Emausensis.

HENRICUS DEN DUBBELDEN,

DEI ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS EMAUSENSIS (IN PART. INFID.), ET VICARIUS APOSTOLICUS BUSCODUCENSIS.

Visis approbationibus egregiis ab illustrissimo Episcopo Lausannensi, Rupellensi ac Lingonensi datis, laudatum Opus cui titulus : *Theologia mystica*, etc. Doctoris Schram, Clero nostro commendare non dubitamus.

Datum in Gestel S. Michaelis, die septimâ Februarii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono.

† H. DEN DUBBELDEN,
Episc. Emaus, Vic Apost. Buscoduc.

(Loco Sigilli.)

APPROBATIO

Illmi ac Revmi DD. CAROLI BELGRADO, Internuntii Apostolici, etc., in Hollandia.

CAROLUS BELGRADO,

vice-superior missionis Hollandiæ, internuntius sanctæ sedis apud regem Hollandiæ, etc., etc., etc.

Vestigiis inhærentes illustrissimi ac reverendissimi DD. Lausannensis ac Genevensis Episcopi, Viri eminentissimi Cardinalis de Bonald, Lugdunensis Archiepiscopi, illustrissimorum ac reverendissimorum Antistitum Rupellensis, Lingonensis, atque Apostolici vicarii Buscoducensis, Opus, cui titulus : *Theologia mystica*, etc. Clero missionis Hollandiæ commendare non prætermittimus.

Datum Hagæ Comitum, die vigesimâ quartâ Februarii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono.

C. BELGRADO,
Internunt. Apostol. et V. Superior miss. Holl.

(Loco Sigilli.)

APPROBATIO

Illmi ac Revmi DD. J. T. LAURENT, Episcopi in Chersoneso.

J. T. LAURENT,

EPISCOPUS IN CHERSONESO (IN PART. INFID.), VICARIUS APOSTOLICUS LUXEMBURGENSIS, ETC.

Petitis annuens Ven. Sacerdotis D. Schwertfeger, Canonici, Parochi in Rolle, Diœcesis Lausannensis et Genevensis, qui Dominici Schram, Benedictini Banthensis Theologiam mysticam de novo typis edere proponit, hisce testamur quòd Opus illud ut optimum teneamus, in suis principiis verè catholicam et in probationibus claram, beneque ordinatam, continens tractationem illius partis Theologicæ disciplinæ, quæ cognoscitur directrix ad ducendas animas in viam perfectionis et consummatio Theologiæ moralis, indeque omni Confessorio pernecessaria. Hujus novæ et accuratissimæ editionis, utilissimâ appendice auctæ, comparationem eò enixiùs Vicariatûs nostri Clero commendamus, quòd lucrum, si quod sit, ab Editore ad sustentationem constitutum sit Ecclesiæ novæ quam ædificavit pro pauperrimâ communitate catholicâ Rolle, in regione hæreticâ.

Datum Aquisgrani, die vigesimâ Martii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono.

† J. T. LAURENT, Episc. in Cherson.
Vicar. Apostol. Luxemburg.

(Loco Sigilli.)

DE MAGISTERIO SPIRITUALI.

CAPUT I.

AN, ET QUALIS PROCURANDUS SIT MAGISTER SPIRITUALIS AB ANIMABUS, QUÆ AD PERFECTIONEM CHRISTIANAM ASPIRANT.

§ 338.

MAGISTER SPIRITUALIS QUIS.

Ne perfectionis christianæ studiosus a rectâ semitâ aberret, *Magistro spirituali*, ceu duce, indiget, cujus officium in hac secundâ parte explicabimus. Uti enim bene observat P. Godinez, in *Prax. Th. Myst.*, l. 8, c. 1 : « Vix decem ex mille animabus, quas Deus ad perfectionem vocat, vocanti respondent, et ex centum, quas vocat Deus ad contemplationem, nonaginta novem deficiunt : quapropter dico, multos esse vocatos, sed valde paucos electos. Et ultra difficultates permagnas, ac insuperabiles fragilitati nostræ quibus negotium istud circumseptum est, una ex causis potissimis est inopia Magistrorum spiritualium (infelices Communitates ubi desunt magistri, vel si adsunt, incogniti sunt, vel nullo habentur pretio), qui post divinam gratiam Naucleri, animas per hoc incognitum mare vitæ spiritualis rectà non ducunt.» Est autem *Magister spiritualis*, ille cui alius, manifestatâ ipsi totâ conscientiâ suâ, se habitualiter dirigendum præbet in viâ perfectionis; quod fieri potest vel Prælato suo, vel alteri particulari, sive intra, sive extra confessionem.

§ 339.

MAGISTER SPIRITUALIS PROCURANDUS EST.

Magister spiritualis ab animabus ad perfectionem aspirantibus omnino *procurandus est*. Probatur 1° ex Scripturâ : *Malach.* II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est. Prov.* II, 14 : *Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem ubi multa consilia. Eccl.* IV, 9 : *Væ soli! quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. Eccl.* XVII, 35 : *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundùm animam tuam, et qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi. Eph.* IV, 11, de Christo dicitur : *Ipse dedit... alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Quæ omnia passim interpretes de necessitate Magistri spiritualis exponunt. Accedunt exempla scripturistica : sic toti populo suo Dominus in viâ per desertum non solùm angelum, sed Moysen in ducem præfecit. *Exod.* III, 10. Sic Samuel, I *Reg.* III, semel et iterum a Domino extraordinariè vocatus, ivit ad Heli sacerdotem, a quo se vocari putabat, et meruit ab illo instrui de eo quod facere debebat, ut loquentem sibi Dominum agnosceret. Sic angelus missus est ut procuraret instructionem eunuchi reginæ Candacis, non tamen per se, sed per Philippum diaconum, *Act.* VIII et X. Pro instructione Cornelii centurionis, angelus ei apparens, eum monuit ut ad se Petrum advocaret, qui hoc munus obiret. Imò Christus ipse, in personâ Saulo apparens, noluit eum instruere per seipsum, sed ad Ananiam pro instructione accipiendâ misit, v. 7. Prob. 2° ex PP. S. Dionysius, *de Eccl. hierarch.*, c. 5, p. 1, ait : « Mos quidem hic est Divinitatis sanctissimus, per prima, secunda et inferiora ad divinissimam lucem suam deducere. » S. Basilius, *Serm. de abdic.* post init., inquit : « Summâ vigilantiâ acerrimâque in omnes partes animi circumspectione

operam dato, ut aliquem tibi virum invenias quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequaris; ejusmodi, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sciat commonstrare.» S. Hieronymus, *Ep.*, IV, Rusticum ad vitam communem potiùs quàm solitariam adhortans, scribit : « Mihi quidem placet, ut habeas Sanctorum contubernium : nec ipse te doceas, et absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit et errori pateas. » S. Augustinus, *Serm.* CXII, *de Temp.*, docet : « Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore rectam viam vix graditur. » S. Gregorius, *L.* 1. *Dialog.*, c. 1, fatetur quidem, nonnullos interiùs sine humanâ disciplinâ doceri, sed subdit : « Quorum tamen libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda : ne dum se quisque similiter S. Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat et magister erroris fiat. » Cassianus, *L.* IV *Inst.*, c. 9, ex communi praxi Monachorum idem probat et, *Collat.* 2, c. 15, concludit : « Unde manifestissimè comprobatur, nulli a Domino viam perfectionis ostendi, qui habens unde valeat erudiri, doctrinam seniorum vel instituta contempserit. » Eadem docent Isidorus Pelusiota, *L.* 1, *Ep.* 260; S. Climacus, *Scal. gr.* 4; Dorotheus, *Serm.* 5, t. 5 *Bibl. noviss. PP.* S. Bernardus, *Serm.* 77, *in Cant.*, considerans sponsam quærentem sponsum et nonnisi post consultos vigiles civitatis invenientem, subdit : « Audiant hoc qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant... Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. » S. Vincentius Ferrerius, *de Vit. spir.*, c. 4, ait : « Imò plus dico, quòd nunquam Christus suam gratiam ministrabit, sine quâ nihil possumus, si homo habet a quo possit instrui et deduci, et negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere et per se posse investigare quæ sunt utilia ad salutem. » Similia habent S. Laurentius Just., *de Obed.*, c. 21, et S. Bonaventura, *in* 6 *Alis seraph.*, c. 1 et 2; et Gerson, *de Distinct. ver. revel.*, *signo* 2, ait : « Quòd homo arrogans et seipsum ducem suî constituens, non indiget dæmone tentante, qui factus est

sibi dæmon. » S. Theresia, *Vit.* c. 23 : « Absque dubio hac in re laborat enixè dæmon in exordio virtutis... Compertum sibi habet, totum remedium animæ positum esse in agendo cum amicis Dei... » Quod ipsum etiam S. Salesius, *in Vit. dev.*, p. 1, c. 4, inculcat. 3° Ratio est : cùm enim humanum non sit, se solo scire omnia quæ ad virtutem et felicitatem, maximè supernaturalem, pertinent; nec humanum sit, de his vel per angelos, vel per ipsum Deum instrui, quod velle temerarium foret, tentare Deum et propiùs passionibus et dæmonis illusionibus se exponere; prudentia jubet, docilem se præbere, ut homo junior qui minùs scit et minùs virtutis habet, per seniorem, sapientiorem et sanctiorem edoceatur, vel per illum qui sibi loco Dei sit; decrevit enim Deus homines per homines doceri, et ideo hierarchiam in suâ Ecclesiâ instituit sub uno capite Romano Pontifice, Episcopis, Parochis etc.; ut scilicet fideles tanquam ejusdem corporis membra, unum per aliud pabulo Sacramentorum et doctrinæ nutrirentur. Vide Joannem de Avila, in *Audi, Filia,* c. 53, 54, 55; Alvarez, *T.* 1 *Vit. spir.*, l. 5, c. 2; Rodericium, *P.* 3 *Exerc. perf., tr.* 7; Rosignolium, L. 1 *Discipl. perf.;* Nigronium, *Tr. de Magistr. spir.;* Gravina, P. 2 *de Discern. revel.*, l. 1, c. 6.

REFERUNTUR ERRORES.

Scholium. Pseudoilluminati, inter alias propositiones ab Inquisitione Hispanâ, an. 1623, damnatas, prop. 11, docuerunt : « Quòd duntaxat sequi quisque debet Spiritûs S. nutum et inspirationem internam, ad aliquid faciendum, aut contrà omittendum, et non aliter, » et prop. 22 : « Quod filiæ confessionis, sequentes sectam illuminatorum, votum emittere teneantur, se non aliis quàm illuminatis confessuras. » Item Michael Molinos inter alios damnatos errores, propos. 66, docuit : « Risu digna est quædam doctrina nova in Ecclesiâ Dei, animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum, et si is idoneus non fuerit per alium ab ipso datum directorem. Dico novam, quia nec Scriptura sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bulla, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixe-

runt, neque dicere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, habetque jus anima, ut eligat quem maluerit. » Similia habentur prop. 68, quæ omnia eò tendunt ut vel spiritus privatus pro regulâ credendi et operandi statuatur, quem sibi solis illuminati arrogabant; et præterea illo juris axiomate : « Ecclesia non judicat de internis, » pessimè abutuntur, utpote quòd solùm de foro externo et judicio legislativo humano coercitivo, non verò de foro interno et judicio directivo, loquitur. Ecclesia enim nobis credenda præcipit, quamvis fides actus sit merè internus.

§ 340.

MAGISTRI DEFECTUM DEUS SUBINDE SUPPLET.

Licèt verò procurandus sit Magister humanus, ordinariè et per se loquendo necessarius, hæc tamen regula exceptionem admittit, quando Deus ex *providentiâ extraordinariâ*, vel in defectu hominis idonei, vel quia singulariter vult benefacere, dignatur aut per seipsum, aut per angelum totum magisterium altiori modo præstare. Non enim aliter Deus legibus suis tenetur quàm reservando sibi jus ad aliud quod sibi placet, vel in defectum, vel miraculosè faciendum. Unde S. Gregorius, *L.* 1 *Dial.*, c. 1, notat : « Sunt nonnulli, qui ita per magisterium spiritûs intrinsecus docentur, ut, etsi eis exteriùs humani magisterii disciplina desit, Magistri intima censura non desit. » Tradit deinde signa ex quibus colligitur, quandonam hi pauci spiritu Dei agantur : « Mens autem, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet et humilitatem; quæ si utraque perfectè in unâ mente conveniunt, liquet quòd de præsentiâ Sancti Spiritûs testimonium ferant. » Pro exemplis adducit S. Joannem Baptistam, a solo Spiritu S. edoctum in deserto ; Moysen ab angelo in eremo instructum, et S. Honoratum abbatem, de quo ibi loquitur, solius Spiritûs S. discipulum. Addit S. Franciscus Salesius, *L.* 8 *de Amore Dei*, c. 12, S. Paulum eremitam, S. Antonium M., S. Mariam Ægyptiacam, qui a solo Spiritu S. eruditi et impulsi ex amore Dei, omnia supplente, non

modò sine hominis directione, sed etiam sine auditione Missæ, confessione et communione, per totam vitam aut plures annos, sancti evaserunt. Sicuti etia mB. Catharina Januensis, per 25 circiter annos suæ primæ sanctæ vitæ et mox ad tempus in majorem ipsius probationem, Confessario directore caruit. *Vit.*, c. 42 et 49.

QUOD TAMEN RARÒ FIT.

Scholium. Dicta modò exceptio non obest, quominus regula generalis data in sensu morali vera et tenenda sit; id quod in omissione auditionis missæ, confessionis et communionis clarè patet; de quibus S. Salesius notat has raras exceptiones inspirationes esse magis admirandas quàm imitandas.

§ 341.

MAGISTER JUNIORIBUS NECESSARIUS EST.

Proinde ordinariè *necessarium* est prædictum hominis *magisterium* pro junioribus præsertim et incipientibus. Ita docet 1° S. Bernardus, *Serm.* 3, *in Ps. Qui habitat*, dicens : « Obsecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni et mali; nolite sequi cordis vestri judicium... humiliamini sub potenti manu Dei pastoris vestri, et acquiescite eorum consiliis qui meliùs nôrunt venatoris illius versutias, edocti diuturno longi temporis exercitio et crebris experimentis, tam in se, quàm in multis. » S. Bonaventura, *de* 6 *Alis Seraph.*, c. 1, inquit : « Incipientes indigent Magistro ut doceantur quæ ignorant; scilicet saluti suæ et profectui necessaria et utilia, quid vitare debeant, quid sapere, quid facere, quid sperare, quid timere et inter minùs vel magis bona aut mala discernere, dicente Apostolo, *Hebr.* v, 12 : *Indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa sermonum Dei*, item ut exerceantur in operibus virtutum, quia non sufficit scire bonum, nisi etiam opere exerceatur..... et quia

imperfecti segniter se in virtutum exercitiis exercere solent, expedit ut ab alio ad hoc aliquando compellantur. » Et S. Laurentius Justin., *de Cast. Connub.*, c. 3, ait : « Insidiatur callidè prosperis incipientium successibus commentor malorum diabolus, nunc suadendo blandè, nunc asperè comminando : ideo ducatu indigent alieno, ne resiliant territi, aut cadant seducti : absque experimento autem quis immundorum spirituum evadet laqueos? Quis verò sine præceptoris magisterio valet esse expertus? » Et ratio est, quia præsumptio stulta foret, sine Magistro scientiam salutis addiscere, sicuti sine ludimagistro litteras noscere, aut exarare, quas aliquis nescit; sine ductore peragere iter, quod ignorat; sine duce prælio se committere inscium rei militaris, et sine medico velle sanari.

§ 342.

ETIAM PERFECTI MAGISTRO INDIGENT.

Etiam pro *senioribus, proficientibus et perfectis* communiter alicujus *magisterium*, pro accipiendo sano consilio, plus minusve, pro modo spirituum est *necessarium*. Indicat hoc 1° S. Scriptura, *Is.* v, 21 : *Væ! qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Et *Rom.* xii, 16 : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Quod S. Chrysostomus, *Hom.* 22, exponit : « Hoc est, ne putetis vos sufficere vobis ipsis !..... Unde et ita nos Deus constituit ut alter alterius operâ indigeat : ut enim prudens sit, altero tamen opus habet... fit enim sæpe numero; fit, inquam, uti ex exemplo Moysis consilium Jethro sequentis probatur, ut prudens quod oportebat non videat, et stultior aliquid eorum quæ conveniunt inveniat. » Id quod S. Augustinus suo exemplo ostendit, scribens, *Ep.* 75, ad Auxilium : « En adsum, senex a juvene Episcopo, et Episcopus tot annorum a collegâ necdum Anniculo paratus sum discere. » Idem 2° docet S. Thomas, 2, 2, q. 49, a. 3, dicens : « Etiam ipsos majores oportet dociles quantùm ad aliqua esse :

quia nullus in his quæ subsunt prudentiæ, sibi quantùm ad omnia sufficit. » Et S. Bonaventura, *de 6 Alis seraph.*, c. 2, ait : « Qui aliis præsunt, ut meliùs et cautiùs agant, necesse habent aliis subesse a quibus regantur, usque ad summum omnium Pontificem. » Unde etiam Eugenius III S. Bernardo se subjiciebat, uti patet ex libris *de Consider.* Et S. Petrus reprehensionem sancti Pauli libenter suscepit. *Gal.* II, 11. Imò ipse Salvator noster pro nostro exemplo inventus est in medio doctorum, audiens et interrogans eos. *Luc.* II, 46. Ratio est 3° Tum quia nullus omnia novit quæ scire refert, et Deus, ad nostram humiliationem et fraternam charitatem fovendam, solet per inferiores scientiâ et virtute subinde illuminare superiores. Tum quia alius magis liber est ab amore proprio et passionibus, ut sanum judicium de rebus alterius ferat. Tum quia in vita præsenti omnes viatores sumus, nec ullus ita profecit ut ad terminum pervenerit, adeoque etiam perfectus sit, qui nonnisi respectivè ad minùs perfectos talis dici potest, adhucdum duce indiget, cùm et ipse difficiliores sæpe anfractus scrupulorum, desolationum, tentationum, aliorumque periculorum inveniat.

NONNULLA NOTANDA.

Schol. Magister spiritualis potest vel esse præcisè talis, vel simul Confessarius, vel simul Superior; ubi notandum est, teneri omnes Superiores ecclesiasticos, præsertim Regulares, providere subditis de magistro spirituali, qui vel sit Superior ipse, vel alius, vel alii ab eo designati, e quibus unum subditi sibi eligant, quia hoc ad pastoralem curam eorum pertinet. 2° Non expedit, ut Confessarius aut magister spiritualis admittat aliquam personam se voto obligare, ut sibi obedientiam præstet : id quod magis absonum foret, si obligaretur ad unum numero Confessarium aut Directorem cum aliorum exclusione. Joannes a Cruce appellat *tyrannum* Confessarium qui licentiam pœnitentibus denegat aliorum etiam Confessariorum consilium petendi. Quare necessarium est ut Confessarius omnimodam libertatem pœnitentibus suis elargiatur. Imò aliquando eos excitare debet ut aliorum consilia expostulent et sic vel dubia

si quæ sint omnino tollantur, vel in susceptâ devotionis methodo fiant firmiores et tutiores, vel saltem illius æquitatem, intentionis rectitudinem videant.

Quod monitum maximè curare debent parochi, qui in locis remotis atque campestribus morantur; non pauci enim suorum Parochianorum erubescunt ipsis graviora peccata aperire; cùmque aliunde non eis sit facilis occasio alium Confessarium inveniendi, ideò parocho confitentur quidem, sed sacrilegè, ea scilicet peccata reticentes. Præstat ergo ut interdum Confessarium ignotum accersant, curent ut ad eum liberè accedant, cautè etiam matribus insinuando ut hac de re omnem filiis suis facultatem faciant. Iste autem Confessarius pœnitentes de quibus justa potest esse suspicio, ut sunt rudes, mulieres, pueri, paternè interroget utrùm anteactæ vitæ scrupulum habeant, eos animando ad omnia aperienda; hac enim agendi ratione solent liberari plures animæ a sacrilegiis. Huic consilio se conformare satagant etiam Communitatum Superiores, sic ut neque nimiâ facilitate latior peccatorum via aperiatur, neque nimiâ difficultate sacrilegiis detur occasio.

§ 343.

MAGISTRO RATIO TOTIUS CONSCIENTIÆ REDDENDA EST.

Magistro huic spirituali *ratio conscientiæ propriæ* sincera, plena et primò quidem de totâ vitâ præteritâ, in posterum autem, in quantum Magistro placuerit, reddenda est. Ita præscribunt 1° PP. S. Basilius, in *Reg. fus.*, c. 26, docet: « Debet unusquisque eorum qui inferiores sunt, si quidem memorabilem ullam facere progressionem studet et ad perfectionem vitæ illius quæ præceptis D. N. Jesu Christi est consentanea, pervenire, cùm nullum animi sui modum apud semetipsum celatum retinere, tùm in sermone nihil non diligenti antea curâ consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum id negotii sit.» Idem docet S. P. Benedictus, *Reg.* 6, 7, dicens : « Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se abconsè commissa per humilem confessionem

Abbati non celaverit suo. » Hortans nos de hac re Scriptura dicit : *Revela Domino viam tuam et spera in eum.* Et item dicit : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et item Propheta : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui : Dixi, pronuntiabo adversùm me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* Cassianus, *L. 4 Instit. et collat.* 2, c. 10 et 11, ait : « Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm, neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit, definitionique confidere. » Item docet S. Dorotheus, *Serm.* 5 ; et S. Laurentius Just., c. 20 *de Obed.;* et ratio est quia Magister tanquam medicus non potest procurare vel roborare discipuli sui sanitatem, nisi totam ejus complexionem bene perspectam habeat.

QUOMODO REDDENDA SIT.

Schol. I. Licèt communiter expediat in ratione conscientiæ reddendâ incipere a confessione generali et eamdem rationem continuare, frequentando confessiones apud eumdem Confessarium, absolutè tamen unum munus ab alio, scilicet confessionem et rationem conscientiæ excipiendi, est distinctum et separabile : nam pro confessione solùm exigitur et sufficit accusatio omnium et singulorum peccatorum, saltem gravium, non verò peccatorum venialium, tentationum, passionum et virtutum manifestatio. Econtra pro ratione conscientiæ reddendâ hæc omnia aperienda sunt, licèt quoad peccata non cum tantâ individualitate, quia hæc conscientiæ manifestatio non ordinatur per se ad medendum plagis peccatorum, uti confessio, sed ad roborandam et perficiendam sanitatem et exercendas vires spiritûs in operibus maximè servitii divini.

QUOMODO SUB SIGILLO A MAGISTRO RETINENDA.

Schol. II. Ratio conscientiæ Magistro maximè in confessione reddita sub sigillo retinenda est etiam quoad virtutes et speciales Dei favores. Hinc P. Reguera, *Prax. Th. myst.*, t. 2, p. 381, n. 51, 52, non omnino approbat, quòd etiam post mortem patefaciat

Confessarius aliquod pœnitentis privilegium, v. g. innocentiæ, virginitatis etc., ex solâ confessione sibi notum; id quod magis periculosum foret, si fiat a Confessario communi in aliquâ Communitate, qui laudando unum, et tacendo de aliis, indirectè ansam præberet de cæteris grave peccatum præsumendi. Proinde consultius esse censet, quando ad majorem Dei gloriam expedit, post obitum singularia aliqua dona alicujus animæ sanctæ manifestare, curandum esse Confessario in vitâ, ut illa ex solâ confessione cognita non habeat, sed vel ex conscientiâ extra confessionem perspecta, vel procurando ut talis persona dictet aut scribat ea ipsa, vel obtinendo ab eâ licentiam ad usum eorum quæ ex solâ confessione scivit, prout in Domino expedierit. Talis est communis praxis, uti constat ex actis et causis canonizationis Sanctorum, in quibus testimonia Confessariorum de conscientiæ puritate et aliis specialibus gratiis non quidem inter necessaria, sed inter utilia, et quæ maximopere conducunt, recensentur, uti probat Benedictus XIV, *de Beatif.*, l. 3, c. 7.

§ 344.

MAGISTER SIT OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTUS.

Porrò Magister spiritualis procurandus est, quantùm fieri potest, *omnibus numeris* absolutus. Probatur 1° ex S. Scripturâ, *Eccli.* VI, 6 : *Consiliarus sit tibi unus de mille. Eccl.* VII, 29 : *Virum de mille unum reperi.* 2° Subscribunt PP. S. Basilius, *Serm. de Abdicat.*, qualitates Magistri procurandi recenset, dicens : « Qui ornatus virtutibus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem... naturâ propensum ad eos edocendos qui ad ipsum accedunt, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. » S. Gregorius Nyss. *L. de Virginit.*, c. 13, ait : « Illud in primis est curandum ut optimum hujus vitæ ducem ac magistrum quærant.»

S. Gregorius M. toto libro pastorali hanc materiam pertractat, et p. 1, c. 1, monet : « Ab imperitis pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magnâ temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum. » Cassianus, *L.* 2 *Inst.*, c. 3, Patrum Ægyptiorum sententiam refert, scilicet : « Bene regere vel regi, sapientis esse pronuntiant, summumque bonum et gratiam S. Spiritûs esse definiunt. Nam neque salutaria præcepta quemquam posse obtemperantibus præstituere, nisi qui priùs universis virtutum disciplinis fuerit instructus : nec obedire quemquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei et humilitatis fuerit virtute perfectus. » S. Bernardus, *Serm.* 3 *de Circumcis.*, ait : « Numquid eliget esse magister, qui nondum discipulus fuit, et docere quod didicit nunquam? » Et S. Laurentius Just., *de Obed.*, c. 20, magistrum spiritualem describit : « Qui discretione sit providus, experientiâ probatus, ordinatus moribus, gravitate maturus, decoratus honestate, sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio tenax et in omni, si possibile est, spirituali disciplinâ provectus. » Denique S. Vincentius Ferrerius, *C.* 4, *de Vit. spir.*, et S. Joannes a Cruce, in *Proœm. asc. ad. mont.*, dolent tam paucos idoneos Magistros spirituales reperiri; et S. Theresia, in *Castell., mans.* 6, c. 8, ab experientiâ probat, Confessarios debere esse litteratos, habere donum discretionis et experientiam rerum spiritualium; semilitteratos autem, inter omnes, præjudiciabiles esse. Et S. Franciscus Sales., p. 1 *Vitæ dev.*, c. 5, ait : « Debet esse vir plenus charitate, scientiâ, prudentiâ : et quâlibet ex his qualitatibus deficiente, res est plena periculi. » 3° Ratio est quia nihil beatius est in humanis, quàm vera amicitia cum vero amico : ad quod requiritur ut optimus eligatur; sed nulli meliùs nomen veri amici quàm Magistro spirituali competit, si revera optimus fuerit, qui nostras actiones monitis suis dirigat, insidias maligni suis consiliis repellat, in afflictionibus nos consoletur, in dubiis rectè consulat et mortem animæ avertat. Ergo hic procurandus est.

ETIAM CONFESSARIUS NUMERIS OMNIBUS ABSOLUTUS PROCURANDUS EST.

Scholium. Quæ modò de Magistro spirituali dicta sunt, etiam ad Confessarium spectant, qui etiam ad confessiones ordinarias procurandus est, in quantum fieri potest, numeris omnibus absolutus: quod proinde multò magis tenet, si eligatur in confessarium habitualem simul et Magistrum spiritualem perfectionis, utpote qui debet esse judex, medicus et doctor. Unde, C. *Omnis utriusque de pœnit. et remiss.*, dicitur : « Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati : quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. » Et Catechismus romanus de Ministro pœnitentiæ docet : « Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo studio curandum esse, ut eum sibi Sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet. » Videri etiam potest Rituale rom. Pauli V, de Sacram. Pœnit., et quæ copiosè congessit Genettus, tom. 4. Th. Mor. tr. 6, c. 10, 11.

§ 345.

MAGISTRI DOTES : PRIMO DOCTRINA, PIETAS ET EXPERIENTIA.

Ut verò Magister spiritualis numeris omnibus, in quantum fieri potest, absolutus procuretur, *primò* quærendus est talis, qui *doctus et pius et in rebus spiritualibus expertus sit*. Quia si doctus sit, sæpe saltem doctrinaliter discretionem spirituum facere poterit; si pius sit, magnificè de Deo sentiet, nec statim rejiciet quæ in seipso expertus non est : item humilis erit in oculis suis et doctiores libenter consulet. Denique si expertus sit, saltem in genere, in rebus spiritualibus, vel in se, vel in aliis animabus, etiam in casibus rarioribus, congruam illationem colliget. Talis sufficienti cum discretione animas dirigere poterit, saltem per discretionem spirituum doctrinalem, ut

vocat Gerson, *Tr. prob. spir.* Cum quo procedit Card. Bona, *Tr. de Discr. spir.*, c. 2, n° 6, docens : « Quia discretio ex lumine cœlitùs infuso paucorum est..... Ideo alia via discernendi spiritûs inquirenda est, quæ communior sit et facilior. Illa nimirum, quæ per modum artis et doctrinæ sit, examinatis motionum principiis et effectibus, perpensis item regulis quæ a Spiritu S. præscriptæ sunt in SS. Scripturis, et quas SS. Patres a Deo inspirati aliique doctores ab experientiâ instructi tradiderunt. »

§ 346.

DOCTRINA IN MAGISTRO REQUISITA.

Ex modo dictis fluit *secundò*, Magistrum spiritualem, per se loquendo, quærendum esse qui doctrinâ non vulgari, et ad rem faciente polleat. Patet ex § præcedenti; cùm enim discretio spirituum communiter in Magistro sit tantùm doctrinalis, hæc sine doctrinâ exerceri non potest. Sanè si omni Confessario scientia requiritur, pro qualitate pœnitentium, multò major, nec vulgaris in Magistro ad perfectionem manuducente, necessaria erit, maximè si anima probationibus, tentationibus et angustiis extraordinariis ornata et signis ad bonum vel malum spiritum dubiis effulgens dirigenda sit. Ut autem doctrina Magistri ad rem faciat, ille non tam in philosophicis et theologicis subtilitatibus, quàm in principiis dogmaticis et regulis mysticis, ex S. Scripturâ, Patribus et Asceticis solidè instructus esse debet. Sicut enim P. Alvarez, *T.* 3, l. 5, p. 4, c. 1. *Industr.* 6, notat : « Habet Ecclesia Dei aliquos, ad quos discretio spirituum, si non ex dono, at ex officio pertinet, ad quorum judicium et sententiam recurrendum est in dubiis, ne boni specie fallamur. Ili sunt Prælati et quibus munus confessiones audiendi demandatum est, et in defectu omnium istorum quisque vir doctus et in rebus spiritualibus et theologicis instructus. » Et S. Theresia, *C.* 13 *Vitæ*, monet : « Semper hæc mea fuit opinio et erit, ut quilibet Christianus

procuret suæ directioni virum qui litteris polleat, et bonis, et quantò magis in hoc emineat, meliùs ; qui autem viâ orationis incedunt, hujus rei indigent magis..... Reputo mihi quòd persona orationis quæ consulat litteratos, nisi seipsam seducere velit, non seducetur illusionibus dæmonis : credo enim dæmones pertimescere valdè litteras humiles et virtuosas : sciunt quippe se discooperiendos esse damnumque incursuros. »

§ 347.

PIETAS.

Tertiò. Quærendus est Magister qui cum doctrinâ *pietatem* conjungat, eamque, quantùm fieri potest, æquè solidam ac non vulgarem. Nam si magister usum orationis non habeat, cum quâ solida et non vulgaris pietas connectitur, erit illi lingua peregrina, quidquid a discipulo de motibus, sensibus, affectibus et effectibus in secreto cordis latentibus, de inspirationibus Dei, vel Angeli boni, vel mali, aut propriæ naturæ dicetur. Cùm scriptum sit, I *Cor.* II, 15 : *Spiritualis omnia judicat, et ipse a nemine judicatur*. Et, *Matth.* V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et S. Theresia, *C.* 5 *Vitæ*, ait, magno animæ suæ damno fuisse semilitteratos et subdit : « Experta didici, dummodo sint virtuosi et moribus illibatis, meliùs esse illos nullis quàm paucis litteris aspersos esse : quia fidunt sibi ipsis, quin alios consulant bene litteratos : nec ego fiderem prædictis ; bonus autem litteratus nunquam me seduxit. »

COROLLARIA.

Scholium. Ex dictis colligi potest 1° bene litteratos Directores semper quærendos et semper profuturos ; semilitteratos verò potiùs obfuturos et magis quàm illitteratos ; 2° semper quærendos esse litteratos qui sint virtuosi, moribus illibatis, homines in oratione versati et spirituales ; 3° per bonos mores et virtutes cum solertiâ

et intellectûs perspicaciâ suppleri posse defectum litterarum, orationis ac spiritûs, dum totum haberi nequit; 4° quod tamen intelligendum est de oratione ac spiritu speciali, quia in bonis moribus ac virtutibus semper imbibitur aliquid orationis et spiritûs : nunquam enim scienter in Magistros eligendi sunt homines vitæ non bonæ et nullius orationis, licèt litterati, qui tamen ex parte prodesse possunt, quamdiu hi defectus nesciuntur.

§ 348.

HUMILITAS.

Quartò. Inter virtutes quibus Magister spiritualis potissimùm excellere debet, est imprimis humilitas. Id, præter alias rationes alibi allatas probatur : 1° Divinus Magister noster Christus D. ipse docuit, *Matth.* II, 29, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Unde etiam Joseph, postquam Ægyptii humiliaverunt in compedibus animam ejus, *Ps.* CIV, 21, agente Deo, aulæ Pharaonis Magister effectus est : *Ut erudiret principes ejus, sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.* V. 22. David etiam humillimus magisterio rerum spiritualium ideo aptus fuit; 2° Rationes sunt : Tum quia sapientiâ cœlesti excellere debet, quæ non datur nisi humilibus, juxta illud : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelâsti ea parvulis. Matth.* II, 25. Tum quia Magister præter habitum doctrinæ et scientiæ, vel maximè Dei gratiâ indiget, quæ tamen nonnisi humilibus datur. *Jac.* IV, 6.

QUOMODO EXERCENDA.

Scholium. Proinde Magister spiritualis, internos humilitatis actus, propriæ fragilitatis et cognitionis memor, frequenter exerceat; 2° externos humilitatis actus datâ opportunitate non negligat; 3° a quovis alio, præsertim a senioribus et expertis discere et sciscitari non dedignetur.

§ 349.

MANSUETUDO.

Quintò. Mansuetudo in Magistro requiritur : uti 1° ex verbis Christi mox allatis : *Mitis sum*, apparet : et Moyses salubriter novum Dei populum direxit, quia erat *Vir mitissimus super omnes qui morabantur in terrâ.* Num. XII, 3. Præfuit sanctè David, sed mansuetudinis ejus præclara exempla passim sacræ Litteræ exhibent. 2° Ratio est quia perfectio quidem propria, non verò virtus alterius violentiam sustinet; quò enim plus violentiæ sibi ipsi quis infert, eò magis perfectus esse solet : perfectio verò alterius est instar vitri delicati, quod vi et violentiâ crepat, frangitur et perditur. Ergo perfectioni studenti discipulo violentia sibi inferenda præscribenda est; non tamen violenter cogi debet; quippe per mansuetudinem Magistri crescet discipuli perfectio; cùm econtra timor et rigor novercus et noverca sint alienæ perfectionis; benevolentia et amor pater illius et mater sunt, quæ eam generant, alunt et in subjectionem spontaneam deducunt : concilietur cor discipuli, ut amore Dei capiatur; hic enim est modus reddendi perfectos.

QUOMODO RIGOR MANSUETUDINI JUNGENDUS.

Scholium. Data mox regula : *violentiam non magister discipulo sed unusquisque sibi inferat,* cum grano salis sumenda est. Nec enim est sensus, sibi soli Magistrum durum esse debere, passionibus violentiam inferendo, pœnitentiam subeundo, discipulis verò blandum, eorum luxui indulgendo. Nec sensus est, Magistrum discipulis totum debere esse amabilem, et nullatenus timendum; nec, debere semper leniter exhortando procedere, nec unquam rigidiùs increpare et corrigere; sed sensus est, Magistrum ut plurimùm totum illum rigorem quo seipsum laudabiliter tractat, non debere tanquam regulam discipulis præscribere, nec odium illud sanctum quo se prosequitur in alios, pari passu a seipsis prosequendos, transferre. Cùm enim erga se majus periculum sit quàm erga alios, ut amor proprius prædominetur, sanctum hoc odium

contra dictum amorem potiùs in se quàm in alios inclinat. Interim tamen, absolutè loquendo, sicuti quis erga se magis proficiet ad violentiam sibi faciendam per motiva amoris et modo amabili, quàm per motiva timoris, nihilominus præstat subinde etiam motivis timoris juvari, licèt alios sibi commissos magis per motiva amoris quàm timoris ad profectum urgeat; hoc ipsum tamen in eum finem dirigi debet, ut alii sponte violentiam amori proprio inferant, et quando ad hoc mansuetudo non proficit, bene erit ad motiva timoris et modum rigidiorem recurrere. Sic Heli debuisset facere cum protervis suis filiis quibus lenis adhortatio non profuit. Sic ipse D. N. Jesus Christus, licèt alioquin in docendo mitissimus, nonnunquam tamen ad duriora verba, quin et verbera procedendum exemplo suo docuit. Quod idem Apostolorum principes SS. Petrus et Paulus fecerunt: et ex PP. S. Gregorius in *Past.* p. 3, *admonit.* 9, aliter protervos, aliter pusillanimes monendos esse docet.

§ 350.

CHARITAS PROXIMI ET ZELUS.

Sextò. Magister in *charitate proximi et zelo* animarum excellere debet : de quibus, cùm jam sufficienter in tomo primo actum fuerit, plura hìc repetere superfluum foret.

§ 351.

DONUM DISCRETIONIS SPIRITUUM.

Septimò. Tunc demum Magister spiritualis numeris omnibus absolutus erit, quando præter dictas qualitates in gradu perfecto habitas, *gratiâ* propriâ *discretionis spirituum*, sive per propheticam secretorum cordium cognitionem, sive saltem per proprium hujus rei instinctum a Deo donatus fuerit. De quo plura dicentur, ubi ex professo de discretione spirituum tractabitur. Nunc sufficiant sequentia : 1° scilicet testimonia S. Scripturæ, *Jer.* xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Et vi, 27 : *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum.* Et I *Cor.* ii :

Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Et I *Joan.* IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* 2° Accedunt PP. S. Gregorius, l. 30 *Mor.* c. 4, ait : « Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia doctori veritatis, virtus discretionis, ut noverit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, divinitus ministratur. » S. Joannes Climacus, *Sc. gr.* 26, discretionem proportionatam assignat incipientibus, proficientibus : denique de perfectis subdit : « In his autem qui perfecti sunt est scientia quæ per divinam illustrationem in eis inest : talis verò ista est, ut etiam quæ in aliis obscurè insunt, suo lumine illustrare possit. » S. Laurentius Just., c. 20 *de Obed.*, ait : « Spiritualis adhibendus est pater qui discretione sit providus. » Unde etiam S. Theresia pro magno Dei beneficio habebat, quando confessarios hoc dono imbutos reperiebat, uti, in *Vit.* c. 24, narrat de S. Francisco Borgiâ; et c. 30 de S. Petre de Alcantarâ; et in *Fundat.* c. 3, de P. Balthasaro Alvarez; et probat P. Ludovicus a Ponte, *Tr.* 4 *Duc. spir.*, c. 2, § 1. 3° Ratio est quia sine dono discretionis spirituum non poterit Magister in rebus difficillimis, nisi ad summum conjecturaliter, illusos a veris spiritibus discernere, quia, uti ait Gerson, qui hunc modum discernendi *hierarchicum* vocat, *Tr. de Prob. spir.* « Sicut nemo novit quæ sunt spiritûs, nisi spiritus, ita nemo infallibili certitudine cognoscit ea quæ per solam experimentalem notitiam, vel sentimentum interius et sensum aguntur in alterius animo. »

QUOMODO DONUM DISCRETIONIS SUPPLERI POSSIT.

Scholium. Rari quidem sunt ejusmodi Magistri spirituales dono discretionis prædicti : interim tamen P. Alvarez, t. 3 *Vit. Spir.*, l. 5, p. 4, c. 1, *indust.* 6, modum præscribit quo Prælati et reliqui ab Ecclesiâ hierarchicè in Magistros spirituales ordinati, a paucis illis hoc dono ornatis juvari queant, dicens : « Hi siquidem virum spiritualem et dono discretionis præditum juxta se habeant, cum quo modestè et amanter dubia animarum ad illos recurrentium conferent, aperiendo illi rem, vel in communi, vel aliâ viâ quâ possint, ut donum illi datum sit Prælatis conferentibus cum ipso,

gubernationis adjumentum; deinde impensè orabunt Dominum. » Notat etiam Card. Bona, *de Disc. Spir.*, c. 2, n. 6, discretionem etiam per libros doctrinalem reductivè participare de dono discretionis, dicens : « Hæc autem discretio licèt directè et immediatè ad gratiam gratis datam non spectet, ad eam tamen reducitur, quatenus præceptis utitur quæ viri sapientissimi, præter scientiam et naturale judicium, spiritu etiam veritatis imbuti et æqui spirituum ex principiis supernaturalibus ponderatores, in suis lucubrationibus reliquerunt.

§ 352.

TEMERE SE QUIS IN MAGISTERIUM SPIRITUALE INTRUDIT SINE PRÆFATIS DOTIBUS.

Ex recensitis modò qualitatibus Magistri spiritualis apparet, *temeritatem* esse et rem summi periculi plenam se sine speciali Dei vocatione ac sine præfatis dotibus *in magisterium spirituale intromittere.* Sic enim se intromittenti 1° in S. Scripturâ, *Ps.* LX, 60, a Deo dicitur : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum.* Et, *Luc.* XIV, 23 : *Medice, cura teipsum.* Et *Matth.* XV, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* 2° Ita docent PP. S. Dyonisius, c. 3 *de Eccl. Hier.* : « Ut in solis radiis tenuiores pellucidioresque res primæ, illabentis splendoris plenæ, lucem quæ per omnes ipsarum partes præter modum fusa est, solis instar in sequentes effundunt, sic non debet temerè ducem se aliis divini luminis præstare is qui non omni statu suo et habitu simillimus Deo evaserit, divinoque instinctu ac judicio declaratus sit rector atque moderator. » In quem locum Dyonisius Carth., a. 27, exclamat : « Heu ! heu ! heu ! quid hìc dicam !.. jam ingerunt se indignissimi et vitiosi ad regimen animarum, non vocati a Deo ut Aaron. » S. Bernardus, *Serm.* 30 *in Cant.*, ait : « Miror audaciam plurimorum quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas et tribulos; vineis tamen dominicis etiam se ingerere non vereri : fures sunt et latrones, non custodes, neque cultores; » 3° Ratio est, tum quia magna temeritas est se ingerere in officium difficillimum et maximè

arduum, quale est directio animarum : tum quia non minor temeritas est hoc munus exsequi, nihil curando de qualitatibus ad id requisitis : esset enim quasi non vocatum aut ineptum se intrudere in ductorem per vias incognitas, navarchum ad altum et procellosum mare, medicum pro curatione morborum vix a peritioribus curabilium.

§ 353.

VOCATUS VERO SANCTE SUSCIPIT.

Nihilominus, suppositâ divinâ vocatione et inspiratione in eo qui debitis qualitatibus scientiæ, pietatis et experientiæ instructus fuerit, cum consilio proprii sui Directoris, factâ ad Deum oratione, ex puro zelo animarum, *sanctum* est se *dicare magisterio* eorum quibus quis prodesse potest. Prob. 1° ex illâ parabolâ S. Scripturæ de talentis, *Matth.* xxv, quæ Dominus dedit servis suis, ut negociarentur, *unicuique secundùm propriam virtutem*, uni quinque, alii duo, alii unum, qui posterior in tenebras exteriores damnatus est, quia cum talento suo negotiatus non fuit, sed illud *fodit in terram;* nec illi in excusationem profuit, quòd illud integrum servaverit et domino suo reddiderit; 2° Ita sentiunt PP. S. Gregorius, in *Past.*, p. 1, c. 5, ait : « Quâ mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum. » Et c. 7 concludit : « Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutiùs declinatur : nec tamen declinari, ut diximus, pertinaciter debet, cùm ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. » Et S. Thomas, in *Matth.* xxv, ait : « Habet aliquis donum intellectûs, et vult religiosè vivere, sed sibi solùm vivere, cùm tamen possit multis proficere, iste abscondit in terrâ contra illud : *Opera Dei revelare honorificum est :* talis enim pecunia est ad multiplicandum, non ad abscondendum. » Et postea subdit : « Ali-

qui æstimantes Deum durum esse, extrahunt se a servitio suo. Unde aliqui, qui possunt multum proficere, dicunt : si audio confessiones et facio prædicationes, fortassis malè accideret mihi. Tales Deum durum reputant. » Et S. Theresia, in *Vit.*, c. 13, in fin., suppositis debitis qualitatibus, directionem eamdem exercere enixâ gratitudine collaudat. 3° Ratio est, quia si dictis qualitatibus instructus sub prætextu falsæ humilitatis, vel nimii timoris, vel ex non ordinatâ solius animæ propriæ charitate, se a consulendo, quantùm potest, saluti et perfectioni aliarum animarum excusare vellet, æque peccaret, ac satis aptus viæ dux, navis gubernator, corporis medicus, qui rogatur, in defectu peritioris, gravique necessitate urgente, proximo suo, prout valet, auxilio esse renueret.

QUOMODO PROCEDERE DEBEAT.

Scholium. Proinde, ne quis Magisterio spirituali vel temerè se intrudat, vel sanctè se intromittat: 1° vocatus esse debet vel ex proprio instituto, vel ex instinctu divino; 2° bene ponderandum est, esse opus Dei, non verò nostrum, aptos fieri ad animas lucrandas; 3° hoc munus non subitò a primo passu vitæ perfectæ, sed suo tempore exercendum est, se interim in sequelâ Christi perficiendo, ut alios perficere possit: nec enim Apostoli piscatores hominum effecti sunt, nisi postquam boni Christi discipuli fuerunt, et Magistri a Spiritu S. constituti sunt; 4° vocatione prævià, nihil est periculi, nihil timoris, quod non debeat superari, quantumvis quis jubeatur naviculam in altum maris ducere, ubi sunt pisces selectiores, scilicet animæ perfectiores in mari alto perfectionis; 5° hanc directionem esse rem ingentis lucri, tum sibi, tum aliis animabus, ab experientiâ ex hac directione animarum sanctarum egregiè proficentium constat, maximè si cum bonâ intentione exerceatur.

§ 354.

TALIS MAGISTER A DEO PETENDUS.

Porro ut magister talis numeris omnibus absolutus procuretur et obtineatur tam a sæculari, quàm religioso, opus est ut rem hanc et electionem per *ferventes preces* Deo commen-

det, et prudentem in eâ diligentiam adhibeat. De quo agit Alvarez, t. 1 *de Vit. spir.*, l. 5, c. 12. Id quod facilius erit Religioso in Ordine bene regulato, ubi quis vel in Prælato quem citatus auctor graviter commonefacit suæ obligationis, magis quàm exterioribus, attendendi profectui et perfectioni spiritûs interiori suorum subditorum, vel in Confessario, vel in aliquo ejusmodi, optatum virum reperiet. Quod idem dicendum de Monialibus, sive Ordinario, sive Regularibus subjectis. Item de sæcularibus qui ex communi opinione, vel aliorum peritorum informatione, vel ex praxi confessionis et collationis de rebus spiritualibus cum hoc, aut illo, in experimentum factæ, et super omnia implorato cœlitus lumine, talem Directorem invenient, qui vel absolutè melior, vel saltem sufficiens fuerit, juxta illud: *Quærite et invenietis.* Et, *Eccli.* VI, 14, sqq.: *Qui metuunt Dominum, invenient illum.* Quo Ecclesiastici responso, S. Salesius occurrit dubitanti, quomodo talis Magister reperiri possit, qui tam rarus ab eodem Sancto supponitur. Ait enim ad suam Philotheam: « Si quidem tibi adeo interest iter facere cum bono ductore in hac sanctâ viâ devotionis, ora Deum instantissimè ut tibi aliquem secundùm cor suum largiatur, et non dubites, quantumvis foret necesse mittere angelum de cœlo, uti fecit cum juniore Tobiâ, bonum tibi et fidelem ductorem concessurum. »

§ 355.

MAGISTRO ELECTO PLENE OBEDIENDUM.

Factâ jam electione Magistri spiritualis, illi *tota conscientia committenda est*, ejusque dictis plenissimâ obedientiâ standum, et hoc etsi talis Magister, ex defectu alterius, qui ad nutum eligi nequit, minùs perfectus fuerit. Pars prior de manifestandâ conscientiâ patet ex dictis, § 343. Pars posterior patet 1° Ex S. Scripturâ, *Luc.* X: *Qui vos audit, me audit:* et *qui vos spernit, me spernit.* Idem 2° docet S. Basilius, *Serm. de Abdic.*, post init., de Magistro dicens: « Si talem quempiam

nactus fueris, tum vero voluntatem tuam omnem expuito, ac foras projicito : atque ubi hoc feceris, dede te illi, ut sincerissimum veluti vas quoddam huc existas, qui, quæ in te infundantur virtutes, ad laudem Dei gloriamque, ab omni vitio castas conserves..... hoc apud te constanter teneto, ut nihil omnino quidquam præter illius sententiam facias. Quidquid enim eo insciente facis, id furtum ac sacrilegium est, tibique exitium, non autem utilitatem ullam apportat. » Et S. Laurentius Just., *de Discipl. mon.*, c. 7, ait : « Omne suum judicium et deliberationem in ipsius cui se tradiderit relinquat arbitrio, ut quod hic approbaverit, et ipse laudet; et quod condemnaverit, ipse similiter condemnet. Deum verò in illo loquentem non dubitet, illique tanquam Christo subesse non abhorreat, quia de se confidentem, et propter se submittentem se, nunquam deseret Dominus. » 3° Ratio est, quia sicuti electio Magistri debet esse oculata, sic obedientia electo præstanda debet esse quodammodo cæca; non enim minùs imprudens foret, qui ducem viæ, vel medicum in rebus terrenis eligeret, ignorans an illi fidere posset, quàm qui jam electo fidere recusaret. Denique quòd etiam huic Magistro simpliciter obediendum sit, licèt fortè minùs perfectus esset, patet ab exemplo Samuelis, qui a Deo ipso ad Sacerdotem Heli missus fuit, a quo licèt minùs perfecto instructus fuit, I *Reg.* III, 9 : *Si deinceps vocaverit te, dices : loquere Domine*, etc. Ubi S. Gregorius, l. 2, c. 2, observat : « Per eum, qui reprobandus erat, audire quemadmodum debuisset didicit : ut profectò sciamus, quia majorum imperia tunc etiam veneranda sunt, cùm ipsi laudabilem non habent vitam. » Et S. Climacus, *Gr.* 26, hanc obedientiam docet, etiamsi hi, qui interrogantur, non valde spirituales sint.

§ 356.

TENTATIONES MAGISTRO APERIENDÆ.

Præterea *tentationes* omnes ingenuè Magistro spirituali *aperiendæ* sunt, quod erit præsentissimum ad eas vincendas re-

medium. Instruit nos 1° Christus D. ipse sub figurâ sensibili in casu decem leprosorum, *Luc.* XVII, 14 : *Ite, ostendite vos Sacerdotibus : et factum est, dum irent, mundati sunt.* Eadem est 2° solemnis Patrum Ægypti doctrina, de quâ testatur Cassianus, l. 4 *Instit.*, c. 9, et *Collat.* 2, ex Abbate Moyse, c. 10 et 11, docente : « Illico, ut patefacta fuerit (seniori) cogitatio maligna, marcescit; et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus, velut e latebroso ac subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit. » Id quod ex facto Abbatis Serapionis confirmat, qui adhuc puerulus, subtracto clam paxamacio pane, ultra consuetum se reficiebat, usque dum in quâdam collatione sui Abbatis compunctus, panem a sinu cum confessione culpæ suæ protulit : quo facto, lampas accensa cum gravissimo fœtore ex eodem sinu prodiit, et tentatio illa in perpetuum extincta fuit. 3° Ratio est, quia in præmium humilitatis et ad eliminandam præsumptionem, Deus ita benignissimè disposuit, ut nonnisi per alium vices Dei agentem, nobis gratia victrix adveniat. Hanc nimirum Deus conditionem requirit, quòd homo coram homine humilietur, ut Ipse in medio eorum sit.

OBJECTIO SOLVITUR.

Scholium. Nec dicas te jam scire quid Magister tuus dicturus sit. Nam aliud est illud ex proprio captu nosse, aliud illud ab alio vices Dei gerente discere, cui potiùs quàm tibi gratia præcavendi vel sanandi vulnus promissa est. Unde bene S. Dorotheus, *Serm.* 5, sibi ipsi inclamabat : « Anathema tibi et judicio tuo. » Post approbationem verò Magistri : « Nunc bonum est, nunc a Spiritu S. est. » Et S. Basilius, *Serm. de Abd.*, ait : « Cave ne excantationes eorum qui demorsi sunt a serpente, velis imitari, cùm ipse excantandi artem non teneas, ne, si ad te foràs serpentem attraxeris, illeque sese tibi circumplicuerit, tunc te ipso explicare non possis, immaniter ab illo absumare. »

§ 357.

NON UNI MAGISTRO SE PERTINACITER ALLIGANDUM.

Quanquam verò communiter expediat, ut quis *uni soli* idoneo suî directionem committat, hoc tamen non ita fiat, ut nimiùm se illi *alliget*, sed *indifferens sit*, ab illo carendum, et liber ad alium consulendum, vel unum pro alio relinquendum. Nam aliàs 1° timenda foret illa maledictio Domini, *Jer.* XVII, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine*, et quis in eum abusum incidere posset, quem S. Apostolus reprehendit, dum aliqui dicebant : *Ego sum Pauli;* alii autem : *Ego Apollinis ;* quibus S. Paulus reposuit, I *Cor.* III, 4 : *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri ejus, cui credidistis; et unicuique sicut Dominus dedit.* 2° S. Vincentius Ferrerius, c. 4 *de Vit. spir.*, licèt valde commendet habere Directorem spiritualem, addit tamen : « Deficientibus eis et non inventis qui foràs instruerent, tunc pietas divina per se supplet quod exteriùs minimè reperitur; si tamen corde humili et ferventi ad Deum accedunt. » Et S. Theresia, in *Vit.*, c. 13, post med., laudat virtuosam libertatem quâ sæcularis meliorem Directorem eligere potest, et, in *Viâ perf.*, c. 5, similem libertatem, salvâ tamen obedientiâ, intra claustra requirit, saltem ad consulendum alios, præter Confessarium. Ita in vitâ S. Franciscæ de Chantal, p. 1, c. 10, legitur quantam inquietudinem huic Sanctæ creaverit, quòd se voto cuidam Directori, sibi non convenienti, alligaverit. 2° Ratio est, tum quia reverà possunt occurrere causæ quæ non ex levitate, sed ex gravi motivo alium vel consulere, vel eligere postulant. Tum quia deesse potest Director electus, vel ob absentiam, vel mortem, vel aliter : quo casu, si anima nimiùm illi alligata fuerit, periculum est ut ab inceptâ viâ deficiat : tum quia sicuti Director electus, non ut homo, sed ut vices Dei gerens, per quem Deus nobis loquitur, respiciendus est; ita, dum deest, animo non est despondendum, sed in Deo confidendum,

qui vel per seipsum hunc defectum supplebit, vel de alio Directore providebit.

QUANDO MAGISTER MUTANDUS.

Scholium. Regula modo data de relinquendo Directore vel maximè tenet, quando ille contra præcepta aliquid injungit, vel videtur esse doctrinæ minùs sanæ, aut scientiæ minùs aptæ ad directionem : quippe in ejusmodi regulis moralibus semper exceptiones subintelligendæ sunt. Et certè oppositum esse pessimam fraudem nostri adversarii notavit S. Basilius, *Serm. de Abdic.*, dicens : « Ut enim præceptorum bonorum bona sunt etiam præcepta, ita quoque malorum etiam mala. » Ideo enim diabolus contendit, ut nos Directori vel gloriæ cupido, vel lenitate quâdam vitia nostra intacta reliquenti, committamus, quatenus animas nostras faciliùs illaqueet. Et S. Theresia, *Viâ perf.*, c. 4, monet, quodsi Confessarius deprehendatur, non ex puro fine, sed ex vanitate, et appetendo inutilia colloquia procedere, satis esse ut venire in suspicionem possit, ita ut pœnitens, etiam Religiosa, nonnisi in confessione cum eo et quidem præcisè quoad ea quæ ad confessionem spectant, agere debeat : imò cum veniâ Superioris, et præhabitâ cum alio consultatione, alium Confessarium eligere. « Videant attentè, ait, multùm hoc interesse, rem esse periculosam, infernum esse ac exitium omnibus in Communitate : dico autem, ne magnum experiri malum exspectent, sed principiis obstent, omnibus viis possibilibus. »

§ 358.

NONNULLÆ REGULÆ GENERALES PRO MAGISTRO. PRIMO : PERFECTIO IN EXECUTIONE OBLIGATIONIS SUÆ CONSISTIT.

Denique pro instructione Magistri spiritualis nonnullas regulas generales hìc annectere juvat. Quarum *prima* est : Bene notet Magister virtutem, quæ in exactâ divinæ et humanæ obligationis executione consistit, fundamentum esse omnis perfectionis, neque magnam posse esse perfectionem, ubi parva virtus est. Quare ante omnia curare debet Magister ut anima discipuli virtutibus sit ornata, obligationibus suis ex

integro satisfaciendo, operamque navando, per hanc viam regiam et securam eluctandi ad altissimum et summum verticem omnis perfectionis; nam *qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*, ait Christus, *Matth.* VII, 21. Ubi S. Chrysostomus, *Hom.* 25, notat : « Timeamus igitur, dilectissimi, maximamque curam sanctæ conversationis adamemus, nec putemus minùs nos aliquid habere, quia nos modò signa non facimus; nihil namque tunc nobis propter illa ampliùs reddetur, sicut nec minùs dabitur, quia signa non facimus, si utique omnibus studuerimus abundare virtutibus. » Plura habet Alvarez de Paz, t. 1, *de Vit. spir.*, l. 1, p. 5, c. 4.

NON VERO IN DONIS EXTRAORDINARIIS.

Scholium. Bene semper notandum est, quòd perfectio non in donis extraordinariis contemplationis, gratiæ sanitatum, revelationum etc., consistat, licèt in animabus ceteroquin sanctis ejusmodi veluti quædam ornamenta perfectionem exornent. Neque perfectio in operibus supererogationis, consiliorum virginitatis, paupertatis, austeritatum etc., consistit, licèt pro ratione vocationis conferant ad ipsam dispositivè, vel eam arguant, tanquam effectus illius, meritò igitur semper observandum est, perfectionem in virtute consistere, et maximè in charitate, quæ tanquam regina sine comitatu aliarum virtutum non procedit, quas primùm ad leges obligationis, deinde supererogationis concinnè ordinat. Unde Apostolus, I. *Cor.*, 12, memoratis gratiis gratis datis, concludit, v. 31 : *Æmulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Scilicet charitatem, et quidem operatricem per omne genus virtutum, nam uti S. Paulus, XIII, 4, pergit: *Charitas patiens est, benigna est*, etc. »

§ 359.

SECUNDO : NOTET VIRTUTIS MEDIUM SERVARE.

Secundò. Magister advertat quòd virtutes morales, quæ ad actiones humanas rectè gubernandas ordinantur, ita *in medio consistant*, ut si ad alterutrum extremorum declinent; in vitia

degenerent : v. g. humilitas nimia, est abjectio; nimius fervor spiritualis, brevis et imprudens furor evadit; pœnitentia plausibilis externa, in jactantiam abit; devotionis excessus, orationem excæcat. Hinc plus æquo devoti, sunt æquè plus justo audaces, mala pœnæ quandoque non metuunt et mala culpæ contemnunt, eo timore destituti, quem propria fragilitas incutere illis deberet. Hos Deus in aliquas imperfectiones labi permittit, ut in illis ædificet compunctio et humilitas, quod destruxit præsumptio et vanitas, inseparabile vitium ab insipientibus excessivè devotis.

Scholium. Extrema illa, inter quæ Virtus Moralis medium tenet, non solùm inter se pugnant; sed etiam ipsi virtuti opponuntur, quin et ipsæ Virtutes Morales magis semper ad unum extremum vergere videntur : sic fortitudo magis ad audaciam quàm ad ignaviam deflectit. Porro mediocritas virtutum a ratione definiri debet. Virtutes verò Theologicæ in medio per se non consistunt, quia in iis per excessum nemo peccat; nemo enim Deum nimis diligit; sed tantùm per defectum. Per accidens verò medium requirunt, si quis v. g. ita se impenderet ut sanitatem ad officium suum rite obeundum necessariam temerè destrueret.

§ 360.

TERTIO : MAGISTER ORATIONEM VOCALEM SUBINDE SUADEAT.

Tertiò. Magister, præter orationem mentalem, magnam rationem habeat *orationis vocalis;* et si in aliquâ Communitate religiosâ, ubi oratio mentalis fit ex regulâ, vel obligatione, aliquis ineptus reperiatur ad hanc orationem, adducat illum ad rosarium suum et alias orationes recitandas dum alii in oratione mentali occupantur, quia melior est aliqua oratio quàm nulla.

§ 361.

QUARTO : ORATIONI DISCIPULI SE ACCOMMODET.

Quartò. Magister se accommodet parvæ vel magnæ *orationi* discipuli, et studeat eum in illâ bene instruere et ad profectum adjuvare : quare si discipulus in meditatione novissimorum gustum invenit, eum in hac viâ bene dirigat. Si verò discipulus meditatione vitæ, passionis, virtutum et mortis D. N. Jesu Christi delectetur, libentissimè illi auxilietur, ipsiusque cordi amorem et æstimationem sanctissimæ hujus humanitatis instillet, utpote quæ est aurifodina, ex quâ omnes Sancti ditescunt. Porrò ad contemplationem nullum applicet, utpote quæ est gratia desursum descendens, quæ a Deo datur quando et quomodo illi placuerit. Quare bene monet S Laurentius Just., *de Disc. mon.*, c. 18 : « Non ab omnibus eadem orandi forma servanda est, idemque ascensus in Deum. Aliqui namque psalmos, dominicam orationem et quædam alia devotionis verba vocaliter et attentè proferendo Deo se sentiunt esse propinquos. Quidam, infantiam, vitam, actus, miracula, passionem, ad inferos descensum, resurrectionem Salvatoris, ascensionemque seriatim in oratione meditantes, inardescunt spiritu, et per devotionis gustum Deo propinqui fiunt. Nonnulli se humiliter prosternentes corpore et spiritu, atque per compunctionis gemitum, et suorum rememoratione delictorum se plus omnibus vilipendentes et condemnantes, quò se longiùs a Deo esse arbitrantur, eò per humilitatem viciniores fiunt. »

§ 362.

QUINTO : NON SEMPER MAXIMAM PERFECTIONEM A SINGULIS EXIGAT.

Quintò. Quantumvis Magister, in publicis exhortationibus, semper in commune ab omnibus summam pœnitentiam et

obedientiam exigat; in particulari tamen, vel invitus, cum *virtute* valde *mediocri* et ordinariâ contentus esse debet, ne totum perdat : si enim a debili exigatur aliqua perfectio, quam ille impossibilem reputat, et exigua quam habet perfectio in oculis magistri contemnatur, ex mediocriter virtuoso in occultum vitiosum convertetur. Hinc etiam Christus D. ipse publicè et in communi in suo altissimo sermone in monte habito summam quidem perfectionem omnibus commendavit, *Matth.* v, in eâ sententiâ collectam, v. 48 : *Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Et tamen *Matth.* xxvi in horto, ac summo discrimine, cùm tres discipulos suos privatim et in particulari ad tentationem præmunire vellet, nonnisi pauca et facilia illis proponebat, v. 38 : *Sustinete hìc et vigilate mecum.* Cùmque eos paulò post dormientes reperisset, nil miratus, non eos durè increpavit, non ut tepidos abjecit, sed paternè, leniter, et quasi excusando eos, admonuit, v. 40 : *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et hoc licèt cum illis loqueretur, in quibus tanquam minùs imperfectis omnes ad majorem perfectionem aspirantes instruere volebat, inquit Origenes : « Quia qui spiritualior et perfectior est, sollicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum. »

§ 363.

SEXTO : NON DEPROPERETUR NEGOTIUM PERFECTIONIS.

Sextò. Non putet Magister, hoc evangelicæ *perfectionis negotium* esse repentinum, ac *deproperandum;* perfectio enim repentina est vicina casui, et qui nimis festinat, solet magis morari; siquidem cursus velox et vehemens in viâ longâ et asperâ potiùs moræ confert, quàm assecutioni finis intenti. Uti enim bene monet Gerson : *de Mont. Contempl.,* c. 35 « Est aliquos invenire, nimis quàm ratio dictat, seu jus sit,

festinantes, nitentes præire suum ductorem, et fortiùs quàm idem; quod magna est fatuitas. Gratia Dei est ductor ille, sicut dictum est. Qui ergo non potest, aut dignatur exspectare spatium temporis pro motu gratiæ istius et auxilii, jure eam perdit et aliâ vice ipsam pro libitu suo tam citò non reperiet.» Porro hæc stultitia multò intolerabilior erit, si error hic a ductore humano suggeratur, non attendente ductum gratiæ, sed proprium præjudicium, quo præsumit animas in altum subitò tollere, quæ deinde lapsu graviore ruunt.

§ 364.

SEPTIMO : VOLUNTATEM PROPRIAM ABNEGARE DOCEAT.

Septimò. Observet Magister, quòd *voluntas propria* venenum sit perfectionis, et virtuosi voluntati propriæ addicti laborant multùm et merentur parum, et opera quæ offerunt Deo, sunt veluti lapides ordinarii; cùm econtra perfectorum, qui voluntatem suam in manus Superiorum resignant et Deo offerunt, opera sint adamantes eximii pretii. Certè quantùm quis in perfectione proficit, tantùm eum Deus intus ad abnegationem movet. Perfectus, et voluntati propriæ addictus contradictionem involvit. Quippe Christus D. ipse ait, *Joan.* VI, 38 : *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed Ejus qui misit me.* Ostendens aliam viam ad cœlum nobis non patere, nisi non nostram, sed Dei voluntatem faciendo.

CAPUT II.

QUOMODO MAGISTER SPIRITUALIS INCIPIENTES, PROFICIENTES ET PERFECTOS JUVARE DEBEAT.

§ 365.

MAGISTER SPIRITUALIS CAPACITATEM NATURALEM SUI DISCIPULI BENE PERSPECTAM HABEAT.

Necessitate et qualitatibus necessariis Magistri spiritualis in priori capite expensis, ad considerandas partes officii sui, et quomodo incipientes, proficientes et perfectos in viâ perfectionis juvare et dirigere debeat, progredimur. Quo munere ut rite fungatur, imprimis *capacitatem naturalem* ad perfectionem evangelicam sui discipuli bene perspectam habeat.

QUÆ ALIQUO MODO AD PERFECTIONEM PRODESSE POTEST.

Scholium. Capacitas naturalis ad perfectionem et dona gratiæ non sumitur hìc positivè, sed negativè, quatenus solùm majorem capacitatem præstat, absque eo, quòd dicat aliquam connexionem, et multò minus, quòd mereatur, nequidem de congruo, aliquid supernaturale. Unde quæ hìc de capacitate naturali dicuntur, sumenda sunt, non ut semper, sed frequenter ad nutum Dei, communiter modo connaturaliori operari volentis, ita contingat, licèt is subinde magis sensibiliter jure suæ gratiæ utatur, quàm extraordinariè largitur, omnemque incapacitatem supplet, ut nimirum appareat, gratiam semper esse donum gratuitum et gratiam. Vide S. Salesium, l. 12 *de Amore Dei*, c. 1.

§ 366.

IN QUO CONSISTAT CAPACITAS NATURALIS.

Capacitas hæc *naturalis* ad gradum heroicum perfectionis conducens, I. consistit in bono *intellectu* quieto et veritatis

amante, potiùs quàm arguto, subtili et ad iracundiam prono : quia nimiùm arguti solent esse novatores, et ad facienda verba quàm opera virtutis ac perfectionis faciliores.

II. Consistit in bono, maturo et tempestivo *judicio ;* si enim fuerit parvum, nunquam aliquid boni eliciet.

III. Consistit in bonâ *indole*, facili, docili, mansuetâ, civili et amabili, quæ bonum ductu naturæ appetit, malumque fastidit; si autem indoles fuerit proterva, contumax, inconstans, et ad malum ac superbiam proclivis, difficulter quis seipsum vincet, et vix observatâ lege Dei obligationes sui statûs adimplebit.

IV. Consistit in *non abjectâ* ad pravos mores *inclinatione*, cùm econtra nobilis conditio, humilitate præmunita, nirè capax sit omnis sanctitatis.

V. In quodam *ingenio ingenuo*, veritati addicto, omnis duplicitatis, affectationis, fictionis et malitiæ inimico, quia genus hominum versipelle, proditorium, et plerumque sinistrâ intentione laborans non sinit rectà ire ad perfectionem.

VI. *Ætas* sit competens, nec nimiùm *puerilis*, nec valde *provecta :* quare tempus commodissimum auspicandæ perfectionis est juventus et adolescentia priusquam vitiosi sæculi habitus radices agant, passiones adolescant, et cum excessu prævaleant : tunc temporis vires ad pœnitentiam suppetunt, puritas ad conscientiam, vis ad tolerandum cum patientiâ, et facilis docilitas pro promptâ executione præstandâ mandatis obedientiæ.

QUINAM INCAPACES SINT NATURALITER.

Scholium. Dispendium temporis est, multùm laboris impendere in materiâ spiritûs cum hominibus incapacibus ; quales sunt homines hebetis intellectûs, distorti judicii et pravi ingenii, quorum passiones æquè frequentes sunt ac vehementes, et rationem crebrò excæcantes. Multùm in illis erit, si legem Dei et obligationes sui statûs aut professionis adimpleant. Solent spiritualibus esse inimici et e dia-

metro oppositi, utpote qui, gravitate et modestiâ, eorum incompositas actiones modumque vivendi sæcularem, de quo gloriantur, taciti accusant. Hoc genus hominum ruina sunt alicujus familiæ religiosæ, siquidem cùm sint valdè incapaces omnis boni, capacissimi sunt omnis mali.

§ 367.

CAPACITAS SUPERNATURALIS IN QUO CONSISTAT.

Defectus capacitatis naturalis ad perfectionem suppletur per *capacitatem supernaturalem*, quæ I. consistit in quantitate et qualitate *primæ vocationis*, quæ solet esse ad instar dotis, quâ pater filium in illo statu collocat, ex quo ordinariè fausta vel infausta ejus vita dependet.

II. Consistit in *inspirationibus*, seu piis affectibus in animâ frequenter prævalentibus, qui sunt veluti pulsus gradum perfectionis indicans, ad quam Deus animam disponit et vocat, suntque semina sanctitatis.

III. In *inclinatione singulari* ad *quasdam virtutes*, quæ cum inclinatione et propensione naturali magis conveniunt.

IV. Colligi potest a Magistro ex dono *orationis*, ejusque gradu, quo a Domino donatus est discipulus.

V. Ex *appetitu*, *gustu* et *applicatione* in res spirituales, ex piis materiis, quibus magis trahitur.

VI. Ex intentione, quæ frequentiùs in ejus operibus primatum tenet.

VII. Ex perfectione, quâ pia *desideria* alit, et quomodo vocationem suam æstimet.

UNDE HÆC CAPACITAS COGNOSCI POSSIT.

Scholium. Hæc omnia Magistro, in ratione conscientiæ a discipulo reddendâ, fient perspicua : tum secundùm capacitatis modum magnâ vel parvâ perfectione et sanctitate animam discipuli imbuere studeat Magister : et quia plerumque sanctitas capacitati naturali

se accommodat, in pueris puerilis, in hebetibus hebetata, in prudentiâ carentibus intempestiva, in feminis honesta, abscondita, pudica, solitaria; in juvenibus animosa et valida, in senibus venerabilis, quieta, prudens et affatim experta esse solet. Ut autem Magister secundùm capacitatem discipulum suum ad perfectionem rite manuducat, ante omnia vocationem ejus divinam ad certum vitæ statum rite cognoscere allaboret, de quâ proinde modò agendum. Unde sit

§ 368.

VOCATIO DEFINITUR.

Vocatio est pia quædam inspiratio, seu illustratio in intellectu, et quoddam sanctum desiderium, seu motio in voluntate, quibus nos Deus ad superiorem statum sui divini famulatûs vocat.

VOCATIO ALIA NATURALIS, ALIA SUPERNATURALIS.

Scholium. Vocatio Dei duplex distingui potest : una quæ fit per *providentiam Dei naturalem*, per instinctum et inclinationem naturalem ad hunc potiùs quàm alium statum, prout requiritur ad bonum commune, in quem finem unumquemque præparat dotibus aut talentis naturæ ad hunc vel illum statum proportionatis, hunc nobilitate, illum divitiis, alium fortitudine corporis et animi, etc. Vel econtra hunc facit natalibus humilem, illum paupertate pressum, alium viribus debilem, etc. Alia est *vocatio Dei supernaturalis*, quæ fit per providentiam Dei supernaturalem, seu inspirationem piam, quæ modò definita fuit.

§ 369.

DEUS OMNES AD ECCLESIAM VOCAT.

Deus ad *Ecclesiam* suam omnes nullo excepto *vocat* : infideles, ut fideles fiant, fideles verò, si fortè sint peccatores, ut justi evadant. Ita Tridentinum, *Sess.* VI, c. 5 : « Declarat, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum

Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur. » Unde etiam *Joan.* I, 9 dicitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Scilicet illuminatione saltem inchoatè sufficienti ad omnes, et ad alios magis vel minùs copiosè sufficienti, ad alios efficaci, et ad prædestinatos sive interruptim, sive non interruptim, usque ad mortem efficaci, juxta illud *Rom.* VIII, 30 : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit.*

§ 570.

DEUS OMNES AD ALIQUEM STATUM VOCAT.

Intra hanc ipsam Ecclesiam Deus singulos fideles ad *statum aliquem vocat*, qui ipsis ad æternam salutem et bono communi magis expediat. Patet 1° ex S. Scripturâ, in parabolâ de operariis in vineam Missis, *Matth.* XX. Item in parabolâ de invitatis ad cœnam magnam, *Luc.* XIV, 16 : *Et vocavit multos.* Rursus ex parabolâ de talentis, *Matth.* XXV, 14 : *Vocavit servos suos, et tradidit* etc. *unicuique secundùm propriam virtutem.* Idipsum docet S. Paulus, *Rom.* XII, 4; I *Cor.* XII. Et ad *Eph.* IV, dicit : *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* In quem locum S. Thomas, *Lect.* 2, ait : « Talenta a Domino ideo in tres classes divisa esse, quia omnis multitudo dividitur in summum, et infimum, et medium. » Ratio 2° est, quia cùm Ecclesia sit domus et regia Dei, et corpus mysticum, cujus caput est Deus in Christo, consequens est, ut sicut paterfamiliâs in domo, sicut rex in regiâ suâ diversa officia et munera distribuit, atque in corpore humano Auctor naturæ diversa membra pro diversis unius animæ operationibus ordinat, ita Deus in Ecclesiâ suâ diversos fidelium status constitueret, et ad singulos vocaret homines aptiores, ad quos proinde omnes plusquam paternâ providentiâ vocat, juxta illud *Sap.* XIV, 3 : *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Et, *Is.* XLII, 2 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in viâ quâ ambulas.*

VARII STATUS.

Scholium. Status fidelium in Ecclesiâ sunt triplicis generis, scilicet laicorum, clericorum et monachorum. Inter laicos, seu sæculares, alii sunt reges, gubernatores, judices, milites, nautæ, agricolæ, aliique mechanici, et conjugati, etc. Inter clericos eminet Papa ceu caput Ecclesiæ; deindè Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Canonici, Parochi, Concionatores, Catechistæ, etc. Inter monachos et religiosos, alii vitam contemplativam, alii activam, alii mixtam, pro diversis religiosorum Ordinum institutis profitentur.

§ 371.

DEUS VOCAT AD STATUM LAICALEM ET SÆCULAREM.

Deus quos vult, secundùm consilium voluntatis, ad *statum laicorum*, seu sæcularium, et in eo alios in reges, gubernatores, et judices *vocat*, alios militiæ, alios nauticæ, alios mechanicæ, alios agriculturæ etc., adscribit, alios ad conjugium, alios ad cælibatum vocat. Prob. 1° ex S. Scripturâ de *regibus* etc., *Prov.* VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant et potentes decernunt justitiam.* De *conjugibus* et his qui *cælibes* sunt, sive virgines, sive viduæ, ex professo tractans S. Paulus, I *Cor.* VII, 7, ait : *Unusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius autem sic.* De reliquis patet ex *Gen.* IV, ubi narrantur ab exordio variæ hominum inclinationes colentium artes pastoritiam, agrariam, musicam, fabri ferrariam etc., et planè supponitur fuisse inclinationes a Deo inditas : sicut et XIV, v. 14, Abraham et vernaculi sui rem militarem strenuè exercuerunt. Innumera sunt passim exempla in sacris litteris de regibus, judicibus, conjugatis, virginibus, viduis, militibus, artificibus templi et palatii salomonici etc., a Deo ad hæc munera destinatis; 2° Patet ex PP. S. Basilius, *Serm. de Abdic.*, sub init. docet : « Benignissimus Deus, ut saluti nostræ provideret, hominum res duplici vitæ genere distinxit,

conjugio videlicet, virginitateque, ut qui virginitatis ferendo certamini pares esse non possent, hi sibi uxorem adjungerent.» Et in exemplum affert Abraham, Job, Davidem, Danielem, Samuelem etc. S. Chrysostomus, l. 3, *adv. vituper. vit. monast.*, ait: « Quid igitur? omnesne, qui matrimonii vinculis adstricti sunt, peribunt? Non equidem dico, sed majoribus, ut servari possint, laboribus eis opus esse, confirmo ob imminentem necessitatem. » S. Ambrosius, l. 1 *Off.*, c. 44, in genere docet: « Unusquisque suum ingenium noverit et ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. » Ubi varia officia percurrit S. Hieronymus, l. 1, *adv. Jov.*, sub init., docet: « Scimus in domo magnâ non solùm vasa esse aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et super fundamentum Christi, quod Paulus architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, alios econtrario fœnum, ligna, stipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias et torum immaculatum..... sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus. » Similiter S. Augustinus omnem statum probat, licèt unum alteri præferat: uti l. *de Bon. conj.*, l. *de Bon. vid.*, l. 1 *de Mor. eccl.*, c. 32. Et S. Bernardus, *Serm.* 46. in *Cant.*, ait: « Notandum verò, pulchrè omnem Ecclesiæ statum brevi uno versiculo comprehensum; auctoritatem scilicet Prælatorum, Cleri decus, Populi disciplinam, Monachorum quietem. In horum prorsus, cùm rectè sunt omnia, S. Mater Ecclesia consideratione lætatur, et tunc ea quoque offert intuenda dilecto, cùm ad bonitatem ejus, tanquam omnium Auctoris, refert omnia, nihil sibi ex omnibus tribuens. » 3° Ratio est, quia status laicalis, seu sæcularis, regum etc. est necessarius ad bonum commune: ergo Deus, Sapientissimus totius mundi gubernator, ad conservandum bonum commune, quos vult, ad hunc statum vocat.

VOCATIO AD STATUM LAICALEM SUBINDE EST NATURALIS, SUBINDE SUPERNATURALIS.

Scholium. Vocatio ad statum laicalem, seu sæcularem, communiter a Providentiâ divinâ naturali proficiscitur, per naturalem

inclinationem ad hoc potiùs quàm illud officium vel artem ; subinde tamen etiam est supernaturalis per inspirationem et auxilia gratiæ : hinc matrimonium in novâ lege elevavit ad dignitatem sacramenti, ad quod per specialem gratiam vocationis præparat. Sic Moyse sub onere regiminis sui fatiscente providit, ut septuaginta seniores ab eo electi starent cum ipso prope tabernaculum, *Num.* II, 17, dicens : *Ut descendam, et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo tradamque eis ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris* : quo etiam spiritu duo descripti, præ humilitate ad Tabernaculum progressi non ausi, repleti fuerunt. Sic, I *Machab.* V, Judâ in nomine Domini præliante, nonnulli ex ambitione eum æmulari decreverunt, sed infeliciter, quia *ipsi non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel.* Imò pro re mechanicâ in construendo Tabernaculo, *Exod.* 35, Deus non solùm accepit peritos in artibus naturaliter, sed etiam v. 30, specialiter duos in fabros vocavit, atque *ambos erudivit sapientiâ.* Unde Rupertus, *in Exod.*, infert: « Quis dubitet, has, vel omnes hujusmodi artes esse Dei dona? Proindè in quocumque habentur homine artes tam utiles ac licitæ, diligendæ sunt et admonendi periti artifices, ut tanquam Dei talentum in lucrum expendant, quia non ipsorum facultas propria sed Creatoris, omnia tribuentis commissum est, et ab eis quibus tribuit ipse exacturus est. »

§ 372.

VOCATIO AD STATUM SÆCULAREM MATURÈ RECOGNOSCENDA.

Porro in *recognoscendâ* et executioni mandandâ *vocatione ad statum laicalem* et sæcularem, variaque ejus officia non temerè, sed *maturo consilio procedendum est.* Nam in statu sæculari multæ difficultates et gravia salutis æternæ pericula occurrunt, uti ex S. Scripturâ patet : sic, *Matth.* XIX, libello repudii a Christo abolito, dicebant Apostoli, v. 10 : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Certè indissolubilitas matrimonii illud in casu absentiæ, morbi, uxoris odiosæ, rixosæ, deformis, spurcæ etc. admodum difficile reddit. Deinde licèt Apostolus, I *Cor.* VII, conjugium liberum permittat, hanc tamen permissionem valde modificat, v. 2 : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat ;* v. 9 :

Quòd si non se continet, nubat : melius est enim nubere quàm uri. V. 28, de conjugatis ait : *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* V. 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Ubi ostenditur, etiam in matrimonio minimè defuturam, imò magis futuram tribulationem carnis propter onera uteri, partûs dolores, liberorum educationem, rixas domesticas, curas, sollicitudines, indigentiam necessariorum etc. Demum in ordine ad animam, cùm cor inter Deum et mundum dividatur, illud vix totum Deo, super omnia amando reservatur. Rursus tam difficile est divitem esse prout saltem communiter a sæcularibus optatur, ac intrare in regnum cœlorum, ut videatur impossibile : uti iterum Christus docet, *Matth.* XIX, 23 : *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum, et iterum dico vobis : facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Quo audito, v. 25, discipuli dixerunt : *Quis ergo poterit salvus esse?* Ergo nihil rationabilius est, quàm ut benè consideretur resolutio eligendi statum sæcularem aut conjugalem, non ex motivo vitioso, sed christiano, voluntatem Dei quærendo, non impetum passionis sequendo, modumque vivendi eligendo, qui, attentis circumstantiis, unicuique, divino lumine implorato, ad æternam vitam consequendam expediat.

§ 375.

REGULÆ PRO COGNOSCENDA VOCATIONE AD STATUM SÆCULAREM.

Ex hoc sequentes *regulas* pro *electione*, et cognoscendà vocatione ad *statum sæcularem* eruere licet.

I. Si quis ad statûs sæcularis, quicumque sit, electionem moveatur temerè, *nihil de periculis animæ curando*, sed solùm libidini ditescendi, honores consequendi, vel brutali more luxuriosis desideriis se devovendi, indulgendo ; hic non fertur vocatione Dei, nec electionem facit christianam.

II. Si vocatio Dei, juxta indicia, vocet ad statum *perfectionis*, non est securum, sub quovis prætextu humano et voluntario sistere in statu sæculari : quia hoc non esset assumere viam, quâ Deus vocat, sed quâ quis vult Deum trahere ad se.

III. Sufficit quòd vocatio ad statum *religiosum* sit ad statum perfectionis, ut stultè talis status sive in se, sive in aliis contemnatur, quasi verò, qui nobili genere nati sunt, et deliciis ac honoribus affluere possunt, de induendo habitu sordido et austero intra claustra ne cogitare quidem debeant.

IV. S. Salesius, l. 8 *de Amore Dei*, c. 8, hanc regulam præscribit : « Potest quis vendere quæ habet, et venditorum non dare pauperibus pretium, eò quòd non eò perfectionis assurgat, ut talem faciat renuntiationem. Potest etiam inire matrimonium, quia honestè amat feminam aliquam, vel quia non tantùm habet virium, ut continuum carni et sanguini indicet bellum. At profiteri, se nolle sequi consilia, imò ne unum quidem eorum, id fieri non posset absque notabili contemptu ejus qui dat. »

V. S. Ignatius, in suis *Exerc. hebd.* 2, *die* 5, præscribit : « Errant, qui uxorem ducere primitus, aut ecclesiasticum munus, seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum postea Deo inservire; utentes præposterè fine, ac medio, nec ad Deum tendentes rectè, sed obliquè, ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes. »

VI. Idem Sanctus, in *Direct. Exerc.*, c. 24, n. 4, ex quodam ejus scripto, monet : « Debere instructorem ita disponere eum, qui est in exercitiis, ut omninò resignatus sit, tam ad consilia sequenda, quàm ad præcepta; imò verò, quantùm in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si id majus Dei obsequium fuerit. » Addit : « Majora utique signa requiri ad statuendum, quòd ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare præcepta, quàm ut viam consiliorum ingrediatur; quia Dominus tam apertè ad consilia exhortatus est : at verò in illo statu magna ostendit esse pericula. »

§ 374.

VOCATIO AD DIGNITATES CIVILES BENE EXPENDENDA EST.

Potissimùm verò, *vocatio ad dignitates civiles*, regum, gubernatorum, judicum etc., benè *expendenda*, et secundùm Deum specialissimè dirigenda est. Ita Ludovicus a Ponte, l. 2 *Perf. Christ.*, tr. 1, c. 5. Cujus ratio est, quòd hujusmodi dignitates civiles maximâ virtute christianâ indigeant, ut homo in illis non modò seipsum, sed et alios justè regat: quod sanè inter tot pericula ambitionis, superbiæ, avaritiæ, injustitiæ etc., difficillimum est. Ideò miserrimum erit, et quasi dimidium viæ ad perditionem, si quis inconsultis Deo et bonis consiliariis, nec divinâ ope imploratâ, non vocatus in tales dignitates se intrudat, et per fas ac nefas in illas irrumpat, de quibus, *Osee* VIII, 4, dicitur: *Ipsi regnaverunt et non ex me: Principes exstiterunt, at ego ignoravi.* Ubi notat Cornelius a Lapide: « Taxat ipsos reges Israël, quòd non ex eo sed ex se regnaverunt. Quia scilicet aliqui ex iis tyrannicè regnum invaserunt, ut Zamri, Amri, Sellum, Manahem, Phaceja, Phacee, et Osee, sub quibus prophetavit hæc Osee. Alii verò, ut Jeroboam, Jehu etc., licèt a Deo viderentur designati, vel electi, tamen non tam ex divinâ auctoritate et voluntate, quàm ex propriâ cupiditate et regnandi libidine regnum inierunt. » Meritò proinde omnes Regentes illud, *Sap.* VI, 2, attentè considerare deberent: *Audite reges, et intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogat opera vestra, et cogitationes scrutabitur.... Horrendè et citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet.* » Quare S. Thomas, *Lect.* 1, in *Ep. Rom.*, observat. « Regia potestas vel cujuscumque alterius dignitas potest considerari, quantùm ad tria. Uno quidem modo, quantùm ad ipsam potestatem, et sic est a Deo: *Per me reges*

regnant, *Prov.* VIII, 15. Alio modo potest considerari, quantùm ad modum adipiscendi hujusmodi potestatem : et sic quandoque potestas est a Deo, quando scilicet, aliquis ordinatè potestatem adipiscitur secundùm illud, *Hebr.* V, 4 : *Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Quandoque verò non est a Deo, sed ex perverso hominis appetitu, qui per ambitionem vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur; *Amos* VI, 14 : *Numquid non in fortitudine nostrâ assumpsimus nobis cornua?* Tertio modo potest considerari, quantùm ad usum ipsius, et sic quandoque est a Deo, putà, cùm aliquis secundùm præcepta divinæ justitiæ utitur concessâ sibi potestate, secundùm illud : *Per me reges* etc. Quandoque autem non est a Deo, putà, cùm aliqui potestate sibi datâ utuntur contra divinam justitiam, secundùm illud, *Ps.* II, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversùs Dominum.* »

§ 375.

REGULÆ PRO ELECTIONE DIGNITATUM CIVILIUM.

Ex hac doctrinâ S. Thomæ sequentes *Regulas* pro electione dignitatum civilium colligimus.

I. Etsi vel jure hereditario, vel alienâ electione ad dignitates civiles quis assumatur, considerandum, quòd non tam sit honor quàm onus, non tam felicitas quàm periculum æternæ felicitatis.

II. Etiam in casu juris hereditarii vel electionis non sunt adhibenda media vel in se iniqua, vel vitiata ex motivo ambitionis, superbiæ etc., pro jure, quod quis habet, promovendo et obtinendo : sed licita humana media sic apponenda sunt, ut eventus animo pacato Deo relinquatur.

III. Imò orari debet Deus, ut effectum impediat, si in propriæ animæ detrimentum cedat.

IV. Semper considerandum quòd non sufficiat benè inci-

pere, sed perseveranter cogitandum quòd non quis per se, sed per Deum regnet et judicet, in quo quia defecit Saul miserè periit.

V. Unusquisque ad dignitates civiles ordinatè aspirans, se requisitis ad eas qualitatibus ritè instruere debet, ut suo munere benè fungi queat.

§ 376.

IN STATU SÆCULARI, VOCATIONI SUÆ RESPONDENS PERFECTIONEM ASSEQUI POTEST.

Vocatione Dei ad statum sæcularem et ad aliquod ejus officium, prævià consultatione et oratione, cognità, sive sit ad officium sublime, vel infimum, unusquisque illi *exactè respondere debet;* et sic securè ad perfectionem christianam et æternam vitam pervenire poterit. Prob. 1° ex S. Scripturâ quæ cum divitiis, conjugiis et honoribus mundanis etc., adjuvante gratiâ divinâ, perfectionem et salutem æternam consistere posse docet. Sic, *Matth.* XIX, 26, cùm ex Christi sententiâ de difficultate salutis divitum discipuli ejus illius impossibilitatem inferrent, explicationem suæ sententiæ Christus ipse dedit : *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Sic, I *Cor.* VII, hortatur Apostolus servos ut in suâ servitute maneant, conjuges ut in suo matrimonio perseverent, liberos ut, si velint, conjugio se ligent, et a v. 29 præscribit, quomodo omnia christianè fieri possint, et ait : *Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint..... et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* Et, I *Tim.* II, instruit uxores ut modestè et piè procedant; *quò salvabitur,* uxor, *per filiorum generationem.* Et, c. 5, de viduis præcipit : *ut irreprehensibiles sint,* et de divitibus: *non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum sed in Deo vivo.* Item S. Præcursor, *Luc.* III, 13, publicanis præscribit : *Quod constitutum est vobis, faciatis;* et militibus, v. 14 : *Neminem concutiatis, neque calumniam*

faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris. Sanè præter Sanctos veteris legis sæculares in S. Scripturâ laudatos Raynaudus, t. 18, in *Hagiolog. Lugdun.*, ex omni statu et officio Sanctos et Sanctas collegit, scilicet principes, laicos, gubernatores, judices, milites, artifices, agricolas ex altâ, mediâ, et infimâ sorte. 2° Ita docent PP. S. Augustinus, *de Bon. conjug.*, c. 21, ait : « Non est impar meritum continentiæ in Joanne qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios generavit : et illius enim cælibatus, et illius connubium pro temporum distributione Christo militârunt : sed continentiam Joannes et in opere, Abraham verò in solo habitu habebat. Et, *Ep.* 189, ait : « Qui illius perfectionis de vendendis rebus consilium tam grande tamque præclarum non receperunt, et tamen a damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum paverunt, sitienti potum dederunt, nudum vestierunt, peregrinantem susceperunt; non sedebunt quidem cum Christo sublimiter judicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer judicandi. » Et S. Thomas, t. 2, q. 194, a. 4, docet : « Nihil prohibet aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfecfectionis : et aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti. » Denique S. Laurentius Just., l. *de Obed.*, c. 26, monet sæcularem : « Curet diligenter facinora commissa deflere, totisque viribus desinat lethalia perpetrare delicta, atque divinæ legis et mandatorum Ecclesiæ sit observatione contentus. » Ratio est quia charitas, in quâ essentialiter perfectio consistit, in omni statu, etiam infimo, æqualis, vel major, quàm in statu perfecto esse potest.

AN IN STATU ELECTO PERSEVERANDUM SIT.

Scholium. 1° Licèt ante factam electionem plùs, vel minùs, pro meritis, status eligendus, seu officium considerari debeat, postea tamen, nisi exercitium sit illicitum, expedit ut in suo exercitio procedat, quod sæpè est necessarium et irrevocabile, uti in sacerdotio, conjugio, etc. 2° Quamvis electio temerè facta fuerit, expedit tamen plerumque in statu suo perseverare, si exercitium ejus non sit illicitum ; imò in statu irrevocabili hoc necessarium est : deletâ

enim per pœnitentiam temeritate præteritâ, acceptatisque in satisfactionem tribulationibus ex eâ causâ obvenientibus, Deus juvare non desinet, ut quicumque christianam vitam agere queat. 3° In sensu christiano, suâ quisque sorte contentus sit; debet enim acceptare illam ex divinâ providentiâ directam, vel in se, vel in effectu dirigibilem ad æternam salutem. Ex his infert Ludovicus a Ponte, p. 6, medit. 46: « Rem esse periculosissimam, eligere statum contra voluntatem Dei et per prohibita media: est enim abrumpere filum mediorum quæ divina Providentia præparaverat in ordine ad meam salutem æternam, et mea erunt debita errores inde subort', atque mereor a Deo mihi denegari auxilium ad illud portandum onus, quod proprio libitu et contra ipsius voluntatem imposui mihi, evenietque id quod Christus D. asseveravit, *Matth.* xv, 13: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater Cœlestis eradicabitur.* Quo tamen non obstante, si jam error commissus est, nec est emendabilis, propterea quòd sit status perpetuus, vel aliâ ex causâ, non debere de divinâ diffidere misericordiâ: est quippe adeo charitas ejus infinita, ut si quis ab unâ extrahitur viâ designatâ, paterna ejus Providentia sciat et possit per aliam viam restituere illum in finem intentum, exprimendo ex malis bona, et ex erroribus veritates, eâ nihilominus conditione, ut facti pœnitens cum filio prodigo sese iterum remittat in manus Patris confidenter; nec enim deserit eos qui se in ipsas conjiciunt. »

§ 377.

DEUS VOCAT ALIQUOS AD STATUM CLERICALEM.

Ulteriùs Deus, quos vult, *vocat ad statum clericalem*, seu ecclesiasticum, eosque per gradus, juxta numerum eorum qui a Tridentino, *Sess.* 23, c. 2, sub nomine Sacramenti Ordinis recensentur, scilicet ad Clericalem Tonsuram, deinde ad Ordines minores, Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi: mox ad Ordines majores, Subdiaconatûs, Diaconatûs, ac demum Presbyteratûs. Et ex his alium vocat in Papam, alios in Cardinales, alios in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, alios in Archidiaconos, Canonicos, Parochos; alios in Concionatores, Catechistas etc. Vid. Lud. a Ponte, t. 4, *de Perf. Christ.*, tr. 1, c. 6. Ita 1° docet S. Scriptura, *Hebr.* v, 4: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo,*

tanquam Aaron. Eph. IV, 11 : *Christus dedit Alios Pastores. Act.* XX, 28 : *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et *Luc.* VI, 17 : *Christus vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex illis, quos et Apostolos nominavit.* Sic et S. Mathias nonnisi ceteris Apostolis sortem hanc a Deo exorantibus ad Apostolatum vocatus fuit, *Act.* I, 26. Accedunt 2° PP. S. Gregorius, p. 1 *Past.*, c. 1, ait de Rectoribus animarum : « Ex se namque et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed suâ cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm assequantur. » S. Isidorus, l. 3 *Sent.*, c. 33, ait : « Vir ecclesiasticus, et crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, et dispensationem ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis, gubernandam suscipiat. » S. Bernardus, *Tr. de Convers. ad cler.*, c. 19, inquit : « Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. » S. Thomas, in *Ep. ad Hebr.*, docet : « Disciplina Dei non habet quòd quisquam sumat sibi honorem favore, pecuniâ, potentiâ... Sed debet vocari a Deo tanquam Aaron. » S. Bonaventura, l. 1 *Pharet.*, c. 11, monet : « Pavere debemus ad mandatum Christi, ut nemo hunc sibi sumat honorem, sed qui vocatus fuerit a Deo tanquam Aaron. » Ratio est 3° quia ex vocatione divinâ ceu radice dependet series gratiarum ad statûs ecclesiastici obligationes explendas requisita.

VOCATIO HÆC EST SUPERNATURALIS.

Scholium. Licèt Deus ad statum ecclesiasticum nonnullos præparet, præterquam per virtutes infusas, etiam per dotes, aut talenta naturalia, quæ non modò omnem irregularitatem impedientem a statu clericali excludunt; sed etiam ingenii, scientiæ etc. ; vocatio tamen ipsa debet esse vel interna per occultam inspirationem, vel externa per electionem canonicam, et supernaturalis quâ Deus aliquem eligat præ aliis, præparetque dotibus congruis ad sacra ministeria dignè et laudabiliter obeunda, et hoc exigit specialis hujus statûs perfectio et difficultas : quod ex modò dictis patet.

§ 378.

VOCATIO AD STATUM ECCLESIASTICUM VALDE MATURE EXPENDENDA EST.

Vocatio hæc ad statum *clericalem*, seu ecclesiasticum, maximè Prælatorum, multò magis quàm vocatio ad statum religiosum et sæcularem, maturo *consilio*, et implorato lumine cœlesti, expendenda est. Ita Ludov. a Ponte, *de Perf. Christ.*, tr. 1, c. 6, quantùm ad statum sacerdotalem, et tr. 7, c. 4 et 5, quantùm ad Prælatos. Nam 1° S. Scriptura maximam in Ecclesiasticis perfectionem requirit, uti patet ex I. *Tim.* III: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* etc.; *diaconos similiter pudicos* etc., etc.; Et *ad Titum* I: *Oportet Episcopum sine crimine esse* etc. Id quod etiam declarat Tridentinum. 2° Gravissimè hoc inculcant PP. S. Hieronymus, *Ep.* 1 *ad Heliodor.*, ait: « Quodsi te ad eumdem Ordinem (Episcopatûs, vel Sacerdotii) pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudeo de ascensu, timeo de lapsu; qui *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Scimus ita: sed junge quod sequitur. *Oportet autem hujus modi irreprehensibilem esse* etc. *Probet se unusquisque et sic accedat.* » Similia habet S. Augustinus, l. 19 *de Civ.*, c. 19; et copiosè S. Gregorius, p. 1 *Past.*, c. 1; item S. Bernardus, *Tr. de convers. ad Cleric.*, c. 29, declamat: « Curritur passim ad sacros Ordines, et reverenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentiâ, sine consideratione... Utinam magis turrim inchoaturi sedentes computarent, ne fortè sumptus non habeant ad perficiendum! Utinam qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut cælibatui dare nomina vererentur! Sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio meliùs nubere quàm uri, et salvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri sublimitate et deteriùs vivere, et districtiùs judicari. » Denique

S. Thomas, t. 2, q. 185, a. 1, ad 2, docet : « Ad statum episcopalem præexigitur vitæ perfectio... Sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. » Ex quo infert : « Est præsumptuosum quòd aliquis perfectum se putet, non autem quòd ad perfectionem tendat. » Et q. 184, a. 6, de omni Sacerdote, præsertim curam animarum habente, docet, licèt non sit in statu perfectionis tam insolubiliter, sicut Episcopus, esse tamen ex parte, in Ecclesiâ Occidentali, ratione annexi cœlibatûs, « et quatenus interior perfectio requiritur ut aliquis dignè actus exerceat (sui Ordinis vel curæ). » 3° Rationem dat idem S. D., a. 8 : Tum quòd attentâ difficultate bene operandi, difficiliùs hoc sit in Sacerdote sæculari « propter exteriora pericula : » tum quòd respectu Religiosi, nullo Ordine sacro insigniti, talis Sacerdos sæcularis est excellentior, propter ministerium Altaris, « ad quod requiritur major sanctitas interior, quàm requirat etiam religionis status. » Demum gravissimæ obligationes et officia, quæ Episcopis, Parochis, Canonicis, Beneficiatis et reliquis Clericis incumbunt, et quæ ab aspirante ad statum clericalem attentè considerari debent, satis probant, quàm maturo consilio in electione illius procedendum sit.

§ 379.

SIGNA VOCATIONIS AD STATUM CLERICALEM.

Ut autem electio hæc bene fiat, sequentia *signa divinæ vocationis* in subjecto assignari possunt.

I. *Conscientiæ puritas*, et anteactæ vitæ innocentia; nam Apostolus mandat Tito ut per civitates constituat Presbyteros *qui sine crimine sint.* Et post pauca ait : *Oportet Episcopum sine crimine esse.* Et ad Timotheum de Diaconis ait : *Sic ministrent nullum crimen habentes.* Et S. Hieronymus ait : « Non eo tantùm quo ordinandus est tempore, sine crimine sit et præteritas maculas novâ conversatione diluerit; sed ex

eo tempore quo in Christo renatus est, nullâ peccati conscientiâ mordeatur. »

II. Signum vocationis divinæ est *studium* et amor disciplinæ ecclesiasticæ ac amor proximi.

III. Statum ecclesiasticum et dignitates illius *ambire* ex sinistrâ intentione, propter honorem, divitias etc., signum manifestum est nullius vocationis divinæ, sed suggestionis illius qui volens sedere in monte Testamenti in profundum præcipitatus est.

IV. Deus communiter non *inspirat dignitatem Prælaturæ* ecclesiasticæ, nisi *per alios* ad quos electio ad illam pertinet. Eligendo autem potiùs inspirat resistere, quantùm potest, vel nonnisi præmissâ cum Deo et dignis consiliariis maturâ consultatione, electionem acceptare.

MONITUM CATECHISMI ROMANI.

Scholium. Plura de hac materiâ, maximè de Prælatione ecclesiasticâ, alibi dicentur, ubi de bono regimine Religiosorum tractabitur. Nunc sufficiat apponere verba Catechismi Romani, de Ordine inter alia dicentis: « Quamvis ex Apostoli sententiâ, I. *Cor.* 15, naturalis et divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat; tamen quæstûs et lucri gratiâ ad altare accedere, maximum sacrilegium est. »

§ 380.

DEUS ALIQUOS VOCAT AD STATUM RELIGIOSUM.

Denique Deus nonnullos ex specialissimâ gratiâ *vocat ad statum religiosum*. Ita Ludov. a Ponte, t. 3 *de Perf. Christi*, tr. 4, et alii Ascetæ passim. Qui est status fidelium, ad christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesiâ approbatus. Prob. 1° ex S. Scripturâ, ubi Christus, præter præcepta omnibus fidelibus

communia, proponit velut consilia magnæ perfectionis paupertatem, castitatem et obedientiam sub voto electa, in vitâ communi : sic, *Matth.* XIX, 11, sub metaphorâ eunuchorum se ipsos castrantium, consulit castitatem, dicens : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere, capiat.* Et, v. 21, juveni diviti omnia præcepta se custodîsse asserenti suasit paupertatem et obedientiam, dicens : *Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Ad quod Petrus, nomine omnium Apostolorum, ait : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Et, *Act.* IV, 31, narratur primos fideles hierosolymitanos magnâ ex parte hæc religiosa consilia observâsse; nam *multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* 2° Specialem hanc vocationis gratiam deprædicant PP. S. Dionysius, in *Eccl. hier.*, c. 6, Monachis summum inter fideles laicos locum assignat, propter perfectam abrenuntiationem, *quæ perfectissimam Monachorum philosophiam significat.* Eusebius, l. 1 *Demonstr. evang.*, statum monasticum dicit : « Naturam nostram et communem hominum vitæ rationem excedere. » S. Basilius, in *Constit. mon.*, c. 19 et 23 monasticæ vitæ cultores Christi et Apostolorum perfectos imitatores esse docet : « Siquidem discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, ut per eos formam relinqueret eamdem secuturæ posteritati. » S. Chrysostomus, *Hom.* 19, in *Matth.*, ait : « Monachus apostolicam vitam desiderat imitari. » Plura de præstantiâ vitæ monasticæ copiosè habet, in l. *de Vit. mon. et reg.* ac tribus libris *Cont. vituperat. vit. mon.* S. Hieronymus, *Ep.* 1, *ad Heliod.*, ait : « Cùm derelictâ militiâ te castrâsti propter regna cœlorum, quid aliud quàm perfectam secutus es vitam ? » S. Augustinus, l. 17 *de Civit.*, c. 4, memorato illo Apostolorum voto : *Ecce nos reliquimus omnia*, inquit : « Hoc votum potentissimi voverant : sed hoc eis, nonnisi ab illo, de quo dictum est, *dans votum voventi.* » Et de perfectione religiosâ mira docet, l. 1 *de Mor. eccl.*, c. 23

et 33. S. Gregorius, *in Regist.*, l. 2, ep. 100, edictum Mauritii imperatoris redarguit, quo prohibebantur milites Monachi fieri, inter alia dicens : « Plerique sunt qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possint. » Cassianus, in *Instit. cœnob.*, l. 2, c. 8, statuit ad normam primorum fidelium Monachismum a S. Marco in Ægypto institutum, et inde a Patribus propagatum fuisse. S. Bernardus, *Serm.* 46, in *Cant.*, ait : « In Ecclesiâ quidem lectum in quo quiescitur, claustra existimo esse et monasteria in quibus quietè a curis vivitur sæculi et sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cùm exemplis et institutis Patrum, tanquam quibusdam benevolentibus respersa floribus, fratrum conversatio et vita refulget. » S. Anselmus, l. 3, ep. 12, *de Consilio evangelico :* « Si vis perfectus esse, ait, hoc consilium magis in monastico quàm alio vitæ proposito impleri SS. Patres intellexerunt. » S. Laurentius, *Instit. de Disc. mon.*, c. 7, docet : « In humanis rebus et in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis Patriæ quàm monastica conversatio et congregatio divino cultui dicata. » Eodem modo loquuntur Gerson, p. 2, *Opusc. de Relig. perf. ;* Blosius, in *Apol. pro Thaulero*, c. 5 ; S. Catharina Senensis, *Dial.* 157, 158, dicens : « Hæc procul dubio fundata fuit a Spiritu S., positâ veluti secura navicula pro recipiendis animabus quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissimè perducat ad portum salutis æternæ : hujus naviculæ patronus verè Spiritus S. est. » Et S. Theresia, *Vit.*, c. 32, a divino sponso accepit : « Quantumvis Religiones sint relaxatæ, non putandum esse illas in modicum servitium Dei : quid esset mundo, nisi ob Religiosos? » 3° Ratio petitur ex S. Thomâ, 2, 2, q. 186, a. 1, sqq., ubi docet statum Religionis esse statum perfectionis ; esse multò perfectiorem statu purè sæculari : mancipare hominem totaliter cultui et servitio divino : expedire eum per vota religiosa a negotiis sæcularibus : certum esse, ingressum in religionem esse melius bonum, nec dubitari posse, propositum de hoc ingressu in corde exortum esse a Spiritu Dei. Ergo ad eum vocari specialissima gratia est. Deinde gratia

vocationis religiosæ eruit hominem ab ingenti periculo perdendæ animæ in vitâ sæculari : uti enim observat S. Bonaventura, in *Apolog. paup.*, per votum paupertatis concupiscentia oculorum, seu avaritia; per votum castitatis, concupiscentia carnis, seu luxuria; per votum obedientiæ, superbia vitæ declinatur, « in quâ triplici supererogativâ declinatione triplicis originis omnis mali, partem evangelicæ perfectionis consistere, et S. Scriptura insinuat et veri Doctores adstruunt, et SS. Patres Religionum Institutores affirmant. » Unde concludit : « Convolate ad urbes refugii, ad loca videlicet religiosa, ut possitis de præteritis agere pœnitentiam, in præsenti obtinere gratiam, et fiducialiter futuram gloriam præstolari.»

VOCATIO RELIGIOSA EST SIGNUM PRÆDESTINATIONIS.

Schol. I. Gratia vocationis ad statum religiosum juxta P. Plati, l. I. *de Stat. rel.*, c. 32, etc., pro signo prædestinationis haberi et æstimari potest ; nam, *Matth.* xix. 29, Christus promisit : *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* Accedit S. Laurentius Just., c. 7, *de Discipl. mon.*, dicens : « Securè speret post hanc peregrinationem ad illam supernam intrare Hierusalem, quicumque in Justorum congregationem (scilicet monasticam) fuerit vocatus : magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium. » Et auctor *Serm. ad frat. de Monte* inquit : « Moriens vix, aut nunquam aliquis (monachus) in infernum descendit, quia vix unquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in cellâ usque ad mortem persistit. » Et S. Arsenius, *in Vit. PP.*, l. 3, orans Deum : « *Domine, ostende mihi viam, per quam possim salvari,* audivit : *Arseni, fuge homines, et salvaberis ;* unde, relicto mundo, in eremum secessit. »

PROFESSIO RELIGIOSA EST QUASI ALTER BAPTISMUS.

Schol. II. S. Thomas, 2, 2, q. 189, a. 3, ad 3, docet per professionem religiosam, veluti per alterum baptismum omnium anteactæ vitæ peccatorum pœnas remitti, cujus privilegii, etsi ratio satis urgens dari non possit, ex comparatione tamen cum baptismo

vero factâ satis rationabiliter colligitur. Nam sicuti in baptismo ideo omnis reatus pœnæ tollitur, quia per eum consepelimur Christo in mortem, uti Tridentinum ait, sess. v, c. 5, ita per professionem religiosam homo, omnia relinquendo et Christum sequendo, cum eo moritur et sepelitur. Idem confirmatur ex visione illius Monachi ex vitis PP. a S. Thomâ citatâ, qui dixit: « Virtutem quam vidi stare super baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accipit habitum spiritualem. » Eodem modo loquuntur PP., inter quos S. Bernardus, l. *de Præc. et disp.*, c. 17, interrogatus, cur disciplina monastica secundum baptisma vocetur? respondit: « Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem.»

§ 381.

IN VOCATIONE RELIGIOSA MATURO CONSILIO PROCEDENDUM.

In *recognoscendâ* et executioni mandandâ divinà *vocatione ad statum religiosum* non temerè, sed cum consilio probi, docti et experti directoris spiritualis procedendum est. Ostendit hoc 1° S. Scriptura, ubi, *Luc.* XIV, 33, ad illud consilium religionis: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet*, etc., per duplicem parabolam hominis turrim ædificantis et regis bellaturi notatur, seriam de eo quod quis potest in re faciendâ, præmittendam esse considerationem. Et, *Matth.* XIX, 11, Christus ait: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Et, v. 12: *Qui potest capere, capiat.* Accedunt 2° PP. S. Basilius, *de Abdic. rer.*; et S. Laurentius Just., *de Discipl. mon.*, c. 3; aliique, § 351, citati. Unde etiam S. P. Benedictus, *Reg.* c. 58, præscribit: « Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus, si ex Deo est. Et Clemens VIII, in *Decret. pro recept. Nov.*, § 23, mandat: « ut Superiores diligenter inquirant, quo spiritu, quâ mente ac voluntate id regularis vitæ genus candidati elegerint; num zelo melioris frugis... an potiùs levitate. » Et Tridentinum, *Sess.* XXV, c. 15, *de Reg.*, integrum annum novitiatûs pro maturâ hac, et uti S. P. Benedictus ait, *morosâ* deliberatione faciendâ re-

quirit. Magistrum Novitiorum monet etiam idem Sanctus, ut prædicat Novitio *omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum* etc. 3° Ratio est quia status religiosus, ob eximiam suam perfectionem, ultra virtutes et dotes infusas, aut talenta naturalia, non solum instinctum, seu inclinationem naturalem, sed inspirationem supernaturalem requirit, de quâ aliquis sine maturo etiam optimi directoris consilio prudenter et sufficienter certificari nequit. Vocatio enim ignota, vel nonnisi leviter apparens, perinde est ac nulla, pro tantâ resolutione ad totam vitam, et ex quâ gravissima mala et scandala oriri possunt.

PROPINQUI IN HAC VOCATIONE SUBINDE MALE CONSULUNTUR.

Scholium. Crassus est error eorum qui, in consultatione de amplectendo statu religioso, consulunt amicos et propinquos, et alios qui deliberantem, rationibus mundanis carnis et sanguinis, imò diabolicè detrahentibus statui religioso, retrahunt: nam, *Matth.* x. 35, Christus ait: *Veni separare hominem adversùs patrem suum... inimici hominis domestici ejus: qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et, *Luc.* xiii, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem,* etc., *non potest meus esse discipulus.* Unde S. Hieronymus, *ep.* I, Heliodorum ad vitam monasticam excitans, ait: « Licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola: solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. » Similia habet S. Laurentius Just., l. *de Discipl. mon.*, c. 4, et S. Bernardus, *Serm. de Conv. ad Cler.*, ait: « Quantos mundi sapientia maledicto supplantat, et conceptum in eis extinguit ignem, quem voluerat Dominus vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere; diù considera; diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis: opus habes multâ deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. » Et S. Anselmus, l. 3, *ep.* 12, scribens alicui Episcopo quemdam a religione retrahenti, ait: « Horrendum est auditu, ut quos Christus elegit de mundo, Episcopus religet mundo: et quos Christus retrahit ad portum de procellis et tempestatibus mundi, hos Episcopus retrahat a portu in naufragos turbines mundi; et quos Christus abscondit in

ovili a multitudine insidiantium luporum, hos Episcopus rapiat et exponat multitudini luporum. »

§ 382.

REGULÆ PRO COGNOSCENDA VOCATIONE RELIGIOSA.

Pro maturo hoc *consilio* in recognoscendâ vocatione religiosâ sequentia signa et *regulæ* servient.

I. Attendendæ sunt *vires corporis et dotes animi*, ne quod impedimentum juris positivi aut naturæ a statu religioso prohibens obstet.

II. Requiritur *bona intentio*, nullo motivo lucri temporalis, ambitionis etc., vitiata; aliàs vocatio nulla et rejicienda est; ideoque Christus, *Matth.* VIII, 17, rejecit illum legis peritum, qui dixit : *Magister sequar te, quòcunque ieris :* quia non vocatus, et ex vitiatâ intentione se in discipulum obtulit : et sanè vitiata hæc intentio una ex potissimis causis relaxationis Religionum est.

III. Requiritur *interior impulsus* ex puro motivo *salvandi animam* propriam, qui, si ita vehemens fuerit sive a ratione præcipuè procedat, quod securius est, sive ab impetu voluntatis ut animus quietari non possit, nisi illi obediat, sed sentiat quòd illi sine speciali Dei displicentiâ et periculo animæ resistere non possit, sufficit ut vocatio divina censeatur : quia talis motio ex dictis motivis, nec a mundo, nec a dæmone, nec a carne esse potest, quorum suggestiones ex diametro sunt oppositæ. Ita S. Thomas, *Opusc.* 17, a. 10, docet : dato quòd angelus malus, transfigurans se in angelum lucis, incitet ad ingressum Religionis, scilicet ex bono motivo proposito, licèt mediatè pravam intentionem haberet, non esse periculum in hoc ei consentire, licèt vigilanter ei resistendum esset, quando mox ad malum incitaret : uti enim ex S. Augustino S. Doctor notat : « Talis suggestio efficaciam non habet nisi interiùs quis attrahatur a Deo... et sic Religionis propositum, a quocumque suggeratur, a Deo est. »

IV. S. P. Benedictus, *Reg.*, c. 58, a Novitio requirit, « ut verè Deum quærat, ut sollicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. »

V. Major consultatio requiritur, quando deliberatur an hæc potiùs quàm illa *Religio* hujus potiùs, quàm illius *Instituti* eligenda sit, ubi vires corporis, talenta et aliæ dotes candidati considerandæ sunt, et an disciplina regularis in eâ rite observetur.

VI. Denique *candidatus* a Directore bene *probandus* est per *Sacramentorum et exercitiorum spiritualium frequentiam*, confessionem generalem, et vitam virtuosè institutam etc.; de quibus videri possunt Ludov. a Ponte, l. 3, tr. 4, c. 11, et alii Ascetæ.

§ 383.

VOCATIO RELIGIOSA NON NEGLIGENDA, NEC DIU PROCRASTINANDA.

Vocatione religiosâ cognitâ, cavendum est ne illi *resistatur*, vel voluntariæ *induciæ* illi interponantur. Nam 1° aliàs illa S. Scripturæ comminatio meritò timenda foret, *Prov.* I, 24 : *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum... Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Item illud quod invitatis ad cœnam magnam et recusantibus venire contigit, *Luc.* XIV, 24 : *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Denique, *Luc.* IX, 60 et 62, duos ad se vocatos non permisit Christus vel minimùm exsecutionem remorari, licèt unus ad sepeliendum patrem, alter ad disponendum de rebus suis inducias peteret. 2° Ita docent PP. S. Hieronymus, *Ep.* 103, *ad Paulin.*, S. Chrysostomus, *Hom.* 56, *ad pop.* Et S. Anselmus, l. 2, ep. 29, ait : « Si et innocentibus et pœnitentibus melius est ad vitam monasticam venire et redire quàm abstinere, quid moraris? Si priùs de hac vitâ tolleris, damnum est irreparabile. » S. Bernardus, *Ep.* 105, 108, 109, et ejus discipulus, *Declam.*, c. 2, ait : « Cùm a Deo verbum esse

non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo?... Novi ego quænam sint quæ oportet fieri citò. Ab ore putei gehennæ eripior, et inducias petam, et retardabor, et cunctabor exire, si fortè interim fiat aliquid... Magnum omnino est quod offertur; sed eò utique libentiùs et festinantiùs suscipiendum, et obviis arripiendum manibus cum fervore et hilaritate. » Denique S. Laurentius Just., c. 7, *de Disc. mon.*, monet : » Facilè ab illâ Jerusalem cœlesti excluditur, qui ab hac Religionis vocatione fuerit segregatus. Ideo cum omni circumspectione et animi maturitate studeat, quisquis in hæc sancta collegia Deo dicata vocatus est, ne diaboli fallaciâ, aut suî negligentiâ, aut ignorantiâ, amoveatur ab illis. » 3° Ratio est, tum quia summa ingratitudo, rusticitas et contemptus est tam gratiosam vocationem recusare, et nihil connaturalius quàm quod Deus, nolenti acceptare hanc seriem vitæ ad securiorem perseverantiam, nolit aliam specialis gratiæ directionem concedere, quæ tamen ad donum perseverantiæ requiritur; tum quia taliter recusanti, eò quòd fortè sub præcepto non obligetur, Deus etiam id solum faciet, quod tantùm promisit, scilicet, subvenire illâ serie auxiliorum sufficientium, sed non efficacium, quibus perseverare et salvari potest, sed non perseverabit nec salvabitur.

§ 384.

VOCATIO SECUNDA EST SPECIALIS GRATIA.

Præter vocationem primam ad statum religiosum, specialissima etiam gratia est *vocatio secunda*, quâ quis in ipso hoc statu, fortè a spiritu suæ primæ vocationis deficiens, denuò potenter ad reassumendum priorem spiritum trahitur; maximè si huic vocationi effectus respondeat. Prob. 1° ex S. Scripturâ in illis septem epistolis, quæ jussu Christi a S. Joanne ad septem Angelos, id est Episcopos Asiæ, missæ sunt, *Apoc.* II et III, in quibus indicatur vocatio hæc secunda a minori ad

majorem perfectionis, et a tepore vel lapsu ad renovationem ferventis spiritûs, secundùm perfectionem primæ vocationis. Undè, in Epist. primâ monetur Angelus Ephesi, ut primam charitatem collapsam reparet; in secundâ, Angelus Smyrnæ, ut sit in virtute constans usque ad mortem; in tertiâ, Angelus Pergami, ut se fortiter gerat; in quartâ, Angelus Thyatiræ, ut imperterritè resistat; in quintâ, Angelus Sardicensis, ut pœniteat de morte animæ; in sextâ, Angelus Philadelphiensis, ut teneat quod habet; in septimâ, Angelus Laodicensis, ut sibi provideat ne a Deo ob suam tepiditatem evomatur : et demum Dominus concludit, v. 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam.* Ubi secunda vocatio etiam in statu religioso innuitur. 2° Patet ex PP. S. Basilius, ep. 45, Monachum a primâ vocatione deficientem, ut secundam audiat, hortatur : « Recordare boni Pastoris; ille namque te insequitur, ut velut e lupi faucibus eruat, etiamsi duo tantùm crura aut auriculæ portio supersint. » Et S. Bernardus, in simili casu, ep. 1, Robertum suum animat : « Habet quidem Christus multos milites, qui fortissimè cœperunt, steterunt, vicerunt : paucos autem qui, de fugâ conversi, rursus se periculo ingesserint quod declinaverant, rursus fugerint hostes quos fugiebant. Et quia omne rarum pretiosum, gaudeo te de illis posse esse qui quantò rariores tantò apparebunt gloriosiores. 3° Ratio est quia sicuti status religiosus perfectior est statu purè sæculari, ita etiam vocati ad hunc statum uberiori a Deo gratiâ donantur, ut suæ vocationi respondeant, in eâ perseverent, non cadant, vel si ceciderint aut intepescant, a lapsu vel tepore resurgant; quod fit per gratiam secundæ vocationis, quæ, non minùs quàm vocatio ad secundam justificationem et perseverantiam requisita, juxta Tridentinum, sess. 6, can. 22, specialis est.

AD VOCATIONEM SECUNDAM QUÆNAM SPECTENT.

Scholium. Ad hanc gratiam secundæ vocâtionis, sive perseverandi in bene cœptis, sive a lapsu et tepore resurgendi, præter auxilia

interna gratiæ, etiam auxilia externa statûs religiosi spectant, scilicet, Sacramentorum frequentia, oratio vocalis et mentalis, lectio sacra, exhortationes, jejunia et aliæ carnis macerationes, clausura, silentium, correctiones, paupertas, obedientia, exercitia spiritualia octiduana etc.; quæ omnia id præstant, quod ait S. Bernardus, *Serm. de Negotiatore quærente bonas margaritas:* « In Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs.

§ 385.

SECUNDÆ VOCATIONI OBEDIENDUM EST.

Secundæ huic *vocationi*, quâ Religiosus ad renovationem spiritûs vocatur, vel omnino *resistere*, vel per moram voluntariam non obsecundare, indicium *damnationis* est. Colligitur 1° ex S. Scripturâ, *Luc.* IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quod de primâ æquè ac secundâ vocatione S. Basilius, in *Const. mon.*, c. 21, intelligit. Cui etiam illa quorumdam discipulorum defectio consonat, *Joan.* VI, 67 : *Multi discipulorum ejus abierunt retro : et non jam cum Jesu ambulabant.* Uti docet S. Basilius, *Serm. de Abdic. rer.*, sub init. 2° Probatur ex PP. S. Augustinus, in *Ps.* 75, ait : « Nemo ergo positus in monasterio frater dicat : Recedo de monasterio, neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad regnum cœlorum, et illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur ei : Sed illi non voverunt, tu vovisti ! tu retro respexisti. » Et ut ostendat se non loqui de solis Apostatis, adducit exemplum uxoris Loth, quæ non retro rediit, sed retro respexit, et versa est in statuam salis. Et demum hortatur Religiosum, dicens : « Unum sit ex professione tuâ, aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum qui te ducit, et non respicias retro, unde te educit. Qui te ducit, ante ambulat; unde te eduxit, post te est. Ama ducentem, et non damna retro respicientem. Et Abbas Pynuphius apud Cassianum, l. 4 *Inst.*, c. 83, ait : « Sicut immensa gloria fideliter servientibus Deo ac secundùm

regulæ institutionem illi adhærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ gravissimæ præparantur his qui tepidè eam negligenterque fuerint exsecuti, et secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam çongruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint : melius est enim, secundùm Scripturam, *Eccl.* v, 4, non vovere quemquam, quàm vovere et non reddere. » 3° Ratio est : respondere primæ vocationi ad Religionem est tantùm signum incohatum prædestinationis, quatenus hæc vocatio hominem in viâ constituit, quæ, si bene teneatur, ad vitam planè conducit. Ergo si Religiosus ab hac viâ per conversionem ad mundum declinet, signum hoc evanescit et in signum damnationis vertitur, si secundæ vocationi, ad renovationem excitanti, vel resistat, vel voluntarias inducias illi ponat.

§ 386.

NONNISI RARO TRANSITUS AB UNA AD ALTERAM RELIGIONEM CONSULENDUS EST.

Rarò etiam coram Deo tutum est primam vocationem desc-rere, et in *aliam Religionem migrare*, multominus ad *sæculum*, non quidem apostatando, sed per viam permissionis, ad dispensationis Pontificiæ etc., allegando causas, vel primæ vocationis temerè susceptæ, vel seductionis aut violentiæ, vel inquietudinis in propriâ Religione tolerandæ, vel defectûs virium ad ejus austeritates supportandas, vel aspirationis ad Religionem perfectiorem etc. In quibus casibus magnâ et sincerâ consultatione opus est, et licèt aliquando fieri possit ut hæc mutatio expediat, uti fatetur S. Thomas, 2, 2, q. 189, a. 8; tamen quia rarò est causa coram Deo legitima, rarò etiam prædictus transitus sub prætextu majoris perfectionis consulendus est. Rationem dat S. Thomas, l. c., dicens : « Dicendum quòd transire de Religione ad Religionem, nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem, non est laudabile : tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui

relinquuntur : tum etiam quia faciliùs proficit aliquis in Religione quam consuevit, quàm in illâ quam non consuevit, ceteris paribus. » Ad confirmationem allegat S. Doctor Cassianum, qui ex Abbate Nestorete, *Coll.* XIV, c. 1, docet : « Hoc unicuique utile ac conveniens est, ut secundùm propositum quod elegit, sive gratiam quam accepit, summo studio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet : et aliorum quidem laudans admiransque virtutes, nequaquam a suâ, quam semel elegit, professione discedat. Nec enim ulla membra aliorum sibi membrorum possunt ministeria vindicare, quia nec oculi manuum, nec nares aurium utantur officio. » Accedunt S. Basilius, in *Const. mon.*, c. 34; S. Bernardus, *Tr. de Præc. et disp.*, c. 16, et *Ep.* 1 *ad Robert.* ; S. Laurentius Just., *de Disc. mon.*, c. 23; Card. Bona, *de Princ. vit. christ.*, c. 41.

COROLLARIA.

Scholium. Ex hoc sequitur 1° quòd is qui, agnitâ suâ tepiditate, renovationem sui spiritûs desiderat, eam juxta normam primæ suæ vocationis in suo Ordine securiùs obtinere possit, quàm in alieno, si nimirum primo et puro fervore exercitia sui muneris impleat, orationi et mortificationi diligenter incumbat, Directoris sui monitis obediat, et exempla perfectiorum et Sanctorum sui Ordinis imitetur. 2° Si prima vocatio sive ad Religionem in genere, sive ad hanc in specie, fortè inconsiderata fuit, vel etiam nulla, usurpet præsentem vocationem, ac si prima esset, et in tuto erunt omnia. 3° Hoc modo fiet, ut nec de annullandâ, nec dispensandâ statûs Religiosi obligatione, nec de transitu ad aliam Religionem, multò minùs ad vitam sæcularem et laxiorem, cogitet. 4° Imò etiam Novitius non cogitabit de habitu sponte dimittendo; si enim periculosum est vocationi suæ non respondere, quid erit post executionem Deo terga vertere? Sane ultionis divinæ casus in ejusmodi desertores non rari sunt, de quibus testatur S. Augustinus, *in Ps.* 75, dicens : « Nam et illud dicimus quibusdam fratribus nostris, quos fortè viderimus velut infirmari in proposito bono : et talis vis esse, qualis ille ? Objicimus illis quædam, qui retro respexerunt. Illi infatuati sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur ut illorum exemplum timentes, illi retro ne respiciant. »

§ 387.

IN RELIGIONE NON TEPIDE VIVENDUM EST.

Non tamen sufficit in statu Religionis secundùm primam vocationem perseverare, in eâque *tepidè et laxè* vivere, nisi Religiosus, secundæ vocationi respondendo, ad perfectionem excitanti, excusso tepore, *in spiritu fervere* studeat. Conqueritur de hoc 1° S. Scriptura, *Jer.* II, 15 : *Quid est, quòd dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa?* Et, *Is.* XXVI, 10, minatur : *In terrâ Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.* 2° Gravissimè in tales invehuntur PP. S. Basilius, in *Inst. mon.*, serm. 1; Cassianus, *Coll.* 1, c. 6; S. Laurentius Just., *de Obed.*, c. 19, et S. Bernardus, *Serm.* 2, in cap. Jejun., dicens : « Corporis conversio, si sola fuerit, nulla erit: forma siquidem conversionis est ista, non veritas, vacuam virtute gerens speciem pietatis. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum qui omnia corrodit. Manet tonsura, vestis nondum mutata est; jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis, sed cor longe est a me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas vel contristeris; et sub habitu Religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. » Item V. Blosius, in *Apol. pro Thaulero*, c. 5, vers. fin, ex doctrinâ hujus illuminati viri tepidos Religiosos ita describit. » Nullo erga Deum atque divino studio, nullâ diligentiâ, nullâ strenuitate fervent... Satis verò creaturæ eis placent et sapiunt : his videlicet delectantur, has amore prosequuntur... Atque ita se totos foràs effundunt, moribus incompositi, sensibus incustoditi, in loquendo garruli, stolidique. » Nec admittit pro excusatione quòd tales nolint peccare mortaliter, et externa Religionis officia expleant, si amorem, cor et intentionem creaturis tribuant, sed subdit : « Si in hac impœnitentiâ et vitiorum suorum periculosâ ignorantiâ permanserint, nunquam Dei

faciem sunt conspecturi. » Ubi Blosius addit : « Audiant, et in animos suos demittant ista Thauleri verba Religiosi negligenter viventes. » 3° Ratio est quia nihil prodest in statu perfectionis esse, qui obligat ad perfectionem singulariter supra perfectionem sæcularium tendere, si quis suæ obligationis immemor, omni spiritu vacuus, vix in alio quàm habitu externo a sæcularibus differat.

COROLLARIA.

Schol. I. 1. Qui in statu religioso non religiosè vivit, frustra de Religionis suæ perfectione gloriatur, et alios status, maximè Religiones non ita austeras, pessimè contemnit. 2. Non religiosè viventes non solùm sunt relaxati, et in peccata certò gravia labentes, sed etiam tepidi et negligentes proficere in perfectione sui statûs. 3. Medicina pro tam exitioso statu unica est, executio renovationis, ad quam vocatio divina sollicitat : scilicet solum Deum in exercitiis spiritualibus et religiosis toto corde quærere, et novam vitam verè spiritualem, discussâ omni pigritiâ, metu et fictâ impossibilitate, instituere.

RELIGIOSUS STATUS EST CONTINUUM MARTYRIUM.

Schol. II. Perseverantia in fervore statûs religiosi Patribus et Mysticis ansam præbuit, ut eum pro continuo quodam martyrio haberent. Ita loquitur S. Hieronymus, ep. 27, de S. Paulâ ad filiam suam Eustochium : « Mater tua longo martyrio coronata est : non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur : sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Et S. Bernardus, *Serm.* 1, *de OO. SS*, vitam religiosam vel ob paupertatem, vel ob mortificationem internam et externam martyrii genus esse asserit. Et S. Theresia, in *Viâ perf.*, c. 12, ait. « Nescitis, sorores, vitam boni Religiosi, et qui vult esse de strictioribus amicis Dei, longum esse martyrium? » Et denique card. Bona, *de Princ. vit. christ.*, c. 40, ait : « Dicebat quidam vir sanctus, nullum esse Religiosum in cœlis, qui non fuerit Martyr in terris : vita quippe Religiosi, ad præscriptum suæ regulæ strictè viventis, incruentum martyrium est. Causa verò potissima, ob quam plerique in Religione irregulariter vivunt, ex defectu considerationis oritur : quia nec perpendunt, nec penetrant, quanta sit statûs religiosi sublimitas, et quam noxia sit omnis vel minima re-

gularis disciplinæ relaxatio : hinc verò paulatim provenit propriæ vocationis oblivio. »

ADHORTATIO AD SEQUENDAM VOCATIONEM RELIGIOSAM.

Corollarium. Studeat proinde unusquisque vocationi suæ promptè ferventer et perseveranter respondere, maximè vero Religiosi, quibus suo exemplo Apostoli, perfectissimæ vitæ religiosi executores, in lege gratiæ præluxerunt. Vocati sunt, *Matth.* IV, 19, Petrus et Andreas, et mox, v. 21, Jacobus et Joannes ; *illi autem statim, relictis retibus, secuti sunt eum.* Vocatus est, *Matth.* IX, 9, Matthæus de telonio, *et surgens secutus est eum.* Quæ sequela non tam in abrenuntiatione corporali quàm spirituali consistebat ; nam, uti monet Abbas Paphnutius apud Cassianum, *Coll.* 3, c. 7 : « Nihil nobis proderit abrenuntiatio corporalis, et localis quodammodo transmigratio ex Ægypto, si renuntiationem cordis, quæ sublimior et utilior est, non valuerimus similiter obtinere. De illâ enim abrenuntiatione corporali, quam diximus, ita pronuntiavit Apostolus : *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* « Quod B. Apostolus nunquam dixisset, nisi quia futurum spiritu prævidebat, ut aliqui, facultatibus universis in pauperum alimenta dispersis, ad perfectionem evangelicam et charitatis arduum culmen pervenire non possent, quia scilicet pristina vitia morumque incontinentiam, vel superbiâ, vel impatientiâ dominante, in suis cordibus retinentes, nequaquam se ab illis expurgare curarent, et ob id ad charitatem Dei, quæ nunquam cadit, minimè pervenirent. »

§ 388.

SIGNA VOCATIONIS RELIGIOSÆ.

Signa ordinaria de quibus hìc loquimur hæc sunt præcipuè :

Primum signum consistit in fine : *Primum signum*, ait S. Bernardus senensis, *est voluntas bona ;* finis autem hujusmodi duplex est : Unus *generalis* qui est fuga ab illecebris mundi, desiderium perfectionis etc. ; alter *particularis*, id est proportionatus Religioni et Ordini qui eligitur, uti in *activis* amor acquirendi charitatem Dei exercendo charita-

tem proximi; in *contemplativis*, amor contemplationis ac solutidinis; in *mixtis*, complexus utriusque amoris; finis enim opus probat ac scrutatur.

Alia signa sunt *a posteriori* ut aiunt, effectus nempe vocationis ipsius, v. g. jucunditas mentis ex consideratione Religionis, propositum cavendi a circumstantiis peccatorum, Sacramentorum frequentia etc. : sunt enim veluti novi statûs præludia.

Imò etiam *occasio mala* potest esse aliquo sensu vocationis inductivum : ut dehonoratio, ægestas quæsita etc.; Deus enim scit ex malis bona eruere; et ita plurium Sanctorum vocationem contigisse legimus. *Sæpe evenit*, ait Macharius, *Hom.* 32, *ut* Deus *tribulationibus hominem exagitet, ita ut is qui omnia sibi infeliciter procedere videt, ita secum ratiocinari incipiat : quandoquidem in mundo consequi non possum quæ volebam, ecce mundum relinquo et ad Deum accedo.*

§ 389.

EXAMINATA VOCATIONE, MAGISTER, DISCIPULI SUI TEMPERAMENTUM NATURALE COGNOSCERE STUDEAT. — TEMPERAMENTUM QUID?

Licèt omnes complexiones sint, absolutè loquendo, æqualiter per gratiam ad finem supernaturalem dirigibiles, non tamen æquè faciliter omnes eò diriguntur. Est autem *temperamentum aggregatum ex mixtione quatuor humorum*, videlicet, *sanguinis, bilis flavæ, bilis atræ et pituitæ.*

QUOTUPLEX.

Schol. I. *Sanguis* hìc sumitur pro illâ parte massæ sanguineæ, quæ, factâ crebriori per corpus circulatione, magis est elaborata, calida et humida. *Bilis flava* est pars magis excocta, calida et sicca. *Bilis atra*, seu melancholia, est pars ex concoctione in corde et hepate remanens, frigida, crassa, terrea et fœtulenta. *Pituita* est pars necdum multùm excocta, crudior et alba, humida et frigida.

Ex hoc quatuor communiter temperamenta principalia a philosophis et medicis statuuntur. Primum est *cholericum*, seu igneum, in quo flava bilis, calor et siccitas prædominantur. Secundum est *phlegmaticum*, seu aquatum, in quo pituita, frigus et humiditas superant. Tertium est *melancholicum*, seu terreum, in quo atra bilis, frigus et siccitas prævalent. Quartum est *sanguineum* vel æreum, in quo sanguis, calor et humiditas dominantur. Ex his alia temperamenta, v. g., sanguineo-cholericum etc., consurgunt, cùm rarò pura omnino in homine reperiantur.

SIGNA TEMPERAMENTORUM.

Schol. II. *Signa* temperamenti *cholerici* sunt, corpus durum, gracile, nigrum, pauca saliva, facies subnigra, vox velox et præceps, pulsus vehemens, somnus paucus et interruptus, somnia bellicosa. Temperamenti *phlegmatici*, corpus carnosum, crassum, multa saliva, nasi multa excrementa, canities præcox, tarda concoctio, facies alba, vox acuta, pulsus tardus, somnus multus et suavis, somnia de aquis. Temperamenti *melancholici*, corpus tenue, asperum, facies nigra, vox demissa et timida, pulsus tardus, somnus turbulentus, somnia tristia. Temperamenti *sanguinei*, corpus hirsutum, carnosum, molle, agile, cito crescens, sudoriferum, facies rubra, amœna, vox firma, dulcis, querula, pulsus fortis, somnus multus et suavis, somnia jucunda.

§ 390.

CHOLERICORUM AFFECTIONES.

Cholerici ad iram, rixas, odium, invidiam et ambitionem sunt proclives. Ira verò moderata, choleræ moderatæ subsidio, principium est magnanimitatis, constantiæ, virtutis et fortitudinis, neque ullum opus eximium et arduum sine cholerâ incipi aut perfici potest. Si cholericus sanctitatem colit, ac perseveranter perfectioni et humilitati studet, in pœnitentiis est constans, in operibus heroicis magnanimus, in oratione indeficiens, in obedientiâ promptus : at verò si cholericus ad vitia declinat, est contumax, protervus et incorrigibilis, mavult mori quàm humiliari; contentiosus est et cerebrosus; castigatus, vitia occultat, non corrigit.

§ 391.

PHLEGMATICORUM AFFECTIONES.

Phlegmatici conditionis sunt gravis et quietæ, atque in suis actionibus tardi. Si insignes evadant, alitur per hanc complexionem prudentia, non verò sapientia quæ a scientiâ oritur. Hi melioris judicii quàm intellectûs esse consueverunt. Si qui alii, ratione temporis vel senectutis, tranquilli et phlegmatici fiunt, cùm in juventute cholerici extitissent, ob longam negotiorum oppidò gravium quæ peregerunt experientiam, magnâ et eximiâ prudentiâ gaudent : qui verò in juventute perinde ac in ætate virili sunt phlegmatici, solent esse insigniter insipientes, simplices, faciles, levis admodum intellectûs, et incapaces tam ad litteras, quàm ad sanctitatem, nisi gratia defectum suppleat.

§ 392.

MELANCHOLICORUM AFFECTIONES.

Melancholicorum duæ species numerantur. Alii sunt *Melancholici cholerici* et adusti, quorum melancholia conficitur ex fæcibus sanguinis : unde terrestris est, nigra, frigida et spissa; quæ si a cholerâ accendatur, et prædominetur, homines reddit insanos, furibundos, proditores, audaces, vindicativos, crudeles et ad omne malum proclives. Hi, si orationi mentali se dedant, in illusos duræ cervicis et conditionis deveniunt; unde tempestivè ab oratione retrahendi sunt, ne aliàs suis imaginariis revelationibus insaniant. Alia est *Melancholia*, quæ a flore *sanguinis* effluit, et est minùs terrestris, minùsque habens frigoris et plus caloris. Præterea nonnullos spiritus sanguineos continet, qui melancholicum docilem, blandum et lenem faciunt. Hujusmodi melancholia moderatam secum tristitiam affert, tranquillitatem in actionibus, profunditatem

in discursu, pondus et maturitatem in judicio, nec ullum magnum, prudentem et sapientem hominem reperies, qui aliquid hujus melancholiæ non habeat, quâ etiam in senectute illi gaudent, qui in juventute cholerici fuerunt. Qui hoc humore insigniuntur, ad magnos consiliarios, gubernatores et profundos litteratos sunt idonei, et si spirituales esse studeant, ad magisterium spiritûs apti erunt, utpote qui plerumque sunt prudentes atque discreti.

§ 393.

SANGUINEORUM AFFECTIONES.

Sanguinei sunt in pueritiâ et juventute selecti temperamenti ob prædominium humiditatis in sanguine : solent quidem esse tardiores ad capiendum, donec a siccitate choleræ sanguis acuatur et depuretur : tunc verò solent esse acuti, habiles, amabiles, et plurimùm humani. Proinde sunt ad sensualitatem nimiùm proclives, alias etiam delitias appetunt, et virtutibus pœnalibus vehementer repugnant : haud tamen difficulter obedientiæ, lectioni spirituali et orationi sese accommodant. Si Magister illos per viam ingenio accommodam ducat, multùm et celeriter in divino servitio progrediuntur. Sunt tamen in bono æquè ac in malo inconstantes : bene custoditi, evadunt servi Dei; at sibi ipsis relicti, si juvenes sint, et sæcularibus fiant familiares, perduntur. Vitia eorum ordinaria sunt amicitiæ privatæ, cupediæ et puritas non satis cauta : si verò bene custodiantur, sancti fiunt.

§ 394.

COGNITO TEMPERAMENTO, ATTENDAT MAGISTER QUAS AMICITIAS DISCIPULO PERMITTERE POSSIT. — AMICITIA QUID?

Perspecto temperamento discipuli, Magister eum instruere poterit, quomodo *passiones inordinatas* ex temperamento natas

per virtutes *vincere* debeat. Quia verò ad virtutes comparandas plurima externa auxilia multùm juvant, ut privatas pravas amicitias et sæcularium mala commercia fugere, ideo Magister providè attendere debet quasnam amicitias et quænam commercia discipulo suo permittere aut prohibere debeat. Quod ut rite præstet, modò de hoc agendum est. Est igitur *amicitia* in genere *mutua, manifesta et gratuita benevolentia inter aliquas personas quæ sibi invicem bene volunt et se mutuò bonis cumulare cupiunt.* Quibus verbis patet 1° discrimen esse maximum inter amorem propriè dictùm et *amicitiam :* ille enim esse potest etiam non mutuus, imò etiam non notus personæ quæ amatur, et ideo fit ut in amicitiâ semper sit amor, sed non semper in amore amicitia; 2° ad amicitiam requiri mutuam honestorum bonorum communicationem sine quâ subsistere nequit amicitia : imò corruptela potiùs dicenda foret quàm vera amicitia; 3° mutuum amorem illum gratuitum esse debere; qui enim privatam utilitatem respiceret, mercenarius esset, non amicus; non debemus amare, ait Augustinus, quomodo audimus gulosum : amo turdos : quæris, quare amat? Ut occidat et consumat.... amicitia est quædam benevolentia, ut aliquid præstemus eis quos amamus. *Tr.* 8 *in Joan.* Unde societas, quæ a mercatoribus initur ad mutua sociorum lucra, et confœderatio, quæ a principibus ad mutuum interesse seu rationem statûs instituitur, potiùs ars quædam quæstuosa quàm amicitia est. Sic ea necessitudo quæ fundatur in delectatione etiam innocenti, capta ex formâ speciosâ, indole liberali, mutuo convictu inter duos ejusdem vel diversi sexûs, est recreatio potiùs quàm amicitia, nisi primariò in honestum feratur, et solùm consequenter utilitatem et delectationem sublimiorem spectet : si autem deturpetur, et amor sit ex mutuo consensu ad turpia, nullo modo amicitia, sed pseudoamor, pseudoamicitia, et verum odium erit; cùm non sit velle bonum, sed malum. Ex quo sequitur, quòd sola amicitia honesta sit vera, et simpliciter talis, quæ sola amicum simpliciter bonum efficit, et eò plus minùsve vera amicitia est, quò plus minùsve perfectæ honestatis habuerit.

AMICITIA QUOTUPLEX?

Schol. Amicitia alia est *naturalis*, quæ fundatur in honestate morali, naturali, vel philosophicâ, quâ mutuò se amant, inclinatione naturæ, germani fratres, genitores et geniti, maritus et uxor, contubernales in officio, præcipuè in litteris etc. Alia est *supernaturalis* et theologica, quæ procedit ex principio et motivo supernaturali ad finem supernaturalem; uti si amor in mox dictis uniatur cum charitate christianâ, multòque magis, si amicos charitate perfectâ junctos ducat ad perfectionem et profectum spiritualem. Alia est *universalis*, seu amor charitatis, quo omnes proximos complectimur, qui vera amicitia dici potest, quatenus est amor non concupiscentiæ, sed amicitiæ, licèt fortè in multis desit complementum amicitiæ ex defectu redamationis, communicationis etc. Alia est *privata*, seu amor charitatis, quo unus alterum præ alio complectitur: v. g., consanguineos, concives etc. quæ utraque iterùm vel naturalis, vel supernaturalis esse potest. Amicitia privata, vel in *bonam partem*, si verum honestum spectet, esse potest; vel in partem malam, quæ nonnisi abusivè amicitia est, et est «sodalitas paucorum vel ab affectu, vel a pravâ voluntate, dæmonis astu, per conjurationem clandestinam conflata, ad moliendum aliquid quod sit contra leges.» Ita Nigronius *Tr. de pecul. amicit.*, c. 1.

§ 395.

AMICITIA PRAVA IN RELIGIONE MAXIMÈ FUGIENDA.

Amiticia privata in malam partem omnino *reprobanda* est, maximè in familiis religiosis. Prob. 1° ex S. Scripturâ. *Eccli.* VI, 7, dicitur: *Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facilè credas ei. Est enim amicus secundùm tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Est amicus, qui convertitur in inimicitiam; et est amicus, qui odium, et rixam, et convitia denudabit. Est autem amicus mensæ, et non permanebit in die necessitatis.... Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende.* Et *Matth.* V, 20: *Quòd si oculus tuus dexter* (id est amicus et consiliarius, juxta S. Augustinum etc.) *scandalizat te, erue eum et projice abs te* etc. 2° Probatur ex PP. S. Basilius, *Serm.* 1 *Ascet.*, ait: «Porro in hoc communi con-

tubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri seorsim aut amicitias, aut sodalitates : si quidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis quàm in illam propendent partem, plurimùm incommodent communi omnium concordiæ. » S. Chrysostomus, *in* II *Thessal.*, hom. 2, ait : « Nunc apud multos invenimus esse dilectionem, at ita, ut illa ipsa dilectio dissidii causa sit. Quando enim bini vel terni conjungimur, et duo quidem, vel tres, vel quatuor vehementer colligamur, a reliquis verò nos ipsos avellimus, dum ad istos refugium habemus, de istis omnia præsumimus, illud charitatis est divisio, non charitas. Nam dic mihi, si oculus omnem providentiam et curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis omnibus membris contemptis, uni isti intenderet, an non totum perderet? absque dubio. Ita et nos etc. » S. Salesius, in *Vit. dev.*, 3 p., c. 20, monet : « Oportet invigilare, ne seducamur amicitiis id genus, maximè dum contrahuntur personas inter sexûs diversi quocumque sit prætextu : quandoquidem Satanas vitiat sæpè amorem sic se amantium. Incipiunt amore virtuoso ; at nisi abundet prudentia, mixtura fiet frivoli amoris, mox amoris sensualis, demumque amoris carnalis. » Videri etiam potest S. Joannes a Cruce, *Noct. obsc.*, l. 1, c. 4. 3° Ratio est quia amicitia privata in malam partem accepta, et in malum etiam indirectè inclinans, nulla est amicitia, quoniam non vult bonum, sed malum. Nec est amicitia christiana, quæ in amore mutuo charitatis supernaturalis propter Deum et in ordine ad Deum fundatur. Ergo omnino, maximè verò in religiosis familiis, cùm nullo modo sit religiosa, et a perfectione penitùs desciscat, reprobanda est.

§ 396.

AMICITIA PRIVATA CUM CONSANGUINEIS VITANDA.

Porro descendendo ad amicitias privatas speciales, *primò* amicitia privata erga *consanguineos*, sive sæculares, sive simul

in Religione fratres, maximè a Religiosis vitanda est. Nam 1° illis potissimùm in S. Scripturâ, *Luc.* XIV, 26, dicitur : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem... et fratres, et sorores... non potest meus esse discipulus.* Et *Matth.* VIII, 22 : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* 2° Ita præscribunt PP., inter quos S. Basilius, *Serm.* 1, *Ascet.*, ait : « Quòd si quis inventus fuerit, qui majori quâdam animi propensione Monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quâvis de causâ videatur diligere, hunc castigare oportet, ut injurium publicæ charitati. » Plura habet in *Const. mon.*, c. 21. V. Blosius *in dictis* PP., c. 16, ex Thaulero, *Serm.* 3, *post. Trin.*, monens : « Inconsideratè et stultè agunt, qui sensualem hominum amicitiam expetunt, sive sint consanguinei, sive affines, sive alii; et inordinatè invicem singularem quemdam amorem concipiunt, eumque alunt et augent, quibus possunt modis : id enim malum exitum sortiri, et inquietudines, curas, gravamina, aut etiam impuritatem cordis adducere solet, maximè si diversi sexûs homines hujus modi amicitias inter se colant. » 3° Ratio est quia facilè amor carnis et sanguinis erga hujusmodi personas excedit, et prævalet contra purè spiritualem, qualis præsertim in Religiosis esse debet.

COROLLARIA.

Schol. S. Thomas 2, 2, q. 26, a. 7, ad. 1 notat : « In propinquis nostris non præcipimur odisse, quod propinqui nostri sunt, sed hoc solùm, quòd impediant nos a Deo, et in hoc non sunt propinqui, sed inimici secundùm illud, Matth. x, 35 : *Inimici hominis domestici ejus.* » Nam si quis, v. g., fratri suo vellet conferri honorem, aut aliquid supra meritum ejus, erit acceptio personarum, veræ amicitiæ spirituali contraria. Item si quis ab attentione sui statûs religiosi, ob nimiam et teneram communicationem cum suis consanguineis, distrahatur, quod frequenter contingit, certè hæc nec vera, nec spiritualis amicitia erit. Hinc tot Religiosi extra casum necessitatis jure naturæ erga suos parentes, vel ejus prætextu abutuntur, vel illud ad fratres, et sorores, et nepotes, et neptes extendunt, ut eorum penuriæ cum inquietudine, vel periculo

propriæ vocationis provideant. Hinc anxia illa sollicitudo, quâ non pauci Religiosi casibus modò prosperis, modò adversis, suorum consanguineorum tanguntur : illæ litteræ, illæ blanditiæ, illæ lacrimæ. Religiosus mundo mortuus est, mundo crucifixus est, et illi mundus; quid illi cum mundanis, quibus ab exordio vocationis suæ simul ac mundo renuntiavit?

§ 397.

AMICITIA PRIVATA ERGA CONTERRANEOS VITANDA.

Secundò. Amicitia privata inordinata erga *conterraneos* omnibus, maximè verò Religiosis, vitanda est. Nam 1° S. Scripturâ, *Rom.* x, 12, docet : *Non est distinctio Judæi et Græci, nam idem Dominus omnium qui invocant illum.* Et Propheta Ecclesiam describens, *Ps.* XLIV, ut reginam in vestitu deaurato, circumdatam varietate, clamat ad aures animæ specialiter a Deo vocatæ, v. 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Ne scilicet reginæ vestis, circumdata pulchrâ nationum varietate, lacera sit fœdâ divisione. 2° Accedunt PP. S. Chrysostomus, *Hom.* 77, *in Joan.*, ait : « Ecce dilectionis excellentia, quo pacto unum insuperabilem et multiplicem reddat, et unus in multis simul locis, et in Perside, et Romæ esse possit : et quod natura non potest, dilectio potest, et pars ejus hìc, pars illic est, vel potiùs totus utrobique. » Simus, uti S. Gregorius Naz. *Or.* 28, n. 35, ait : « Est mihi, o viri! circumscripta patria, cui et omnis terra, et nulla terra patria est? Verendum tibi est, ne a verâ patriâ excidas, ad quam omnis vitæ functio referenda est. » 3° Ratio est quia nihil magis a ratione alienum, nedum ab omni specie Religionis, quàm cæco nationali impetu abripi, et ad hoc tantùm attendere, an alius sit ejusdem nationis, provinciæ, vel oppidi, ut contemptis aliis omnibus præferatur, quo modo vitium acceptionis personarum committitur : « quia non attribuitur alteri aliquid propter aliquam causam, quæ eum faciat dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. » Uti S. Thomas docet, 2, 2, q. 63, a. 1.

MALA EX HAC AMICITIA PROVENIENTIA.

Schol. Licèt amicitia privata erga conterraneos, juxta leges naturæ et gratiæ benè temperata, possit esse laudabilis, uti in illis, qui sacrificant se bono spirituali patriæ suæ, quæ forsan est in infidelitate aut hæresi, sæpe tamen sistit in aliquâ dulcedine, quâ natale solum nos allicit, et facilè inordinata evadit, nisi frænetur, prout Christiano et maximè Religioso convenit. Hinc enim oritur illa, præsertim tempore belli, vel etiam pacis, irregularissima inter ipsos Regulares passio pro natione propriâ contra extraneas, quæ in loquendo et operando sæpe portenta parturit, et in dissidia erumpit. Quinimo hæ amicitiæ privatæ conterraneorum charitatem erga singulos fratres in Domino dilacerant, et totas domos ac familias religiosas scindunt et seditionibus implent.

§ 398.

AMICITIA PRIVATA NON SATIS DECORA SENIORUM CUM JUNIORIBUS VITANDA.

Tertiò. Amicitia privata *seniorum cum junioribus vitanda est*, si minùs decora sit, et tantùm in humano affectu, et forsan in motivo frivolo indolis, oris, speciei etc., fundetur. Sic 1° S. Joannes in exordio suæ secundæ epistolæ scribit : *Senior Electæ Dominæ et natis ejus, quos ego diligo in veritate.* Ostendens se cum sanctâ hac matronâ et natis ejus nullam aliam amicitiam nisi in Domino habere velle. Item casus Davidis senioris et quinquagenarii juniorem Bethsabeam incautè aspicientis, II *Reg.* xi. Lapsus seniorum in visione Susannæ junioris, *Dan.* xiii. Et factum Sodomitarum, *Gen.* xix, 4, perversissimè captorum *a puero usque ad senem.* Pulchra species juvenum, licèt Angeli fuerint, seniores meritò a minùs cautâ et decorâ amicitiâ privatâ cum junioribus deterrere debet. 2° S. Basilius, *Serm.* 1, *Ascet.*, ita nos instruit : « Plerumque in adolescentum corporibus tametsi summopere in continentiâ colendâ macerare se studeant, nescio quomodo naturalis ætati illi coloris quasi decor quidam efflorescit in quem qui inspexerint, ii libidinum plerumque stimulis solent

permoveri. » Deinde monet, non spectandum in Monacho ad senilem ætatem : « Siquidem fieri potest, ut canis aliquis ac rugis oppletus, juveniles tamen mores obtineat. » S. Bernardus, vel alius, in *Formul. hon. vit.*, n. 6, monet : « Consortia juvenum, et maximè illorum qui imberbes sunt, in quantum convenienter poteris, devita. » S. Pachomius in regulâ sibi ab Angelo traditâ, c. 90, præscribit : « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei ; si non cessaverit, corripietur, ut dignus est, correctione severissimâ. » Denique in ordine ad diversum sexum S. Bonaventura, *Opusc. de inform. novit.*, c. 39, pronuntiat : « Si meum consilium non spernis, consulo quòd nunquam cum aliquâ muliere contrahas singularem familiaritatem, etiamsi religiosa sit, vel sancta ; quia excepto periculo carnalis attentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum non timetur malum quod sub specie boni latet ; exceptâ etiam maculâ infamiæ et suspicionis, quam alii ab hoc sæpe concipiunt, magnam generat inquietem cordis talis privata affectio. » Videri etiam potest opusc. *de Reform. mentis*, c. 23. 3° Ratio est quia amicitia inter seniores et juniores, etiam tantùm philosophica, præterquam quòd in honesto fundari debeat non debet facere æqualitatem quasi parium, sed proportionem imparium, scilicet in seniore cum doctrinâ et bono exemplo, et in juniore cum reverentiâ et docilitate. Si verò inter eos christiana et religiosa amicitia sit, nil in eâ puerile, sed solùm quasi paternus et facilis amor in charitate Christi redolere debet ; aliàs enim periclitabitur bonum nomen senioris, et reipsà, si minùs circumspectè cum juniore, sive ejusdem, sive diversi sexûs, agat, nihil non illi timendum erit, utpote quem non canities, sed Spiritus Dei bene custoditus securum reddit : sæpe enim vidimus aliquos ob nimiam suî fiduciam in senectute graviter lapsos, quos sanctus Dei timor in juventute custodierat. Vide Rodericium, in *Exerc. perf.*, p. 1, tr. 4, c. 19.

§ 399.

AMICITIA PRIVATA JUNIORUM INTER SE VITANDA.

Quartò. Amicitia privata *juniorum inter se* vitanda est. Pro cautelâ erit 1° exemplum filiorum Jacob, qui, privatâ ejusmodi malâ amicitiâ colligati, a fratre suo apud patrem suum accusati fuerunt *crimine pessimo*, id est, juxta interpretes, vel contra naturam, vel sodomitico, vel bestialitate, *Gen.* XXXVII, 2. 2° S. Basilius, *Serm. de Abdic. in med.*, ait : « Juvenis sive ætate, sive animo fueris, æqualium tuorum consuetudinem defugito, ab illisque te non secus atque ab ardentissimâ flammâ procul abducito : quando illorum operâ usus adversarius plerosque olim incendio dedit, et sempiterno igni cremandos addixit : ac spiritualis videlicet primò charitatis vanâ quâdam specie illectos in teterrimam postea Pentapolitanam voraginem præcipites deturbavit : et qui ex medio pelago sævientibus undique procellis tempestatequc incolumes evaserunt, eos jam intra portum securos unâ cum ipsâ navi vectoribusque submersit. » Item Cassianus, l. 2 *Inst.*, c. 15, refert apud antiquos Ægypti Monachos summâ observantiâ custoditum fuisse, « ne quisquam cum alio, ac præcipuè juniores, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut uspiam recessisse, vel manum suam invicem tenuisse deprehendatur. » Monstra sunt quæ suo tempore in hanc rem exagitat B. Petrus Damiani, tom. 3 *Opusc.* Nec parum est quòd S. Laurentius Just., c. 22 *de Disc. mon.*, de hujusmodi peculiariter amicis ait : « De verbis, de actibus, de cogitationibus obscœnis tacendum est quæ sub colore charitatis omnia ex inordinatâ paulatim familiaritate generantur. » 3° Ratio est quia si frigida senectus non sufficit ad calorem et ignem juventutis cohibendum, si cum eâ familiariter agatur multò magis juventus periculosa erit. Sufficit pruna gelido carboni proxima, ut accendat; quid erit, si uterque carbo accensus sit? Deinde sive a contemperato, ac veluti sympatico duorum, vel plurium

juvenum ingenio, sive a primæ ætatis contubernali convictu amicitiæ privatæ nascantur et adolescant, si non per altiorem spiritum et profectum in virtutibus eleventur, nonnisi puerilia, vana et ab omni spiritu Religionis aliena parturient, quod satis est ut evitentur. Denique periculum est, teste experientiâ confirmatum, a puerilibus ad graviter deformia procedendi, a vanis ad exitiosa et scandalosa, cum irreparabili damno publico et privato.

§ 400.

AMICITIA PRIVATA CUM TEPIDIS FUGIENDA.

Quintò. Amicitia privata *inter tepidos* fugienda est. Hæc 1° reprehenditur, *Matth.* xx, 6 : *Quid hìc statis totâ die otiosi?* Cùm enim omnes Christiani, et maximè Religiosi, juxta propriam vocationem suam deberent laborare in vineâ Domini, justitiam tum in se, tum in proximo excolendo, tales tepidi reperiuntur totâ die otiosi, a ceteris privatim separati, et ad inutilia amicè adunati; cùm deberent totâ die in labore occupari, et omne tempus moraliter, pro ratione statûs sui, servitio divino impendere, ipsi illud inutiliter amori suo proprio dedicant : cùm deberent in viâ perfectionis semper progredi, illi stant, et consequenter deficiunt et regrediuntur. 2° In hos invehitur S. Bernardus, *Serm.* 24, *in Cant.*, post init., dicens : « Videas ambulare seorsim, convenire sibi, et sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium ! Vehementiùs eos persequitur S. Laurentius Just., *de Disc. mon.*, c. 22, his verbis : « Semper hujusmodi discurrunt, semper similium sibi consortia quæritant : in angulis, in latibulis, silentii tempore ut plurimùm confabulari appetunt, et absentium vitam lacerare non desinunt, et tanquam ipsis non sufficeret propria perditio, alios secum damnare conantur... Et ut suum unusquisque valeat assequi appetitum, Patrum ordinationes frangit, monasterii institutiones non observat, silentia parvipendit, orationem postponit, cellulæ

secretam quietem negligit, et intus nihilominus stimulante et urente conscientiâ, velut amens post suam totus trahitur concuspiscentiam.... Solent in conversationibus familiaribus nimiùmque assiduis, nisi aganturcautè, intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones, et effrenati risus : per quæ mens distrahitur, compunctio dissolvitur, gratia subtrahitur, proximus malè ædificatur, oratio confunditur, confidentia amittitur, conscientia obtenebratur atque pretiosissimum tempus inutiliter consumitur.... Amant sibi similium contubernia, jocis delectantur, spatiari desiderant, nova semper audire et videre appetunt, et aliorum negotia percunctari sedulâ curiositate non cessant. Nec advertunt hujusmodi, quòd tantò vehementiùs interiùs infirmantur in spiritu, quantò magis exterioribus pascuntur, et quodam hydropis morbo laborantes, quo avidiùs labilem hujus vitæ delectationem hauriunt, eò ampliùs eam sitire coguntur. » Ex his 3° patet Ratio quia hæc amicitia discessit a spiritu Religionis per continuas transgressiones, vocationis propriæ oblivionem, animi proficiendi et seriò se in virtutibus exercendi remissionem; quæ omnia satis graviter mala sunt.

§ 401.

AMICITIA PRIVATA PRAVA MAGIS SÆCULARIBUS FUGIENDA.

Porro hæc *amicitia privata prava*, quæ modò cum suis speciebus explicata est, non modò Religiosis, sed multò magis *sæcularibus* timenda et fugienda est. Probant hoc 1° textus S. Scripturæ, § 395 allegati. Nam in sæculo sæpiùs amicus non *permanebit in die tribulationis*, *convertitur in inimicitiam, odium, rixam;* et *convitia* callidè dissimulata *denudat :* est *socius* tantùm *mensæ Eccli.* VI, 7 ; et *scandalizat* amicum *Matth.* V. 2° Præter Patres ibidem citatos, has pravas sæcularium amicitias reprobat S. Hieronymus, in *Mich.* 7, ad illud : *Nolite credere amico*, dicens : « Sed et nunc rara fides

est, cùm aliud in labiis, aliud in corde versatur : venenum animi linguæ mella tegunt, amici divitum multi, a pauperibus autem, etiam qui videntur esse, discecunt. Unde dicitur, *Eccli.* VI : *Si habes amicum, in tentatione posside illum. Legi in cujusdam controversiâ : Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficilè servatur... Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominibus, qui de amicitiis sectantur lucra.* Et auctor l. *de Amicit.*, sub nomine S. Augustini, c. 3, ait : « Amicitia mundialis est, quæ rerum bonarum temporalium cupidine protrahitur : semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in eâ certum, nihil constans; semper cum fortunâ mutatur, et sequitur marsupium. » Et S. Franciscus Salesius, c. 18 *Vit. dev.*, ait : « Quemadmodum in Heracleâ Ponti mel reperitur venenosum, et amentiam edentibus inducens, quia legitur ex aconito, quo regio illa nimis abundat; pariter amicitia, quæ in communicatione fundatur falsorum bonorum et turpium, omnino falsa et turpis est. » 3° Ratio citato § 395 allata, hìc etiam tenet : cui accedit illa a S. Jacobo, c. IV, v. 4, data : *Adulteri nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo ? quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Et S. Joannes, I *Joan.* II, 15, idem probat, dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo : quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

§ 402.

AMICITIA PRIVATA CONCUPISCENTIÆ CARNIS FUGIENDA.

Ex hoc sequitur, omnes illas privatas pravas amicitias, quas huc usque persecuti sumus, a fortiori sæcularibus fugiendas esse, quibus præterea ex citato S. Joannis textu sequentes specialiter addendæ sunt : scilicet *primò* amicitia privata in *concupiscentiâ carnis*, gulâ et luxuriâ fundata. Nam 1° de hac

ita loquitur S. Paulus, *Philipp.* III, 18 : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi. Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloriam in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Et *Rom.* XVI, 18 : *Hujusmodi Christo D. N. non serviunt, sed suo ventri.* Et, *ad Gal.* V, recenset manifesta opera carnis, quæ regni Dei possessionem tollunt. Et demum, *Rom.* XIII, 11, jubet ut non ambulemus *in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis*. 2° S. Chrysostomus, *Hom.* 13 *ad Philipp.*, ait : « Reverà sunt lacrymis digni, qui deliciantur, qui indumentum quidem, id est corpus, bene saginantes, futuri verò supplicii quod laturi sunt, nullam rationem habent. Esto delicieris, esto inebrieris hodie et cras, quid verò lucraberis? nihil. Talem ergo vivere vitam, nonne est lacrymis et lamentis dignum?... Flet ergo Paulus, in quibus alii rident ac deliciantur. Sunt ergone ista de illis duntaxat dicta? qui verò nobiscum hi tales sunt, crimine isto notari non poterunt? Vellem, et vehementer vellem, nihil horum apud nos esse magis, quàm apud illos, quibus tum ista dicebantur. » Et de luxuriâ S. Gregorius Naz. *Adv. mulier. ambit. se ornant.* inquit : « Delectabit te ille, qui tuâ formâ delectatur, aspectumque aspectu rependes : mox risus, mutuumque colloquium idque furtivum primò, deinde liberum atque intrepidum. Cave porro loquax lingua, ne quæ deinceps sequuntur eloquaris. Cæterùm hoc verè dicam, nihil ex omnibus iis, quæ mulieres cum juvenibus joco dicunt vel faciunt, aculeo caret : omnia enim inter se cohærent, non aliter ac ferrum a magnete tractum alia multa deinceps ducit... Quodsi non ut carnis libidini, sed ut oculis tantùm obsequaris, atque a viris specteris, fuco tibi utendum putas, æreum quoque amorem in morbo ac vitio esse scito. » Unde S. Salesius, *Vit. dev.* c. 18, exclamat : « O vos insani et deliri, putatis amorem incantare, ut ad nutum eo uti possitis? ludere cum ipso vultis? Punget ille vos, et miserè mordebit : omnesque ridebunt, et irridebunt te, quòd sub falsâ securitate serpentem adeò veneniferum in pectus tuum absconderis. » 3° Ratio est quia hæc

amicitia nonnisi pseudo-amicitia, utpote non honesta, nedum christiana, sed vitiosa, et nonnisi ventris et veneris amicitia est.

AMICITIA ETIAM AMORIS SENSIBILIS PERICULOSA EST.

Schol. Ex modò dictis apparet, omnes amicitias in amore duntaxat sensibili fundatas, quas urbanitates etc. mundani vocant, esse periculi et lapsuum plenas, nec merentur audiri qui, vel ex licentiâ poeticâ, vel cœcâ sine fide philosophiâ docent, in praxi posse quemquam amare et amari vehementer, maximè in personis diversi sexûs, ob corporis pulchritudinem, vel alias qualitates, concupiscentiam accendentes, sistendo in amore abstracto, et ab omni periculo remoto. Siquidem hæc paradoxa sunt illis simillima, per quæ quis putat posse se tutò contrectare serpentem, vocando eum, et assumendo tanquam animal reptile, vel tantùm ad contemplandam ejus pulchritudinem. Satiùs Abulensis, t. 1 *in Matth.*, c. 5, q. 168, Illud Senecæ dictum probat: «Si quis in amore modum tenere velit, idem est, ac si cum ratione insaniat.» Et S. Bonaventura in 6 *proc. Relig.*, c. 22, S. Laurentius Just. in *Disc. mon.*, c. 22 et S. Salesius *Vit. dev.* c. 20, etiam amorem spiritualem in sensibilem et carnalem degenerâsse censent, si unus alterius corporalem præsentiam quærit, de ejus absentiâ contristatur, vel solus cum solâ conversari amat: «Sicut enim amat singulariter, ait S. Justinianus, ita et amari vult, atque cæco seductus errore ignorat se vesano amore percussum.

§ 403.

AMICITIA CONCUPISCENTIÆ OCULORUM FUGIENDA.

Secundò. Amicitia privata inordinata in *concupiscentiâ oculorum*, scilicet avaritiâ et omni curiositate fundata, sæcularibus vitanda est. Nam 1° S. Paulus, I *Cor.* v, 11, jubet: *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is, qui frater nominatur, est fornicator aut avarus,* id est, juxta Estium, qui rem alienam aufert, vel injustè detinet, *aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Item de curiositate oculorum et aliorum sensuum cor-

poris dicitur, *Jer.* IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras.* Id quod 2° S. Gregorius, l. 21 *Mor.*, c. 2, ita exponit : « Mors per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Quisquis per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens rapitur, atque obligatus desideriis incipit velle quod noluit. Præceps quippe anima, dum ante non providet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit..... Ut ergo munda mens in cogitatione servetur, a lasciviâ voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. » Et S. Augustinus, tr. 2 in I *Joan.*, conqueritur : « Quàm latè patet curiositas ipsa, in spectaculis, in theatris, in sacramentis diaboli, in magicis artibus, in maleficiis? » Et, l. 10 *Confess.*, hanc curiositatem ad reliquos sensus et delectabilia extendit : uti sunt pecunia et divitiæ, ornatus vestium etc. 3° Ratio est quia effrænata pecuniæ aliorumque delectabilium cupiditas nullam in se honestatem, imò plurima animæ pericula continet : ergo nec philosophica, nec christiana amicitia est : imò si etiam fingamus abesse hæc pericula, sunt tamen hæ amicitiæ de rebus vanis et frivolis, adeoque contemnendæ.

§ 404.

AMICITIA SUPERBIÆ VITANDA.

Tertiò. Amicitia privata in *superbiâ vitæ*, seu inordinato amore propriæ excellentiæ fundata sæcularibus præcipuè fugienda est. Nam 1° *Eccli.* X, 15 : *Initium omnis peccati est superbia.* Quia uti S. Thomas, 2, 2, q. 84, a. 2, explicat : « Finis in omnibus bonis temporalibus acquirendis est, ut homo per illa quamdam perfectionem singularem et excellentiam habeat. Unde etiam primum peccatum primi hominis superbia fuit. 2° Idem probat S. Chrysostomus ex eodem lapsu primorum nostrorum parentum, dum, *Hom.* 15 in *Gen.*, primum vitium in eo lugendo casu notat, quòd mulier collo-

quia quasi amicabilia et secreta, relicto viro, cum serpente diabolico instituerit. *Secundò*, quòd circa divinum consilium sine discretione eum assumpserit. *Tertiò* per superbiam, et illud : *Eritis sicut dii*, se decipi passa fuerit. *Quartò*, quòd ad honorem quasi divinum consequendum esu vetiti a Deo fructûs usa fuerit. Et *quintò* denique etiam virum suum ad similem superbiam et transgressionem seduxerit. Hæc omnia in amicitiâ quæ in superbiâ fundatur hodiedum contingunt. Nam 3° ex hac superbiâ et amicitiâ pravâ passim tales pseudoamici graviter delinquunt, dum pauper ambit esse dives et nobilis, nobilis Princeps, Princeps Rex, Rex supremus terræ Monarcha. Ad quem finem, posthabitâ Dei sapientissimâ ordinatione, per fas et nefas contenditur, potentiorum favores et æqualium amicitiæ mille artibus quæruntur, ut sic ad amici honorem et utilitatem promovendam, Princeps, ad quævis bella, sive justa sive injusta, confœderatos; mercator, ad quosvis contractus, sive licitos sive illicitos, socios ; duellator, ad pugnam patrinos inveniat. Si amicus promovendus sit, sufficit ut, sine respectu capacitatis, ad munus et officium elevetur, etsi alii exinde grave damnum et præjudicium patiantur. Si uxori aut filiolis placeat, connivetur huic amicitiæ carnis et sanguinis, ut eant quò velint, ne contristentur. Ne amicus de statu suo excidat, amicorum erit, summas pecunias, non proprias donare, sed alienas, nunquam solvendas, conquirere. Denique ad punctum honoris, ceu centrum, omnia hujus pseudoamicitiæ studia collimant : quod, ne vel in umbrâ lædatur, ejusmodi pravi amici diabolicis suis consiliis, vel armatâ manu succurrunt. Quæ omnia cùm ab honestate longissimè absint, veram et christianam amicitiam fundare nequeunt.

§ 405.

AMICITIA PRIVATA BONA COLENDA EST.

Quemadmodum verò amicitia privata ad malum inducens vitanda, ita *amicitia privata in Domino*, ad profectum spiri-

tualem in perfectionem christianam excitans laudanda et etiam a Religioso colenda est. Prob. 1° ex S. Scripturâ, *Eccli.* VI, 14 : *Amicus fidelis protectio fortis etc. Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis : qui metuunt Dominum, invenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam : quoniam secundùm illum erit amicus illius.* Etc. XXXVII, 15 : *Cum viro sancto assiduus esto; quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, cui anima est secundùm animam tuam, et qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi.* Et *Ps.* CXXXII, 1 : *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum.* Item, *Eccli.* IV, 9 : *Meliùs est duos esse simul quàm unum : habent enim emolumentum societatis suæ.* Accedunt exempla David et Jonathæ, I *Reg.* XVIII, 1 : *Anima Jonathæ conglutinata erat animæ David.* Christus Jesus ipse specialiter dilexit. S. Joannem Evangelistam, *qui erat recumbens in sinu Jesu, quem diligebat Jesus, Joan.* XIII, 23. In primâ Ecclesiâ, *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, Act.* IV, 32. Duobus discipulis in Emmaus euntibus junxit se Christus, *Luc.*, 24. Idem misit discipulos binos ante faciem suam, *Luc.* X, 1. Et *Matth.* XVIII, 20, ait : *Ubi duo sunt, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Prob. 2° ex SS. PP. inter quos eminet S. Basilius, *Serm.* 2 *Ascet.* : « In cuncto, inquit, conventu servari debet, ut videlicet, cùm... similiter charitate adversùs omnes simus propensi, nihilominus tamen iis qui utiliores sint majorem, ut decus est, honorem tribuamus. » Quod ipsum suo exemplo per singularissimam suam cum S. Gregorio Naz. amicitiam probavit; de quâ idem S. Gregorius Naz., *Serm.* 20, in *obit. S. Basil.*, n. 29, testatur : « Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens... Unum utrique opus et studium virtus erat, et ad futuras spes vivere, nosque ita comparare, ut ante discessum ex hac vitâ hinc migraremus. Quod quidem nobis ob oculos ponentes, vitam, actionesque nostras dirigebamus, tum divini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium exacuentes, atque, nisi hoc arrogantiùs dicere videas, uterque alteri norma et amussis eramus, quâ

rectum a pravo discerneretur. » Denique post multos alios S. Salesius, *Vit. dev.*, p. 2, c. 19, rem hanc peritissimè enucleat, dicens : « O Philothea! omnes ama, et magno quidem amore charitatis, sed amicitiam ne contrahas, nisi cum his qui tecum communicare queant de rebus ad virtutem spectantibus, et quò fuerint sublimiores virtutes, quæ communicentur, tantò erit perfectior amicitia... Si tua reciproca et mutua communicatio fuerit de charitate, devotione, perfectione christianâ, ô Deus, et quàm erit pretiosa hæc tua amicitia! Sublimis erit quia ex Deo venit : sublimis, quia Deus vinculum ipsius est : sublimis, quia in æternum duratura cum Deo. 3° Ratio est quia amicitia privata in Domino ad profectum spiritualem, vel maximè ad utrumque præceptum dilectionis Dei et proximi, etiam cum perfectione consilii charitatis, adimplendum juvat, ideo enim tales amici adunantur, ut in amore Dei, per sacra colloquia et preces communes etc., magis inflammentur, et dum sese perfectè in domino amant, amat unusquisque Deum, ut alter Deum amet, quod est perfectissimè amare proximum sicut seipsum, uti S. Augustinus, *Conf.* l. 4, c. 9, ait : « Beatus qui amat te et amicum in te... solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur. »

§ 406.

AMICITIA PRIVATA SANCTA SÆCULARIBUS QUÆRENDA EST.

Hæc eadem bona privata *amicitia in Domino* magis adhuc *in sæcularibus* laudanda et quærenda est. Nam 1° illi in sæculo hostibus undequaque circumcincti magis indigent amico fideli, qui sit *protectio fortis, medicamentum vitæ, et immortalitatis. Eccli.* VI, 14. Cum illis maximè loquitur illud sacrum consilium : *cum viro sancto assiduus esto etc. Eccli.* XXXVII, 15. Et sæculares erant David et Jonathas, et primi fideles, quorum amicitia bona in S. Scripturâ commendatur. 2° Præter Patres,

§ 405, allegatos, S. Ambrosius, l. 3 *de Offic.*, c. 22, sanctam hanc amicitiam sæcularibus suadet, dicens : « Solatium quippe vitæ hujus est, ut habeas, cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris tui : ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Et S. Salesius has sanctas amicitias privatas necessarias esse censet, *Vit. dev.*, c. 19, dicens : « Quantùm ad eos, qui mundanos inter commorantur, veram tamen virtutem amplectunctur, conveniens, imò necessarium ipsis est, alios fœderari aliis sanctâ et sacrâ quâdam amicitiâ : hoc enim medio animantur, auxilio donantur et conducuntur ad bonum. Consonat etiam S. Theresia, in *Vit.*, c. 17, sub fin. 3° Ratio est quia quò minùs protectus est sæcularis armis spiritualibus, ad servandum exactè præceptum dilectionis Dei et proximi, eò magis ea ab alio sæculari virtuoso vel Religioso mutuari debet, qui non solùm propriæ, sed etiam proximorum perfectioni intendit : nam perfectio christiana non docet sine omni affectione et amicitiâ esse, sed illam bene collocare.

§ 407.

CAUTELÆ PRO AMICITIA PRIVATA BONA.

Ne autem amicitia privata bona vitietur, et ut non obsit, sed prosit perfectioni, nonnullæ *cautelæ* adhibendæ sunt. Et *primò* quidem, omnis amicitia, vel indifferens, vel moraliter bona, qualis est naturalis, v. g., inter consanguineos, vel civilis inter concives, sodales etc., debet *elevari ex motivo charitatis* et perfectionis christianæ, ne vitietur, sed conferat perfectioni. Unde Christus, *Matth.* v, 46, in genere dixit : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Et licèt specialis amor in speciales proximos sæpe a sacris Litteris commendetur, tamen idem Dominus, *Luc.* v, 26, dixit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem etc., non potest meus esse discipulus.* Ad quod S. Gregorius, *Hom.* 37, in *Evang.*,

ait : « Sic, sic nimirum exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis et diligamus quod sunt, et habeamus odio quod in Deo nobis itinere obsistunt.

QUOMODO ELEVETUR.

Schol. Modum, quo hæ ipsæ amicitiæ ex charitate perfici possunt, optimè tradit S. Thomas, 2, 2, q. 26, a. 7, dicens : « Possum ex charitate velle, quòd iste, qui est mihi conjunctus, sit melior alio, et sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit. Item alio modo, quatenus eos pluribus modis diligimus. Ad eos enim, qui non sunt conjuncti, non habemus nisi amicitiam charitatis : ad eos verò, qui sunt nobis conjuncti, habemus aliquas alias amicitias, secundùm modum conjunctionis eorum ad nos. Et sic hoc ipsum, quod est diligere aliquem, quia consanguineus, vel conjunctus est, vel quia concivis, vel propter quodcumque hujusmodi aliud licitum ordinabile in finem charitatis, potest a charitate imperari. » Sic verè spirituales amant quidem consanguineos et alios conjunctos, sed amicitiâ merè spirituali, quia omne motivum eos amandi specialiter referunt ad volendum ipsis bona spiritualia. Quâ de re Religiosos præclarè instruit S. Theresia, in *Viâ perf.*, c. 9.

§ 408.

AMICITIA PRIVATA COMMUNEM NON DEBET EXCLUDERE.

Secundò. Amicitia privata in Domino non debet excludere, sed potiùs inducere *amicitiam proportionatam ad omnes*, etiam peccatores et inimicos. 1° Enim *Matth.* xxii, 39, sine exceptione præcipitur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et v. 43 : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* 2° Præter PP. alibi allatos rationem dat S. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 1, docens omnes esse diligendos, quia *ratio diligendi proximum Deus est : hoc enim in proximo debemus diligere, ut in Deo sit.* Et, art. 6 : *Debemus in peccatoribus odire quòd peccatores sunt, et diligere quòd homines sunt beatitudinis capaces : et hoc est verè charitate diligere propter Deum.* Et, q. 23, a. 8 : *Amicitia charitatis se extendit etiam ad inimicos, quos diligi-*

mus ex charitate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia charitatis.

'AMICITIA ERGA PECCATORES ET INIMICOS VERA EST.

Schol. Amor charitatis erga peccatores et inimicos verè amicitia dici potest, quia est amor non concupiscentiæ, sed amicitiæ, licèt ex parte redamationis et communicationis aliquid ei desit. Est etiam vera amicitia honestatis, quia, licèt non fundetur in honestate quæ sit in proximo, fundatur tamen in honestate quæ ipsi optatur : nec omnino deest redamatio, quatenus sic amans redamatur a Deo, propter quem ipse quemcumque proximum amat. Denique universalis hæc amicitia ad omnes non impedit magis completam ad multos, et peculiarem ad unum vel alterum, et e converso, ut mox patebit.

§ 409.

AMICITIA PRIVATA NULLAM ALIIS OFFENSIONEM PARIAT.

Tertiò. In amicitiâ privatâ et peculiari prædictâ uniùs cum altero, intra eamdem præsertim Communitatem, sedulò vitanda est omnis *communicatio externa*, quæ vel non sit purè spiritualis, vel aliquam *offensionem* pariat. Probat hoc 1° exemplum S. Pauli qui, I *Cor.* VIII, 9, de esu Idolothytorum ait : *Videte autem, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Quod idem monet 2° S. Hieronymus, *Ep.* 2 *ad Nepot.*, dicens : « Crebra munuscula, et sudoriola, et fasciolas..... blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delitias et lepores, et risu dignas urbanitates, et ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur, quantò magis in Monachis et in Clericis? S. Climacus, gr. 26, laudat duos juvenes quos vidit « se invicem castissimo amore ac secundùm Deum diligentes : qui tamen, dum aliorum conscientiam inde lædi conspicerent, convenerunt inter se, ut se ab invicem ad tempus elongarent. » Et S. Theresia in parvis Communitatibus omnes sine particularitate amicos

esse volebat, non verò in magnis, *Viâ perf.*, c. 4. Et S. Salesius, *Vit. dev.*, c. 19, id quod Sancti contra privatas et peculiares affectiones et amicitias dicunt, intelligit de Religiosis in Communitate bene regulatâ, ne particularitates devotionis in partialitates degenerent. 3° Ratio est quia amicitia privata debet esse spiritualis, et tendere ad profectum spirituale, quod sanè non est, si communicatio externa sensualis fuerit, aut offensionem aliis generet.

§ 410.

REGULÆ PRO JUVANDIS INCIPIENTIBUS.

Omnibus huc usque dictis bene observatis, Magister spiritualis discipulum suum per *viam purgativam incipientium* juxta dicta, t. 1, toto cap. 2, dirigat, quod ut feliciùs præstet, sequentes *Regulas* bene attendat, per quas incipientes ad perfectionem mirificè juvare poterit.

I. Incipientes sunt plerumque timidi, et in bono ac malo inconstantes. Si devotione sensibili fruantur, in faciendis pœnitentiis audaces fiunt. Si dulcedines in oratione degustent, jam se sanctos esse reputant : si in virtutibus externis et plausibilibus, pœnitentiis ac mortificationibus se exerceant, in vanam gloriam incurrunt. Proinde bonus Magister ignorantias eorum assiduis colloquiis spiritualibus illustret, ad perseverantiam in vocatione suâ et exercendas virtutes statui suo proprias illorum animum erigat, pœnitentias eorum justè moderetur, ne per jacturam sanitatis, sub prætextu infirmæ valetudinis, molles fiant : in externâ morum et sensuum modestiâ simplicitatem illis commendet, nec fastidiosas et simulatas affectationes eis permittat.

II. Incipientes temperantiam in victu, et paupertatem in vestitu observent : lectioni spirituali, recitationi Rosarii, aliisque facilibus devotionibus tempus impendant, Sacramenta frequentent, indulgentias lucrentur, SS. Sacramentum frequenter visitent, ad Patrem Spiritualem, exactam de bono et

malo conscientiæ rationem illi reddituri, sæpe recurrant : tempus illis bene dividatur, ita ut per singulas horas exercitia corporalia et spiritualia illis præscribantur ; quia per hanc varietatem fastidium naturæ nostræ lenitur. Opus etiam est ut per intervalla temporis requiescant, ne in rerum spiritualium exercitio continuo succumbant : unde certi dies in hebdomadâ, et horæ in certis diebus, huic levamini destinentur, sine quo totum facilè perditur.

III. Animadvertat Magister quænam proposita discipulus frequentiùs eliciat, eumque in illis exequendis adjuvet. Item observet quænam virtutes sint ejus indoli magis consentaneæ, et in illis eum exerceat. Scire etiam studeat quânam passione magis prædominante laboret, quam non uno impetu, sed paulatim eradicare curet. Non injungat Magister discipulo mortificationes coactè sustinendas, nec inventiones ridiculas, nec vestes a proprio statu alienas illi permittat : prohibeatque illi objecta, libros, conversationes et convictus, quibus intepescere posset. Non frequenter tractet de gratiis gratis datis, statui discipuli superioribus, quales sunt raptus, extases, visiones, revelationes, contemplationes : quia appetitus harum rerum periculum creat incipientibus. Quod si tamen aliquis ex privilegio talem gratiam sortiatur, eum Magister, maximè in solidâ humilitate fundando, adjuvet. De humilitate, paupertate, patientiâ, puritate, obedientiâ, abnegatione, unione fraternæ charitatis jugiter agat, amorem harum virtutum suo discipulo instillando, et ad orationem mentalem inducendo, ac eum juvando in viâ, quâ Deus illum conducit. Denique observantiam regularem, quæ in custodiâ regularum et proprii instituti consistit, sedulò procuret ; nam personalis perfectio paulatim acquiritur.

§ 411.

REGULÆ PRO JUVANDIS PROFICIENTIBUS.

In directione *Proficientium* ex illis quæ, t. 1, toto cap. 3,

dicta sunt, Magister spiritualis sequentes *Regulas* desumere poterit.

I. Exercitium solidarum virtutum humilitatis, patientiæ, castitatis, obedientiæ, abnegationis, fidei, spei et charitatis, totius vitæ spiritualis fundamentum, incipientibus, proficientibus et perfectis commune est; modus verò illas exercendi, in his singulis statibus aut gradibus, perquam diversus existit. Incipiens, patientiam in sufferendo levissima; proficiens, in patiendo æquitati graviter opposita; perfectus, in tolerando falsum testimonium in re gravi circa honorem, doctrinam, vel mores, exercet; adeoque cùm virtus una eademque sit, modus tamen eam exercendi diversus est. Incipientis est, assequi orationem meditationis; proficientis, orationem affectionis; perfecti, orationem unionis.

II. Magister discretus *proficientes* multùm hortetur, ne pœnitentiam omnino relinquant, velut scopam, quâ conscientia ab immunditiâ purgatur, et ut mortificationi passionum sedulò studeant, cui tanquam ultimæ dispositioni, moraliter loquendo. Deus suavitatem et dulcedinem orationis mentalis alligavit. Item ut obedientiam operibus pœnitentiæ præferant, hæcque relinquant, si obedientia aliquid aliud jubeat. Denique ut charitatem orationi anteponant; nam relinquendo Deum pro Deo, illum mox sublimiori modo, gustu et suavitate in oratione reperient.

III. Studeat Magister *proficientes* bene afficere erga SS. Humanitatem Christi D. N., ut identidem ejus vitam, passionem et mortem meditando, ad imitandas ejus virtutes accendantur. Punctum hoc est maximi momenti, et sæpius discipulo inculcandum, quia securissimâ viâ ad perfectionem conducit. Hinc in actionibus externis vitæ activæ intentionem suam ad Deum solummodo directam purificabit, vitaque ipsius tota exemplaris erit : quia ad exemplum Christi semper respiciens, in moribus, verbis et actionibus suis omnino circumspectus erit, ne aliis scandalo sed ædificationi sit. Denique proficientes, quò ampliùs in oratione progrediuntur, et rebus di-

vinis magis adhærent, eò plus cor et affectum suum a rebus terrenis avelli sentiunt, unde curiositatibus et superfluitatibus, ad quas antea afficiebantur, se privant, et ab oblectationibus et delitiis antea concupitis valde abhorrent, quia quò propiùs ad Creatorem accedunt, eò longiùs recedunt a creaturis.

§ 412.

REGULÆ PRO JUVANDIS PERFECTIS.

Etiam *Perfecti* Magistro spirituali indigent, qui proinde eos juxta dicta, t. 1, tot. cap. 4, dirigere debet, et præterea sequentia observare.

I. Nonnulli *perfecti* sunt devoti, ac favoribus et deliciis cœlestibus delibuti : his a Magistro consolatio adhibenda est, auscultando illos, approbando, et dicendo securam esse viam quò incedunt : subinde tamen expediet eos per humilitatem propriæ cognitionis tutiores reddere, et voluntatem eorum in nonnullis rebus proprii sui beneplaciti coercere.

II. Alii *perfecti* sunt tristes, aridi, desolati, et in maximis tenebris ambulant : hos Magister verbis blandis, amorem spirantibus, operibus patris et visceribus matris consoletur : lugeat cum lugentibus, et sincerè fateatur statum eorum lugendum esse, cùm eorum crux reverà valde acerba sit : interim tamen eos moneat quòd a manu Dei descenderit, qui etiam illam, ob ingentem amorem, Unigenito Filio Redemptori nostro imposuit. Nunquam in ipsos eorum quæ patiuntur culpam conjiciat, nec dicat pœnam esse ob peccata eorum irrogatam; sed omnia ad benevolam Dei probationem referat, et velut alter Cyrenæus se illis comitem ad hanc crucem bajulandam exhibeat. Quo modo magnum Deo obsequium præstabit, et merita amplissima sibi comparabit.

§ 413.

VITIA CAPITALIA HOMINUM SPIRITUALIUM.

Præter regulas ad juvandos incipientes, proficientes et perfectos, Magistro huc usque præscriptas, nosse etiam debet vitia capitalia quibus viri spirituales, orationi addicti, maximè verò incipientes, laborare solent, de quibus S. Joannes a Cruce, l. 1 *Noct. obsc.*, per sex priora capita discurrit, et sunt sequentia.

Primum est secreta quædam *superbia*, quâ quis seipsum, licèt non suis opibus, magni æstimat, seque furti reum facit, dum honorem soli Deo debitum aufert. Tales sæpe nonnisi per pudendos lapsus in se redeunt, ut humilitas reficiat quod vanitas infecit.

Secundum vitium est *avaritia* spiritualis, in quâdam insatiabili siti bonorum spiritualium, potiùs commodum proprium quàm Dei beneplacitum respiciente, consistens : hi avari intentionem suam purificare, et nimiam donorum spiritualium cupiditatem moderari debent, quæ eos cum inquietudine anxiat.

Tertium est *luxuria spiritualis*, in eo sita, quòd natura dulcedini et suavitati nimiùm adhærescat, ita ut a Deo, ultimo fine, divertatur. Hoc vitio laborantibus valde expedit ut suavitas orationis eis subtrahatur, ne suî jacturam faciant.

Quartum est *gula* quædam spiritualis, appetendo cum excessu, quod in oratione sapidissimum est. Hæc est tentatio delitiosorum et incipientium, et Deo palatum per siccitatem orationis macerante, vitio huic medicina paratur.

Quintum est *acedia* quando quis a sapido otio orationis, pro laborioso negotio suæ vocationis et obligationis explendo, abstinere recusat.

Sextum est *invidia*, in eo consistens, quòd quis tristetur ex

eo, quia bonum alterius et malum proprium considerat. Cujus remedium est, si bona alterius aspiciat, ut non de eis tristetur, sed illa imitetur.

Septimum est *ira spiritualis*, in zelo indiscreto consistens. Hoc vitium proprium est hominum austerorum et imprudentium, et vitas aliorum reformare volentium, non aliâ ex causâ quàm qui putant hoc illis incumbere, eò quòd spirituales sint.

Hæc et alia id genus vitia sub nomine virtutum inter spirituales grassantur, quibus vix aliud remedium adhibere poterit, nisi illis laborantes humilient se et promptè suis Patribus spiritualibus obediant.

§ 414.

ALIA VITIA SPIRITUALIUM.

Præter hæc vitia capitalia, nonnulla alia spiritualibus et carnalibus hominibus communia dantur, quæ quidem non observantur in carnalibus, utpote graviorum peccatorum mixturâ obfuscata; in spiritualibus verò, cùm sola sint, facilè oculos offendunt. Sunt autem sequentia :

Primum vitium est *imprudentia*, quæ communiter devotionem ultra modum effervescentem in incipientibus comitatur : si enim devotio ad unum extremum vergit, fit passio quæ rationem obcæcat, unde nimiùm devoti sunt plerumque nimiùm imprudentes, et in actiones excessivas et pueriles feruntur.

Secundum est *inurbanitas* ex imprudentiâ orta. Sunt enim aliqui rustici naturâ, qui, dum spirituales devoti fiunt, putant sibi licere rationem agendi inurbanam, degenerant a civilitate, et hoc vitium ad spiritum mortificatum et contemptum mundi referunt, cùm tamen hoc plerumque non a Spiritu Dei, qui valde discretus est, sed a proprio rustico ingenio oriatur. Hi squalorem et neglectum in rebus suæ curæ commissis pro apice spiritûs habent, cùm tamen sit naturæ illiberalitas.

Tertium est *zelus indiscretus*, quo spirituales se volunt constituere carnalium reformatores, cùm tamen ad eos non pertineat, sicque prætensa reformatio in lites, strepitus et discordias desinit.

Quartum est, in aliorum *actiones curiosè inquirere*, unde tales incompetentes inquisitores ab aliis fugiuntur et contemnuntur.

Quintum est, quòd nonnulli eorum sint *capitosi*, pertinaces et contentiosi, et dum dicunt se Domino rem commendasse, negligunt negotium suum peragendum cum ratione, secundùm convenientes vel inconvenientes circumstantias, regulare; sed intrepidè ad imprudentem executionem procedunt.

Sextum est eorum, qui ex defectibus aliorum statim *scandalum* sumunt; unde tum se, tum alios inquietant.

Septimum est illorum qui amant *singularitates externas*, plausibiles, ad honorem humanum captandum; unde incedunt collo quasi fracto, vocem devotulam instar fistulæ dedicunt, affectatè gesticulantur, oculos contorquent, nimis morosi de Deo loqui volunt sine loci, temporis et opportunitatis discretione, multaque de revelationibus, extasibus et aliis superioribus gratiis obtrudunt : hoc modo simplices deludunt, sapientes verò scandalizant, qui nihili faciunt ejusmodi hypocritas.

Octavum est, quòd *iracundus spiritualis*, plerumque iram suam pro zelo divini honoris habeat, cùm nonnisi suum honorem zelet : sic etiam phlegmaticus spiritualis tarditatem suam pro gravitate æstimat, cùm nonnisi desidia naturalis sit, quâ proprio genio indulget, et morositate suâ omnes molestat.

Nonum est : Spiritualis, qui est *versipellis*, duplicitatem suam pro prudentiâ reputat, cùm tamen sæpe sit insignis malitia, sibi et aliis graviter nociva.

Tandem, cùm etiam verè spirituales homines sint, et non angeli, in his aliisque similibus defectibus propriam suam fragilitatem et miseriam produnt.

NOTANDA DE HIS VITIIS.

Schol. Defectus hucusque recensiti possunt quidem occurrere in his, qui spiritûs perfectioni student, et ideo spirituales vocantur; non tamen putandum est omnes cum his defectibus esse verè spirituales, et multò minùs spirituales perfectos. Licèt enim etiam in perfectos defectus tum naturales et inculpabiles, tum morales, saltem non plenè voluntarii, cadere possint; quò tamen crassiores, in malitiâ et socordiâ procedentes, hi defectus fuerint, eò minùs vel nullatenus perfecti et spirituales tales defectuosi erunt.

§ 415.

FREQUENTIA SS. COMMUNIONIS.

Ad juvandos incipientes, proficientes et perfectos in viâ perfectionis, et vitia eorum hucusque recensita eradicanda, plurimùm juvat *frequentia sacræ Communionis*, quæ cùm a prudentiâ Magistri spiritualis potissimùm dirigenda sit, hinc de eâ modò paulò fusiùs agendum est.

DECRETA ECCLESIÆ DE SS. COMMUNIONE.

Schol. Concilium Tridentinum sess. 13, c. 8. «Paterno affectu admonet, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur... hæc sacra mysteria Corporis et Sanguinis Christi, eâ fidei constantiâ et firmitate, eâ animi devotione, eâ pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.» Et sess. 22, c. 6: «Optaret quidem Sacrosanta Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberiùs proveniret.» Item Catechismus Romanus *de SS. Euch.* docet: «Præterea constitutum est ab Ecclesiâ, ut qui semel saltem singulis annis in Paschate non cummunicaverit, ab Ecclesiâ arceatur. Neque tamen fideles hoc satis habeant, se hujus decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere, verùm sæpius iterandam Eucharistiæ communionem existiment. Utrùm

autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus, id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest.» Rursus in Rituali Romano Pauli V dicitur : «Parochus summum studium in eo ponat... ut populus sibi commissus venerabile hoc Sacramentum religiosè colat, sanctè frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus.» Denique Decretum S. Congregationis Concilii an. 1679, die 12 Febr. datum, et jussu Innocenti XI publicatum, statuit : «Nihil certi de quotidianâ Communione respectu omnium generaliter posse statui, sed pro qualitate et dispositione petentium frequentiùs, vel quotidie, S. Communionem juxta judicium Parochorum vel Confessariorum a Pastoribus esse concedendam.» Porro de præcepto sumendi Eucharistiam ab adultis tum in vitâ, tum in articulo mortis, tum semel in anno in Paschate, tractant omnes Theologiæ moralis auctores : quibus suppositis sit.

§ 416.

FREQUENTIA S. COMMUNIONIS NONDUM PERFECTIS EXPEDIT.

Frequentia sacræ Communionis expedit etiam illis qui nondum sunt in statu perfectionis. Prob. 1° ex S. Scripturâ, ubi Christus, in *Matth.* II, 28, ait : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Id quod Auctor libri *de Imit. Christi*, l. 4, c. 1, ita intelligit, et exclamat : «O dulce et amicabile verbum in aure peccatoris! quod tu Domine Deus meus egenum et pauperem (non utique corpore tantùm, sed etiam spiritu, et nondum in statu perfectionis) invitas ad Communionem tui SS. Corporis.» Et c. 3 : «Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpe laboro et pecco, tam citò torpesco et deficio, ut per frequentes orationes et confessiones, ac sacram Corporis tui perceptionem me renovem, mundem et accendam, ne fortè diutius abstinendo a sancto proposito defluam.» Consonat etiam litteralis SS. Sacramenti hujus institutio per modum cibi, juxta illud Joan. VI, 56 : *Caro mea verè est cibus;* qui sanè omnibus vivis, sanis, vel perfectis, et infirmis, seu nondum perfectis cum aliquâ frequentiâ majori vel minori necessarius, vel saltem expediens

est : maximè cùm non solùm sit cibus nutriens et confortans, sed etiam medicinalis, *et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur*, ait Trid., sess. 13, cap. 2. 2° Patet ex decretis, § 416, schol. relatis, in quibus non soli perfecti, sed omnes justi ad frequentiam S. Communionis excitantur, nec summa dispositio, sed major, vel minor pro majori vel minori frequentiâ requiritur : ubi etiam in Decreto Innocentii XI illud monitum Pastori datur, *Claus.* 5 : « Det operam, ut unusquisque dignè, pro devotionis et præparationis modo, rariùs aut crebriùs Dominici Corporis suavitatem degustet. » 3° Accedunt PP. a Raynaudo, t. 6, in *Onomast. Euch.*, copiosè allati. S. Ignatius, in *Ep. ad Eph.*, ait : « Festinate frequenter accedere ad Eucharistiam. » S. Basilius, *Ep.* 93, inquit : « Jam verò quis dubitat, quin frequentiùs participare non sit aliud omnino quàm frequenter vivere? Quater igitur nos singulis septimanis communicamus. » S. Cyrillus Alexandrinus, l. 3 *in Joan.*, c. 37, ait : « Sciant baptizati homines, et divinæ gratiæ participes facti, si rariùs in Ecclesiam proficiscantur, et longo temporum spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æternâ se vitâ procul depellere ? quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. » S. Chrysostomus, *in* I *Tim. hom.* 5, post. med., docet : « Hoc est quod universa perturbat, quia non munditiâ animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam ac Religionem esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam. Ignorans quoniam indignè accedere, etsi semel tantùm fit, te supplicio tradat, dignè verò, etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiras? » Cassianus ex abbate Theonâ, *Coll.* 23, c. 21, ait : « Non ex eo debemus nos a Dominicâ Communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis ac magis, ac propter animæ medicinam et purificationem spiritûs avidè festinandum. Idem docent S. Augustinus, l. 2 *de Serm. Dom. in monte;* S. Hieronymus, *ep.* 52; S. Isidorus, l. 1 *de Eccl. off.*, c. 18; Paschasius,

l. *de Corp. et Sang. Dom.*, c. 22; S. Bernardus, *Serm. in Cœn. Dom.;* S. Laurentius Just., *de Perf. mon.*, c. 19 etc. 4° Rationem dat S. Thomas, in 4 d. 12, q. 3, a. 1, quæst. 1, dicens : « Quia enim fit quasi continua deperditio naturalis humiditatis per actionem caloris naturalis et exercitium laboris, ideo oportet frequenter corporalem cibum assumere ad restaurationem deperditi, ne perditio continua mortem inducat. Similiter etiam ex concupiscentiâ innatâ et occupatione circa exteriora fit deperditio devotionis et fervoris, secundùm quæ homo in Deum colligitur : unde oportet quòd pluries deperdita restaurentur, ne homo totaliter alienetur a Deo. » S. Bonaventura idem *Proc. 7 Rel.*, c. 21 et 22, hoc ita probat : « Sicut ægrotantibus non potest una forma observari in dandis medicinis corporis, sive propter diversitates complexionum, sive loci, sive temporis, seu diætæ, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs aut sæpius, aut in majori aut in minori quantitate ex eâdem medicinâ datur : ita et de medicinâ, quæ est corpus Christi, intelligendum est. » Denique frequentia S. Communionis suadetur ex eo, tum quia dignè cummunicare per se bonum est, abstinere solùm per accidens, vel ex defectu dispositionis, vel ad conciliandam majorem reverentiam. Tum quia sæpe accedere, prodit ex charitate; differre verò, ex timore et negligentiâ : tum quia, ceteris paribus, communicans alium excedit in fructu ex opere operato. Tum denique quia reverentia et devotio, per se loquendo, magis accenditur et conservatur per frequentem usum hujus SS. Sacramenti, si prudenter et cum mediocri diligentiâ fiat.

ERRORES CIRCA FREQUENTEM COMMUNIONEM.

Schol. I. Raynaudus t. 16 *Heteroclit. Spir.*, s. 1, punct. 4, n. 2, refert nonnullos, qui sub prætextu humilitatis nolebant per novennium ad suscipiendam SS. Eucharistiam accedere. Hic error non solùm pugnabat contra expressum Ecclesiæ præceptum annuæ Communionis, sed etiam contra præceptum divinum communicandi sæpius in vitâ : imò fuit stupiditas, utpote qui potiùs in novennio

quàm alio numero annorum sistebat. Eodem modo in hac materiâ nonnullæ propositiones damnatæ cavendæ sunt, scilicet prop. 56 ab Innocentio XI damnata : « Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. » Item prop. 22 ab Alexandro VII damnata : « Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. »

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Schol. II. Antonius Arnaldus, in suo famoso libro *de Frequent. Comm.*, hanc propositionem n. 23 ab Alexandro VIII damnatam docuit : « Similiter arcendi sunt a sacrâ Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers. » Proinde hic auctor magnam admodum perfectionem ad frequentem Communionem requirit, cujus sententiæ nonnulli alii theologi subscribunt · I. quia primi fideles frequenter, imò quotidie perseverantes in communicatione fractionis panis, erant simul perfecti perseverantes in doctrinâ Apostolorum. Christus ipse lavit priùs pedes discipulorum, antequam eos ad suscipiendam SS. Eucharistiam admitteret, ostendens ad eam, etiam munditiam a venialibus requiri. Et *Matth.* XII, 11, non habens vestem nuptialem perfectione gratiæ nitentem ejectus est in tenebras exteriores : quæ exempla adduxit Catechismus romanus : « Ut declararet Christus omnem diligentiam habendam esse ne quid nobis ad summam animi integritatem et innocentiam desit, cùm sacra mysteria percepturi simus. » Resp. : Exemplum primorum fidelium solùm probat ad quotidianam Communionem eximiam perfectionem requiri. Figuræ lotionis pedum et vestis nuptialis significant, tum dispositionem necessariam ad S. Communionem, scilicet munditiam a peccato mortali, tum optandam et desiderandam, scilicet puritatem a veniali, quod idem Catechismus romanus intendit. II. S. Dionysius *de Eccl. hier.*, c. 2, nonnisi perfectos ad divina mysteria admittit. S. Basilius *in Moral.*, reg. 80, c. ult., requirit: « Mundari ab omni inquinamento carnis et spiritûs, et perficere sanctitatem in timore Dei, et nullam habere neque maculam, neque rugam. Et S. Chrysostomus *Hom.* 17 *in Ep. Hebr.*, c. 10, ait : *Si quis non est sanctus, non accedat.* Et S. Salesius, p. 2 *Introd.*, c. 20, requirit : « *Nullam habere affectionem ad veniale.* » Resp. : SS. PP. solam munditiam a mortali, ut dispositionem necessariam, perfectam verò sanctitatem, ut convenientem et optandam, requirunt. Sic S. Dionysius loquitur de recèns baptizatis, et SS. Eucharistiæ

eos *perficiendi* vim tribuit. S. Basilius et S. Chrysostomus eodem modo de convenienti dispositione loquuntur, aliàs cùm de omni et non solâ frequenti Communione disserant, imò etiam de auditione Missæ, nonnisi perfecti communicare aut Missam audire possent. Et S. Salesius c. 21 expressè ait : « Si mundani a te interrogant cur tam frequenter communicas? respondeas : Ut addiscam amare Deum, ut a meis purificer imperfectionibus etc. »

§ 417.

QUOTIDIANA COMMUNIO NON OMNIBUS EXPEDIT.

Quotidiana tamen *Communio non universim omnibus justis expedit;* sed iis tantùm qui sunt in statu vel gradu specialis perfectionis. Prob. 1° ex S. Scripturâ, I *Cor.* II, 28 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat : Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quod ita intelligit Tridentinum, sess. 13, c. 7, ut, ad vitandum sacrilegium, dicat sufficere probationem conscientiæ liberæ à gravi culpâ; ad frequentiam verò Communionis, quæ sub consilio cadit, majorem; et ad quotidianam, adhuc majorem requirat : et licèt optaret hanc quotidianam Communionem, si cum debitâ devotione et fructu fieret, vix tamen eam perfectionis dispositionem communiter assequendam sperare audet; unde nec absolutè eam omnibus commendat. Quod idem Catechismus romanus facit, dum frequentiam S. Communionis, nonnisi pro qualitate specialis dispositionis, nec unâ omnibus regulâ, etiam pro singulis mentibus et hebdomadibus suadet. 2° Patet ex PP. Sic S. Basilius laudat quidem quotidianam Communionem; sed non audebat retrahere à consuetudine quater duntaxat singulis septimanis communicandi. S. Augustinus, vel potiùs Gennadius, l. *de Eccl. dogm.*, c. 53, ait : « Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. S. Hieronymus, *Ep.* 50 *ad Parnach.*, de quotidianâ Com-

munione dicit : «Quod nec reprehendo, nec probo : unusquisque enim in suo sensu abundet : sed ipsorum conscientiam convenio.» S. Isidorus, l. I *de Off.*, c. 18, de his qui dicunt sumendum esse panem Eucharistiæ quotidianum, nisi aliquo peccato interveniente, ait : «Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione et devotione et humilitate suscipiunt. S. Salesius, p. 2 *Introd.*, c. 20, ait : « Ad susceptionem quotidianam ultra hæc... (scilicet carentiam mortalis et affectûs ad veniale, cum magno desiderio hujus Sacramenti) opus est superâsse majori ex parte pravas inclinationes, et ut etiam tunc fiat ex consilio patris spiritualis. » S. Joannes a Cruce, l. 1 *Noct obsc.*, c. 6, monet : « Nimius quippe ausus in re istâ est res inductiva lapsûs in malum grave, potestque timeri severa justaque punitio tantæ temeritatis. » Et S. Theresia, in *Fundat.*, c. 5, non uno casu confirmat aliquibus animabus tentationis esse vehementis appetere immoderatè Communionem quotidianam, ob existimatam perfectionem, sub quâ tamen amor proprius delitescit. 3° Rationem dat S. Thomas, 3 p., q. 80, c. 10, docens : « Quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere. » Deinde nequit expedire quotidiana Communio, ubi non est decens dispositio : imò periculum est, ne fortè ipsa Communio illicita sit, vel ob finem immoderatè quæsiti gustûs, inanis gloriæ, æmulationis et inquietudinis contra humilitatem, charitatem et obedientiam. Denique in quotidianâ Communione sæpe ex defectu debitæ devotionis impeditur effectus spiritualis dulcedinis, et interveniunt non rarò multa peccata venialia, ob finem leviter perversum, distractionem et affectionem ad vana, ita ut ex tam indispositâ SS. Eucharistiæ susceptione potiùs accrescat quàm minuatur ingens cumulus venialium, quæ nonnisi in ritè dispositis et de illis dolentibus per S. Eucharistiam remittuntur.

ERROR NONNULLORUM.

Schol. I. Nonnulli, sub prætextu majoris lucri spitualis, SS. Eucharistiam plusquam semel in die dare et suscipere sanctum et licitum esse asserebant, uti de uno testatur Casnedi, t. 5 suæ *Crisis*, d. 10, n. 245, et de alio refert Nider in *Formicar.* l. 3, c. 6, quòd quandoque ultra quinquagesies eâdem horâ et die singulis feminis S. Communionem administraverit. Qui error est contra præceptum Ecclesiæ, quæ c. *Sufficit*, 52, *de Cons.*, d. 1, Sacerdotibus plusquam semel missam celebrare prohibet, « quia non modica res est unam missam facere, et valde felix est qui unam dignè celebrare potest. » Quod non minùs de S. Communione, accedente consuetudine universalis Ecclesiæ, intelligitur.

OBJECTIONES REMISSIVÆ.

Schol. II. Vincentius de Marcillâ, Benedictinus hispanicus, in libello *de Quot. Comm.* et Sanctius in suis *Selectis*, d. 22, docent aliquem nullius mortalis sibi conscium quotidie, etiam invito Confessario, communicare posse. Imò Calasibeta, in *Exhort. ad. devot. quotid. comm.*, superiorem eam prohibentem peccare, esse injustum et gravi pœnâ dignum, subditumque non teneri obedire, etsi sub obedientiâ præcipiatur, censet : rationes eorum potissimæ ex modò dicendis facilè elidi poterunt.

§ 418.

REGULÆ PRO CONCEDENDA FREQUENTI VEL QUOTIDIANA COMMUNIONE PRIMO : LAICI NON SUNT ABSOLUTE EXCLUDENDI.

Frequens igitur aut quotidiana Communio juxta *regulas prudentiæ spiritûs*, maximè juxta dictamen idonei *Magistri spiritualis* ad praxin deducenda erit : quarum præcipuæ sunt sequentes. *Primò :* In genero loquendo, non sunt excludendi a quotidianâ Communione laici, etiam sæculares, conjugati et negotiatores, sed potiùs admittendi, si reperiantur in gradu perfectionis, et nullum externum obstet impedimentum. Nam 1° scriptum est, I *Thessalon.* v, 19 : *Spiritum nolite extinguere*, Et *Joan.* III, 8 : *Spiritus, ubi vult, spirat. Et* Act. x,

34 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Ergo Spiritus Dei omnia externa impedimenta a quotidianâ Communione laicos sæculares retrahentia removere, eosque illâ dignos et ab eâ non excludendos reddere potest. 2° Hoc ipsum statuit Innocentius XI, in citato decreto, claus. 3, dicens : « Et propterea quòd ad negociatores attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus etc. » Et S. Congregatio, in decreto dato mense Januario, an. 1587, statutum cujusdam Episcopi rejecit, quo nolebat nisi certis tantùm diebus, aliquibus certi statûs et sexûs, SS. Eucharistiam ministrari : quod obstare censuerat Tridentino, concludens : Et ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere. » Unde etiam S. Thomas, l. c., docet : licere Communicare « quotiescunque se ad illud homo invenerit præparatum. » Et S. Catharina Senensis, uti in *Actis SS.*, 30 April., c. 17, refertur, cuidam Episcopo frequentiam Communionis illi exprobranti reposuisse : « Si B. Augustinus non vituperat, Domine, quare vos vultis vituperare? dum allegatis eum, facitis contra eum. » Quod confirmatur ex *Vit. PP.*, l. 6, c. 25, ubi Abbas Apollo dixit : « Oportet, si fieri potest, Monachos quotidie communicare Sacramentis... Hoc confert Monachis salutaris passionis commemorationem continenter facientibus, quotidie etiam se præparare, ut omni ex parte digni sint, qui suscipiant cœlestia Sacramenta. » 3° Ratio est, cùm hoc Sacramentum panis sit quotidianus, credibile est non deesse hodiedum in Ecclesiâ qui, præter Sacerdotes, admitti possint ad frequentiam plusquam octiduanam. Et sicut in primitivâ Ecclesiâ largiebantur illud Apostoli quotidie multis fidelibus, ita est credibile non defuturos in Ecclesiâ nunc aliquos, etsi paucos, qui mereantur idipsum : nec enim abbreviata est manus Domini, neque Sanguis Jesu Christi refriguit, ut tantùm non ferveat modò in aliquorum cordibus multorum. Ita Ludovicus a Ponte, l. I *Perf. Christ.*, t. 4, c. 6, § 3.

§ 419.

SECUNDO : CONSENSUS SUPERIORIS REQUIRITUR.

Secundò. Conscientia quidem propria de requisitâ ad quotidianam Communionem dispositione testari debet ; sed illa ex *consensu Patris spiritualis et Prælati* regulanda est. Patet hoc 1° ex dictis, § 355 et sqq. ; quod etiam requirit Innocentius XI, in suo citato decreto, claus. 3, 5, 6, 8. Ubi Confessariis, dependenter a Pastoribus aut Episcopis, in sæcularibus, et in Monialibus, dependenter a Superioribus suis, hujus rei regulatio et ultimatum judicium relinquitur. 2° Eamdem regulam præscribunt omnes Ascetæ ; inter quos V. Blosius, in *Monil. spir.*, c. 6, refert factum S. Gertrudis, ex consilio matris spiritualis a S. Communione abstinentis, cui deinde Dominus dixit : « Quia deliberâsti me omittere purè propter me, ego in gremio meo confovebo te. » Ubi Blosius subdit : « Tunc intellexit Gertrudis hominem non displicere, sed placere Deo, quando ex discretione, vel obedientiâ, non autem ex negligentiâ intermittit sacram Communionem. » 3° Ratio est, quia sine hoc consensu Superioris in re adeo gravi ingentia mala proprii judicii et propriæ voluntatis imminent, quæ sacratissima quæque perdunt, aut coinquinant.

§ 420.

TERTIO : REQUIRITUR FAMES SPIRITUALIS.

Tertiò. Signum bonæ dispositionis et vocationis ad quotidianam Communionem est quædam *fames spiritualis,* per desiderium vehemens ex charitate, reficiendi se pane hoc cœlesti. Indicatur hoc 1° *Eccli.* XXIV, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient.* Et in citato decreto Innocentii XI, claus. 6, ubi ad frequentem Communionem concedendam requiritur, ut petentes *fervore spiritûs* incalescant. 2° S. Gregorius, l. 2,

in I *Reg.*, c. 1, ait : « Non saturantur ergo, nisi famelici, qui a vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. » Et S. Antonius, 3 p. *Sum.*, t. 13, c. 6, § 15, inquit : « Sine desiderio nemo debet accedere : cùm autem christianum sic vivere deceat, ut semper mereatur accipere, nunquam debet esse sine desiderio, tunc et toties sumendi quando et quoties convenienter poterit et crediderit expedire. » Simillima habet Thaulerus, *Inst.* c. 38, et Natalis Alexander, *Theol.* l. 2, c. 5, a. 4, reg. 4. 3° Ratio est quia hæc *fames spiritualis* est ipsa esuries proficiendi, et per amorem se magis cum Christo Jesu incorporandi, quæ nota debitæ dispositionis est.

FAMES HÆC NON SIT VITIOSA.

Scholium. Sollicitè curandum est ut bene observetur an hæc fames spiritualis sit vitiosa, vel sana : multoties enim contingit, ut quia anima ducitur gustu sensibili, quem experitur, Communionem quotidianam potiùs ex amore proprio quàm Dei appetat, quæ fames vitiosa est, uti notat mox citatus S. Antoninus dicens : « Si quis autem illam dispositionem judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, fervore mentis, profusione lacrymarum, ita quod tunc credat se dispositum, quando tale quid sentit, et quando non percipit, indispositum; incautè valde ambulat, et sæpissimè decipitur. Multoties, qui nihil talium habent, sunt in magno statu gratiæ; et qui habent, sunt omnino extra gratiam gratum facientem. Unde etiam S. Joannes a Cruce, l. 1 *Noct. obsc.*, c. 6, eos ut gulâ spirituali correptos reprehendit. Et S. Theresia duas Moniales de cetero non mediocris virtutis ob excessivum hoc desiderium et inordinatum a diabolo tentari agnovit.

§ 421.

QUARTO : SINE SCANDALO ALIORUM.

Quartò. Ad Communionem quotidianam concedendam, in petente, ad perfectionem solidarum virtutum maximè *humilitatis et mortificationis* attendendum est, et ne fiat cum

perturbatione et *scandalo* aliorum. Patet ex decreto Innocentii, qui, claus. 8, requirit ut omnis *irreverentiæ et scandali suspicio* in praxi tollatur. Et colligitur ex simili doctrinâ Apostoli de manducatione legalium, *Rom.* XIV, ubi admonet ut certus de non obligatione abstinendi, tamen abstineat, si adsit scandalum pusillorum, dicens v. 13 : *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Et v. 15 : *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas : noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Sic in præsenti S. Augustinus, *Ep.* 118, communicare quotidie, vel non, relinquit quidem uniuscujusque conscientiæ, sed ita ut alius alium non spernat nec judicet. At lex charitatis non violanda est, ob quam etiam dignus Communione quotidianâ meliùs faciet si eam ad exemplum S. Theresiæ omittat, l. c., ne inde occasionem sumant, qui minùs sunt dispositi, vel murmurandi, vel id ipsum tentandi, maximè in Communitatibus, cum perversione boni ordinis : id quod magis in sæcularibus observandum esse notat M. Avila, in *Ep. ad Prædicat.*, addens, pro conjugatis, cavendum ne majori puritati non studeant, et obedientiam marito debitam et cùram familiæ suæ negligant.

§ 422.

QUINTO : OPERA VIRTUTUM REQUIRUNTUR.

Quintò. Experimentum humilitatis, mortificationis et reliquarum virtutum ab *operibus* sumendum est, et prout ex iis constiterit, Communio quotidiana prout magis vel minùs fructuosa concedenda est. Ita monet Innocentius XI, in sæpe citato decreto, claus. 3 et 8, ubi frequentiæ fructui, et in virtutibus profectui attendere jubentur Confessarii et Episcopi, ut ita virtutes et dona in communicantibus augeantur. Et S. Thomas, l. 5, in I *Cor.* 11, docet : « Considerare quilibet in seipso debet, quem effectum in se habeat frequens susceptio hujus Sacramenti. » Et S. Bonaventura, in 4, d. 12, a 2,

q. 2, ait : « Secundùm illam partem, secundùm quam viderit se meliùs proficere ad illam magis declinet, quod homo solùm experientiâ discit. »

§ 423.

SEXTO : ASPIRANTES AD PERFECTIONEM AD COMMUNIONEM OCTIDUANAM ADMITTI POSSUNT.

Sextò. Quicunque ad christianam perfectionem aspirant, ad *Communionem octiduanam* admitti vel excitari possunt. Ita Gennadius, l. *de Eccl. dogm.*, c. 53, suadet : « Omnibus dominicis communicandum suadeo et hortor : si tamen mens sine affectu peccandi sit. » Cum quo sentit Walafridus Strabo, l. *de Reb. Eccl.*, c. 20; S. Salesius, p. 2 *Vit. dev.*, c. 20. Et quia in Religiosis familiis bene ordinatis faciliùs omnes ad perfectionem, prout tenentur, aspirant, ideo Communio octiduana pro regulâ habetur, quam cum abbate Theonâ jamdudum probavit Cassianus, *Coll.* 23, c. 21, quam etiam præscribit regula S. Pachomii ab Angelo data, c. 5. Et S. Bonaventura, in 7 *Proc. Religios.*, c. 21, docet : « Vix aliquis ita religiosus videtur esse et sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in hebdomadâ sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque et rarò plus suadeat, ut infirmitas superveniens, vel singulariter solemnis festivitas. Unde etiam, in *Vit. PP.* apud Rosweid., l. 1, c. 5, narratur, S. Onuphrium per annos sexaginta vel septuaginta suæ summæ solitudinis nonnisi semel in hebdomadâ, sabbato scilicet vel dominico die, allatam ab angelo S. Eucharistiam suscepisse. Ratio est, quia hoc modo sufficienter consulitur et reverentiæ Sacramenti, et fructui animarum, cùm ordinariè ob varia vitæ humanæ impedimenta non sit alius modus debitæ præparationi et gratiarum actioni vacandi.

§ 424.

SEPTIMO : MINUS PERFECTIS MENSTRUA COMMUNIO SUADENDA.

Septimò. Illis qui vel minùs ad perfectionem contendunt, vel majoribus externis impedimentis impediuntur, sacra Communio per *singulos quindecim dies*, vel *singulos menses*, aut pro festis principalibus per annum consulenda est. Sic S. Salesius, l. 3, ep. 13, viduæ singulis mensibus S. Communionem præscribit, etsi eam hortetur ut sæpiùs confiteatur. Et, l. 2, ep. 46, pro filiolâ menstruam Communionem assignat, et pro confessione singulas hebdomadas, et bene inter discretionem ad confessionem, et ad frequentiam Communionis distinguit. Item Mag. Avila, in *Ep. ad Prædic.*, difficiliùs conjuges quàm cælibes, et juniores quàm ætate maturiores ad octiduanam Communionem admittit. Et, in *S. Reg. bene viv.*, l. 2, ep. 46, pro incipientibus contentus est Communione in festis principalibus, decies aut duodecies per annum. Nec alia quàm menstrua confessio Sanctimonialibus præscribitur a Tridentino, *Sess.* 25, c. 10, *de Regul.* Uti et pro Monachis statuitur in Clem. *Ne in agro, de Stat. Mon.* Et Ratio est quia intra præfixum tempus externa impedimenta faciliùs vinci et debita dispositio cum majori fructu obtineri possunt.

NOTANDUM DE MENSTRUA COMMUNIONE.

Scholium. Omissio vel dilatio S. Communionis rationabiliter, discretè et sine periculo scandali facta, et a S. Salesio consulta, nil exoticum sapit, etiam post confessionem cum absolutione peractam, quia etiam Rituale romanum Pauli V, *de Sacr. Pœn.*, eam consulit, dicens : « Rariùs vel seriùs confitentibus aut in peccata recidentibus, utilissimum fuerit consulere ut sæpe, putà semel in mense vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et, *si expediat, communicent.*

§ 425.

OCTAVO : CONFESSIO LAUDABILITER OMNI COMMUNIONI PRÆMITTITUR.

Octavò. Laudabilius est ut *Confessio sacramentalis S. Communioni, quovis modo frequenti*, etsi peccatum mortale conscientiam non gravet, *præmittatur*, in quantum fieri potest. Hoc videtur esse ad mentem Patrum et Ecclesiæ; nam Ecclesia probationem ab Apostolo requisitam exponit fieri debere de præcepto, si conscientia mortalis peccati adsit, per confessionem : adeóque ex consilio facienda erit, si veniali gravetur. Imò sancti viri suadent potiùs Confessionem frequentare sine Communione, quàm Communionem sine Confessione, uti mox ex S. Salesio visum fuit et S. Bonaventura, in *Reg. nov.*, c. 4, licèt pro Novitiis octiduanâ Communione sit contentus, tamen, c. 3, præmisit : « Si potes confiteri quotidie, bene quidem; sin autem, de tertio in tertium diem saltem studeas confiteri. » Ratio petitur tum ex dignitate SS. Eucharistiæ, cui meritò Sacramentum Pœnitentiæ tanquàm dispositio præmittitur, tum ex majori certitudine puritatis conscientiæ, ad dignam Communionem requisitæ : tum ex augmento gratiæ quam Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato producit : tum ex exercitio virtutum humilitatis, contritionis, charitatis etc. Quæ omnia ad S. Communionem meliùs disponunt.

§ 426.

NONO : ETIAM RECIDIVIS MODERATA FREQUENTIA CONSULENDA EST.

Nonò. Illis etiam, qui facilè in *peccata* adhuc *gravia recidunt*, utilissimum erit, prædictam moderatam *frequentiam* tam in confitendo quàm communicando consulere, quando spes alicujus profectûs et emendationis affulget. Ita præscribit

Rituale romanum; quod tamen simul jubet differendam esse absolutionem, quando pœnitentes *peccata derelinquere et vitam in meliùs emendare nolunt.* Imò, ut visum est, supponit etiam quandoque legitimè absoluto Communionem differri posse; quod etiam docet S. Thomas, in 4, d. 9, q. 1, quæstiunc. 2, ad. 2, dicens : «Quòd non esset consulendum alicui, quòd statim post peccatum mortale, etiam contritus et confessus, ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere : et præterea confessio purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem et hebetudinem, quæ contingit in mente ex depressione ipsius ad carnem. De cætero tam potens est hoc remedium frequentiæ Sacramentorum Confessionis et Communionis, ut card. Hugo, d. 15 *de Pœn.* S. 5, n. 54, per accidens subinde graviter obligare censeat; tum quia illa frequentantes rariùs cadunt mortaliter, ob specialia auxilia ad perseverandum concessa : tum quia rarò accedens, rarò etiam cum dispositione substantiali doloris, propositi etc., illa suscipiet.

NOTANDA PRO RECIDIVIS.

Scholium. Pro peccatoribus facilè recidivis, quia rariùs confitentur et communicant, maximè expedit, si illis moderata frequentia Confessionis et Communionis non solùm suadeatur, sed etiam in pœnitentiam imponatur; et prout obtenta fuerit emendatio, saltem rarioris recidentiæ, hæc frequentia continuanda erit: et quando plena emendatio gravium et conatus minuendi leviora habentur, brevior mora pro hac frequentatione assignari poterit, ita tamen ut pœnitenti quotidiana rerum spiritualium exercitatio, scilicet examinis conscientiæ, præsentiæ Dei, lectionis spiritualis, orationis vocalis et mentalis præscribatur.

§ 427.

DECIMO : SUBINDE FREQUENTIA ET ABSTINENTIA ALTERNANDA.

Decimò. Quodsi denique discipulus nec cum frequentiâ

SS. Eucharistiæ nec abstinendo ab eâ proficiat, tentandum erit a Magistro utrumque medium, *retrahendo* nunc cibum, nunc *concedendo*, semper tamen curando ut per orationem et mortificationem ad profectum ex utroque medio capiendum pœnitens disponatur. Angustiæ quidem sunt hæc medico spirituali, sed in iis, adinstar medici corporalis, nil aliud superest, quàm ut nunc illo, nunc alio remedio sanitatem ægroti procurare contendat.

NONNULLA MONITA.

Scholium. Pro praxi nonnulla adhuc monita M. Avila, in *Ep. ad Prædic.*, suggerit. I. Quòd insufficiens sit dispositio, quâ multi ad SS. Eucharistiam frequenter accedunt, quâdam tepidâ volitione frequentandi, in consuetudine sterili fundatâ, licèt aliqua lacrymula in communicando interveniat. II. Quòd potiùs debeat spectari profectus; quia si adsit, bona est frequentia; secus, si desit : « Nam hi deveniunt in malum grande, de quo pavere deberet omnis audiens, scilicet suscipere Dominum, et non sentire profectum ex tanti hospitis adventu. » III. Quòd frequentia etiam illis conveniat, qui, licèt non videantur crescere, hoc tamen bonum ex frequenti Communione reportant, quòd non retrogrediantur, sed experiuntur se in ea peccata labi si non frequentent, quæ frequentando non committunt. IV. Illis verò, qui nec proficiunt, nec mala vitant, sed vitam unam et eamdem prosequuntur, sive communicent, sive non, ad aliquod tempus mensa cœlestis subtrahenda est, ut tantum bonum æstimare discant, et interim orent, ac defectus suos castigent. V. Nonnulli etiam nec hoc medio juvantur, dum ultrò Communionem differunt, sed hac fucatâ reverentiâ suam pigritiam contegunt.

ADHORTATIO AD DISCRETAM FREQUENTIAM COMMUNIONIS.

Corollarium. « Summâ igitur discretione attendendum, monet Petrus Cellensis, l. *de Disc. claust.*, c. 25, quando ad corpus Christi sit accedendum, quando cedendum, et quando recedendum. Accedere ad Christum, accedere est ad Dominum, accedere ad Regem, accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitam, imò ad vitem. Quæris libertatem? accede ad Dominum. Quæris securitatem? accede ad Regem. Quæris claritatem? accede ad lucem.

Quæris calorem? accede ad ignem. Quæris refectionem? accede ad panem. Quæris potum? accede ad vitem. Quæris resurrectionem? accede ad vitam. Offendisti Dominum? cede. Fecisti contra Regem? cede. Cæcus aut lippus es? cede a luce. Portas in lumbis aut in manibus tuis ignem alienum? cede, ne exurat te ignis de Altari. Esne plenus murmurio, et saturatus de contradictionibus? cede, et noli accedere ad panem Angelorum. Esne inebriatus de vinô Sodomorum et Gomorrhæ? cede, et noli accedere ad vinum dé vineâ Sorech. Esne mortuus criminalibus, et sepultus in inferno? cede. Distat autem plurimùm, inter cedere et recedere, irreverentiæ. Cedo itaque, cùm peccavero : non recedo, si confessus errorem fuero et emendavero.» Quinimò licèt spiritu veræ humilitatis nonnulli Sancti subinde ad sacram Eucharistiam frequentiùs accedere ausi non fuerint, ut nos sancto timore percellerent, amorem tamen ad hanc frequentiam nos urgere debere S. Bonaventura ab Angelo didicit apud Wadingum, a. 1243, n. 6. «Aperi igitur, ita orat S. Laurentius Justin., *de Perf. mon.*, c. 9, ô melliflue amor! aperi, inquam, ô divina bonitas! interiores fidelium oculos, ut formatæ fidei irradiati lumine mereantur videre te. Dilata etiam, Domine, affectum, ad suscipiendum te, ut eruditi a te, quærant te per te, et requiescant in te, omnium desiderabilium æterno fonte.»

§ 428.

CELEBRATIO MISSÆ.

Post directionem frequentis aut quotidianæ S. Communionis in illis, qui Sacerdotio non sunt initiati, consideranda venit frequens aut quotidiana *Missæ celebratio* in Sacerdotibus, de quâ jam nunc tractandum est.

§ 429.

QUOTIDIANA CELEBRATIO OMNIBUS SACERDOTIBUS EXPEDIT.

Frequentia etiam *quotidie celebrandi* omnibus Sacerdotibus plerumque, per se loquendo, expedit. Ita communiùs cum plurimis, præsertim Molina Carth., *de Sac.*, t. 4, c. 8. Prob.

1° ex S. Scripturâ, ubi indefinitè Apostolis et omnibus Sacerdotibus, *Luc.* XXII, dixit Christus : *Hoc facite in meam commemorationem.* Cui accedit dispositio Tridentini, sess. 23, c. 13, *de Ref.*, statuentis : « Curet Episcopus, ut Presbyteri saltem diebus dominicis et festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. » Ubi per verbum *Saltem*, ultra dies præceptos, Concilium aliis diebus, sine exceptione, celebrationem consulit. 2° Patet ex PP. Sic S. Andreas Apostolus, in *Actis* ejus a Labbe defensis, et contra nonnullos criticos vindicatis, Tyranno suo dixit : *Quotidie Deo immolo Agnum immaculatum.* S. Hippolytus M., *in Orat. de consumm. mund.*, t. 3, *Biblioth. PP.*, quam idem Labbe tuetur ait : « Venite, Pontifices, qui purè mihi sacrificium die noctuque obtulistis, ac pretiosum corpus et sanguinem meum quotidie immolâstis. » S. Cyprianus cum PP. Africanis, *Ep.* 54, *ad Cornel.*, ait : *Qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et victimas* (fideles per Eucharistiam ad martyrium muniendo) *præparemus.* S. Augustinus, *Ep.* 23, *ad Bonifac.*, inquit : « Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur. » Eamdem praxin Sanctorum esse, præter exempla SS. Basilii, Ambrosii et aliorum apud Raynaudum, t. 16, *Heteroclit. spir.* S. 1, punct. 1, confirmat illud S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius, l. 4 *Dial.*, c. 56, et *Hom.* 37 *in Evang.*, laudat, quòd « mos illi erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. » S. Thomas, 3 p., q. 82, a. 10, ait : « Unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum... Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licèt omnino a celebratione cessare, sed sal-

tem videtur quòd celebrare teneatur in præcipuis festis.» Ubi verbo *saltem* consilium frequenter et quotidie celebrandi satis indicat. Et Gerson, in *Reg. mor.*, ait: » Laudabilius est, quàm oppositum, cæteris paribus, et cessante legitimo impedimento, quotidie celebrare.» Quod fusiùs probat *Tr. de præp. ad Miss.*, consid. 4. Ex his 3° eruitur ratio, tum ob ipsorum celebrantium maximam utilitatem, sive quatenus se communicant, sive quatenus sacrificant, quâ se abstinendo privant; tum ob ingentem utilitatem, in Ecclesiam universam, omnesque fideles vivos et defunctos promanantem; tum quia aliàs Sacerdos a suo officio deficit, et talentum suum in terrâ fodit; tum quia quotidiana celebratio magis est conformis institutioni SS. Eucharistiæ per Christum, qui voluit hoc Sacramentum esse panem quotidianum aliquibus fidelibus, maximè verò Sacerdotibus.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Scholium. Argumenta, quæ contra frequentiam Communionis in nondum perfectis protulit Arnaldus, § 416, schol. 25, etiam contra frequentem vel quotidianam celebrationem objicit, quibus sequentia specialiter addi possunt. I. Quia olim per duodecim sæcula, maximè in Oriente, unica Missa per hebdomadam legebatur, etiam in observantissimis et numerosissimis monasteriis, teste Cassiano, l. 3 *Inst.*, c. 11. Et Baronius, *ad annum* 1054, notat in magno templo S. Sophiæ Constantinopoli in magnâ copiâ Sacerdotum eumdem morem servatum fuisse, sicut etiam in Ordine Carthusiano, uti testatur et collaudat Petrus Blesensis, *Ep.* 86, t. 24, *Bibl. PP.*, confirmans hoc exemplo SS. Benedicti, Pauli Eremitæ, et Antonii M., qui ex reverentiâ noluerunt fieri præsbyteri; imò nec de SS. Apostolis probari potest quòd quotidie celebraverint. Et S. Franciscus Seraph., t. 1 *Opusc.*, ep. 12, ait: « Moneo et exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum celebretur Missa in die.» Et ex vitâ S. Ignatii Loiolæ, in *Act. SS. Antverp.*, die 30 jul., in *Comm. prævv.*, § 86, constat eum in quotidianâ Missæ celebratione continuum non fuisse. Resp.: Ex his omnibus nil nisi varia Ecclesiæ disciplina in frequenti vel quotidianâ celebratione eruitur, quæ tamen meritò hodie obtinuit: quia frigescente mundo tantæ victimæ flammis fidelium corda jugiter accendi opus fuit, uti observat Rupertus,

l. 2 *de Div. off.*, c. 10. Deinde omissionis quotidianæ celebrationis olim variæ causæ fuerunt. Sic in monasteriis frequens causa erat, quia vix unus vel nullus erat presbyter, uti ex *Vit. PP.*, l. 2, c. 11, constat. In templo S. Sophiæ causa erat redituum inopia, cui tamen Constantinus Monomachus imperator subvenit, constitutis amplis reditibus, ut quotidie sacra celebrarentur, uti ex Curopalate notat ibidem Baronius. In Oriente etiam impedimento esse potuit Liturgiæ prolixitas, et licentia Sacerdotibus concessa utendi matrimonio jam contracto. Blesensis testimonium solùm probat posse laudabilem esse consuetudinem non quotidie celebrandi, ob reverentiam, vel alios bonos fines, nec ideo Carthusianum Ordinem, ubi tamen hodie etiam quotidiana celebratio viget, deserendum esse. Id quod exempla allata solùm aliqualiter probant : quia non est par ratio, nolle ex reverentiâ acceptare Sacerdotium, quod allegati Sancti fecerunt, et nolle susceptum Sacerdotium exercere, quod de nullo Sancto legimus, nisi fortè de Abbate Mathue, in *Vit. PP.*, l. 3, n. 188, qui cum discipulo suo invitus ordinatus est. Apostolos quotidie celebrasse patet tum ab exemplo S. Andreæ : tum quia aliàs fidelibus quotidie communicantibus præire non potuissent. S. Franciscus, uti Wadingus notat, solùm rogat ut a quotidianâ celebratione fratres abstinerent, veritus ne sine debitâ reverentiâ fiat; relinquendo tamen libertatem, ut pro suo quisque spiritu quotidiè celebraret. S. Ignatius, ut loco citato memoratur, ob elevationes et lacrymas rariùs, præsertim in publico, celebrabat. II. Frequentia celebrandi contemptum parit, et ex raritate crescit reverentia Sacramenti; et Molina Carthus, in suâ *Instruct. sacerd.*, eximiam sanctitatem ad usum Sacrificii requirit, et juxta Arnaldum, tr. 7, c. 8, malè concludit, dum omnes indiscriminatim Sacerdotes perfectos et imperfectos ad quotidianam celebrationem hortatur. Respondeo : Frequentia aliquoties contemptum, et raritas reverentiam parit, non per se, et ex naturâ ipsius celebrationis, sed per accidens, ex indispositione celebrantis, quo casu laudabilis erit frequentiæ interruptio. Molina etiam bene concludit; nam licet omnis Sacerdos deberet esse perfectus, ut vel semel sacrificet, non ideo consulendum est, imò nec licitum, ut qui perfectus non est nunquam sacrificet; quia in eo majus universale bonum sine proprio præjudicio et cum aliquo saltem profectu prævalet. III. Quotidiana Communio nonnisi perfectis permittitur : ergo etiam quotidiana celebratio. *Respondet* Suarez, d. 80, sect. 3, concl. 4 : « Munus sacrificandi non est privatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ : et ideo, dummodo indignus non sit, et moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis sit imperfectus, non debet ab hoc sacro munere cessare. Accedit etiam,

quia cùm sit specialiter ad hoc munus consecratus, et habet proprium ac peculiare jus ad offerendum, et habet paratum speciale divinum auxilium, ut sanctè conficiat. »

§ 430.

AD QUOTIDIANAM CELEBRATIONEM DIGNA PRÆPARATIO REQUIRITUR.

Ut verò Sacerdotes non incongruenter quotidie celebrare possint, studeant *sanctè vivere, et ad Sacrificium hoc offerendum dignè se disponere.* De quâ præparatione, præter alios, citatus Molina, tr. 4, optimè agit, et ea etiam, quæ t. I dicta sunt, videri possunt. Prob. 1° ex S. Scripturâ, *Lev.* XXII, 32, Sacerdotibus dicitur : *Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel : ego Dominus, qui sanctifico vos.* Et *Malach.* I, 6 : *Dicit Dominus exercituum ad vos, ô Sacerdotes! qui despicitis nomen meum, et dixistis : in quo despeximus nomen tuum?* Et Tridentinum, sess. 22, in decr. *de Celebr. Miss.*, docet : « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facilè existimare poterit, qui cogitârit maledictum in sacris Litteris vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quodsi necessariò fateamur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quàm ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur : satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. » 2° Subscribunt PP. S. Dionysius, l. *de Eccl. Hier.*, c. 3, sub med., ait : « Illa Pontificis Sacerdotumque lavatio, quæ summis sive extremis digitis adhibetur, coram sanctissimis signis observatur, quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes, et summarum partium expiatione, ejus omnia considerantibus investigationibus, æquissimisque, ac integerrimis,

et minimè corruptis judiciis definita et constituta. » S. Ambrosius, *Ep.* 63, n. 59, *ad Vercell. Eccl.*, scribit : « Neque enim mediocris virtus Sacerdotis est, cui cavendum, non solùm ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem. » S. Augustinus, l. 2 *contr. lit. Petil.*, c. 30, ait : « Ut sit quisque verus Sacerdos, oportet ut non solo Sacramento, sed justitiâ quoque induatur, sicut scriptum est : *Sacerdotes tui induantur justitiam.* » Videri etiam possunt S. Gregor., l. 4 *Dial.*, c. 59; S. Anselm. ab *Orat.* 25 ad 36; S. Bonav., tr. *de præp. ad Miss.*, c. 4; S. Laurent. Justin., *Serm de Euch.*; denique lib. 4 *de Imit. Chr.*, c. 5. 3° Ratio est : Minister sacrificans in Altari Corpus et Sanguinem D. N. Jesu Christi, debet cum gratiâ divinâ contendere sanctus esse, et sanctè suum ministerium obire; quia ratio naturalis dictat sancta sanctè tractanda esse : sed Sacerdos in Altari Corpus et Sanguinem D. N. Jesu Christi sacrificat, uti fides docet : Ergo contendere debet, sanctus esse ac santè ministerium suum obire, et consequenter ita vivere, et se ad Missam præparare, ut eam meritò quotidie celebrare possit.

§ 431.

REGULÆ PRO QUOTIDIANA CELEBRATIONE.

Ex dictis sequentes *Regulæ* pro quotidianâ vel frequenti, ac dignâ *Missæ celebratione* pro praxi erui possunt.

PRIMO : CAVENDUM NE QUIS CUM MORTALI CELEBRET.

Primò. Sacerdos celebraturus ante omnia seipsum probet, ne in statu peccati *gravis* accedens ad altare, grande sacrilegium committat; et ideo, quantacumque obligatio celebrandi urgeat, vel abstinere debet, et per alium obligationi suæ satisfacere, si congruè fieri possit, vel indispositionem per sacramentalem confessionem reparare, aut si desit copia

confessarii, per contritionem perfectam cum onere quamprimum confitendi. Ita definit Tridentinum, sess. 13, c. 4, allegans terribilia illa Apostoli verba, I *Cor.* II, 29 : *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Et illud, v. 28, præceptum : *Probet seipsum homo.* Et S. Bonaventura, *Tr. de præp. ad Miss.*, c. 4, ait : « Insuper, quod deterius est, ad tantam quidam pervenerunt diebus istis perversitatem, ut putent, infelicissimi, sua scelera et immunditias peccatorum quæ quotidie recitare proponunt, absque pœnitentiâ et confessione, per sacram Communionem quotidie celebrantes, expiare. Tales non sunt Sacerdotes, sed sacrilegi, non Christiani, sed hæretici, profectò si fidem rectam haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent. » Vide Molina, in *Instruct. Sac.*, tr. 4, c. 2, et t. 1, § 154.

§ 432.

SECUNDO : CAVENDUS RELAPSUS IN MORTALIA.

Secundò. Sacerdos, ut fructuosè quotidie Missam celebret, non solum debet, si graviter lapsus sit, confessionem præmittere, sed etiam efficaciter *vitæ emendationi*, cavendo lapsum gravem, saltem frequentem, insistere. Tum quia turpissimum est frequenter et quotidie celebrare, et simul frequenter et vix non quotidie graviter peccare. Tum quia ipsa graviter relabendi consuetudo, saltem ubi moraliter non minuitur, morale argumentum est insufficientis pœnitentiæ præmissæ, adeoque sacrilegæ celebrationis. Unde, I *Cor.* x, 20, monet Apostolus : *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ demoniorum.* Et *Luc.* III, 8, dicitur : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Nam *Matth.* VII, 16 : *A fructibus eorum congnoscetis eos.*

§ 433.

TERTIO : CAVENDA VENIALIA.

Tertiò. Sacerdos, ut fructuosè quotidie Missam celebret, licet rarò certa conscientia eum de peccato gravi remordeat, præterea efficaciter studere debet ut *emendet vitam tepidam* et negligentem, ac non incurrat frequenter quæcumque venialia. Id quod, præter dicta, t. 1, § 29, patet : tum ex eo, quia aliàs nimiùm deficit a statu perfectionis sacerdotalis in maximo negotio Corpus et Sanguinem Christi consecrandi et communicandi ; tum quia meritò timere potest, ne ex ignorantiâ culpabili grave peccatum incurrerit, quod eum a sacrilegâ Consecratione et Communione non excusat. Nam, *Eccl.* XIX, 1 : *Qui spernit modica* maximè in hac re sacratissimâ *paulatim decidet.* Et S. Basilius, l. 1 *de Bapt.*, c. 3, ait : « Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis et spiritûs inquinamento ad sancta accedit indignè ; accedens verò reus fit Corporis et Sanguinis Domini. Sed et otiosè et inutiliter edens ac bibens in eo, quòd non per memoriam ejus, qui pro nobis est mortuus, est excitatus. Et S. Bonaventura, *Tr. de præp. ad Miss.*, c. 5, ait : « Non solùm mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata..... reddunt hominem tepidum, gravem, et obnubilatum, et indispositum, et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulæ venialium per afflatum spiritûs et flammam charitatis ventilentur et consummentur, exardescente igne cordis, et ex consideratione propriæ vilitatis. »

§ 434.

QUARTO : TEPORE EXCUSSO AD PERFECTIONEM TENDENDUM.

Quartò. Sacerdos quotidie fructuosè celebraturus, non solùm tepiditatem excutere debet, sed etiam *ad perfectionem*

sui statûs, tum ratione vitæ, tum ratione præparationis ad celebrandum studiosè tendere debet. Constat ex dictis, t. 1, § 23 et 30 et sqq., quibus accedit S. Bonaventura, *Tr. de præp. ad Miss.*, c. 8, dicens : « Vide quid desideres, ne propter avaritiam... aut consuetudinem... aut temporalis favoris causâ celebres, sicut multi diebus istis abutuntur ad suî perditionem. Unde etiam M. Avila optabat potiùs raritatem Sacerdotum, et cuidam suo discipulo consulebat, ut præter Horas Canonicas, duas et mediam horam meditationis Missæ præmitteret, et unam vel saltem dimidiam horam in gratiarum actione insumeret; quod, licèt exorbitare videatur, probat saltem quid de luridâ nonnullorum Sacerdotum præparatione et gratiarum actione censendum sit, qui, non dijudicantes corpus Domini, ex merâ consuetudine, et fortè tantùm propter stipendium, celebrant.

§ 435.

QUINTO : SACERDOS PERFECTUS QUOTIDIE CUM AMORE ET TIMORE CELEBRET.

Quintò. Sarcerdos, qui statûs sui *perfectionem attigit, quotidie confidenter celebret*, ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc, sic tamen, ut totam suam fiduciam in Deo ex amore collocet, et ex timore reverentiali propriæ indignitatis non obliviscatur. Ita monitum S. Laurentii Just., *Serm. de Euch.*, sequetur : « In his (*Sacerdotibus*) conveniant gradus et vita, gustus et quæstus, pietas et scientia, fides et charitas. Ista si adsint, diligentur a Deo, sublimabuntur a Christo, protegentur ab Angelis, venerabuntur a populis, visitabuntur in spiritu, ditabuntur donis, complectentur a gratiâ. Beatorum sociabuntur agminibus, interdumque in cœlestibus rapientur : » Ubi tamen antea jam præmisit : « In his quantumcumque profecerint Sacerdotes, quamvis præcelsà polleant sanctitate, minimè indolescant, quoniam Presbyteri adhuc indigni sunt ministerio. Nam si ad hoc angelica inferiora sunt merita, quid æstimabuntur humana ? »

§ 436.

SEXTO : POLLUTIO INVOLUNTARIA IN SOMNIS NON IMPEDIT CELEBRATIONEM.

Sextò. Pollutio in somnis planè *involuntaria* non debet impedire *quotidianam celebrationem*, nequidem sub consilio, nisi fortè remaneant effectus et inquietudines, nec spes sit acquirendæ devotionis in ipso actu celebrationis. Ita docet S. Bonaventura, *Tr. de præp. ad Miss.*, c. 4, dicens : « Ubi dictæ maculæ non dederis occasionem vel causam, per præcedentem concupiscentiam, vel inordinatam crapulam, nec secuta est notabilis mentis inquinatio per reminiscentiam vel illusionem phantasticam carnalium, credo quòd accedere possis, salvo meliori judicio; maximè si singularis devotio, ratione solemnitatis vel alterius similis causæ, te traheret ad celebrandum. » Et licèt hic S. D. cum S. Thomâ, 3 p., q. 80, a. 7, videatur velle ipsam corporis maculam sufficere ad consulendam abstinentiam, nisi specialis devotio urgeat, tamen in eo potissimam vim ponunt, quòd causa data, vel effectus devotionem impedientes secuti fuerint. Unde etiam Gerson, *Tr. de præp. ad Miss.*, cons. 7, monet : « Non propter timorem contaminationis Corporis Christi illud cum munditiâ corporali monemur contrectare, sed ad indevotionem aut scandalum in nobis vel aliis devitandum... Caveamus a tali spurcitiâ recogitandâ per timorem crebrum, quoniam inficit hæc recordatio plus quàm purget. Assuescat homo spiritualiter spiritualia dijudicare et sentire; sic enim multis et variis phantasmatum inquietantium impudicitiis semet absolvet. Sic ea minus curabit, quæ revera minus curanda sunt, corporales loquor sordes. Sic denique magis in conscientiæ quàm corporis puritate confidet. » Pro cujus confirmatione affert visionem S. Petro Cœlestino ob hanc naturæ miseriam, et ob diversas doctorum ab eo consultorum hominum opiniones, quotidie celebrare anxio, post factam ad Deum orationem,

ostensam : vidit enim in somnis palatium summi Regis, quod cùm tentaret ingredi, asellus suus in viâ stercore ventrem solvit, ob quod et irreverentiam timens a Domino, audivit : « Ascende, ascende; quare non ascendis? Pro eo, quòd asellus facit consuetudinem suam? quid tibi? ascende, ascende. »

§ 437.

SEPTIMO : QUANDOCUMQUE CELEBRATIO EST LICITA, CONSULENDA EST.

Septimò. Quandocumque *licet* Sarcerdotibus celebrare, etiam *consulendum* illis est, *ut quotidie celebrent*, saltem ut plurimùm et per se loquendo, procurando tamen semper ut perfectam habeant dispositionem remotam et proximam, quantùm cum gratiâ divinâ possunt. Patet ex § 429, 430, et ulteriùs ratio est ex S. Bonaventurâ, *de Præp. ad Miss.*, c. 2. Quia aliàs Sacerdos celebrare omittens « privat se omnibus fructibus provenientibus ex sacrâ Communione, qui sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis excitatio, devotionis augmentatio, et angelorum convivatio. Item non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei, et tamen scriptum est : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Ultimò, quantùm in se est, evacuat divinum cultum et latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis... Ergo, quantùm potes, toto conatu, per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam, expelle a te omnem teporem et negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona. »

QUID DE IMPERFECTIS DICENDUM.

Scholium. Dices forte : I. Quid, si quis est valde imperfectus et valde imperfectè celebraturus? II. Quid, si non longè antè com-

misit grave peccatum, præsertim carnale, quod tamen proximè est confessus? III. Quid. si ejusmodi peccata consuetudinariè committat? Non enim videtur pro hoc esse sanum consilium quotidie celebrare, sicut nec similem laicum quotidie communicare, § 426. Respondeo : Hæc solùm probant tali non esse consulendum ut quotidie celebret, manendo in eo statu : bene tamen illi consulitur ut, hoc statu relicto, vitam et celebrationem cum perfectione peragat, quemadmodum illi qui est in peccato, et tenetur celebrare, unicè consulere possumus et tenemur ut celebret quidem, sed deposito peccato. Nec est paritas a laico ad Sacerdotem : quia ille, uti iste, ad hoc officium non est destinatus.

§ 458.

OCTAVO : SUBINDE QUOTIDIANA CELEBRATIONE OB REVERENTIAM ABSTINERI POTEST.

Octavò. Potest in aliquibus Sacerdotibus sanum esse *consilium* aliquoties a *quotidie sacrificando* ad augendam reverentiam *abstinere*, dummodo ex negligentiâ et pusillanimitate non fiat, nec obstet aliqua extrinseca circumstantia. Ita Ludovicus a Ponte, t. 4 *Perf. Christ.*, tr. 2, c. 15, § 2, docens : « Qui ob frequentiam faciendi Sacrum aliquid remitteret de reverentiâ, expediret ei abstinere interdum cum sancto timore, ut postea majori cum fervore et amore accederet. »

QUANDO NON EXPEDIAT.

Scholium. Non est hìc sermo de his qui, ut laxiùs vivant, nolunt ligari quotidianâ celebratione : nec de his qui, ob negotia et occupationes distrahentes, præparari nequeunt. Hi enim jam moniti sunt a Tridentino, sess. 22, c. 1, *de Ref.*, ut meminerint se in sortem Domini esse vocatos, ac vitam et mores suos ad normam hujus vocationis debere componere, et omnem luxum ac negotia sæcularia fugere. Nec sermo est de scrupulosis, nunquam de sufficienti dispositione se quietantibus, qui potiùs ad contemptum scrupulorum impellendi sunt. Nec abstinendum est a quotidianâ celebratione, quando causæ extrinsecæ urgent, v. g. obligatio ratione beneficii : quo tamen casu Theologi quotidie obligato non quidem pro suâ commoditate, sed pro majori reverentiâ omissionem Sacri semel

in hebdomadâ concedunt. Item non est abstinendum, si scandalum exinde vel pro ipso Sacerdote, vel in aliquâ Communitate oriatur. Laudatur etiam a P. Reguerâ, *Th. myst.*, t. 2, p. 490, praxis, quâ Sacerdos, quoties in exercitiis spiritualibus novam vitam instituit, usque dum post confessionem generalem animus quiescat, ab altari abstinet, sicuti etiam, nisi aliud obstet, eâ die, quâ ob commotionem contra charitatem, puritatem, vel aliam sive culpabilem, culpâ etiam per pœnitentiam abolitâ, sive inculpabilem causam, animus inquietus est : in quibus tamen casibus, juxta Gerson, cons. 8, circumstantiæ et profectus spiritualis Sacerdotis hanc abstinentiam, vel consulendam, vel non, prudenter determinare debent.

§ 459.

NONO : DEVOTIO EXTERNA REQUIRITUR.

Nonò. Quotidiana celebratio postulat ut non solùm cum congruâ *devotione* internâ, sed etiam *externâ* fiat. Intolerabilis enim abusus foret, si maxima Dei dignatio, ad preces sui ministri ad sacrificandum venientis, ministrum in suo munere indecorè tractando audaciorem redderet. Unde bene jubet Tridentinum, sess. 22, decret. *de Celebr. Miss.*, ut Missa, « quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. » Gravissima sunt verba et actiones, quibus Ecclesia Sacerdotes in Sacrificio Missæ uti voluit, et quidem ex genere suo sub gravi peccato : quæ omnia scilicet, quoad vestes, locum, tempus, cæremonias, vasa sacra etc., devotionem mirificè accendunt. Quæ proinde accuratissimè et cum maximâ decentiâ et gravitate observanda, nec cum nimiâ festinatione quorumdam Sacerdotum compatibilia sunt, in quam ceu diaboli tentationem P. Molina Carth., tr. 3, *Instr. Sac.*, c. 11 et 12, meritò graviter invehitur.

TEMPORIS SPATIUM PRO MISSA.

Scholium. Quod ad temporis spatium pro celebratione Missæ attinet, sicuti, maximè in publico, nimia prolixitas, ita et nimia

celeritas vitanda est, saltem illa quæ cum exactâ et decenti cæremoniarum et rubricarum observatione incompatibilis est; pro quâ prudens mensura videtur horæ dimidium, quæ etiam a Synodo Coloniensi an. 1662, probata est. Non enim præcisè curandum ut omnia fiant, sed ut bene et decenter fiant. Nec est sufficiens excusatio quam Sacerdos petit a gustu sæcularium, et quidem vix aut nullatenus devotioni addictorum : memor sit dignitatis suæ, et dedignetur in celebrando rationem habere quantæcumque audientium dignitatis, memineritque infinite dignitatis illius qui sub speciebus panis et vini delitescit. Meritò M. Avila, videns indecorâ cæremoniarum deproperatione celebrantem, et sacram Hostiam indecenti celeritate tractantem, non se continuit, sed ad eum accedens dixit : « Bene se cum illo gerat, est enim Filius boni Patris. »

§ 440.

DECIMO : CELEBRANS NON PROFICIENS, DE MALO STATU SUO TIMERE POTEST.

Decimò. Nisi quotidianæ vel frequenti celebrationi aut Communioni *profectus* in spiritu respondeat, valde timendum est ne celebrans, vel communicans, qui se putat esse in gratiâ, coram oculis Dei in statu peccati existat. Hoc timendum vel maximè est *recidivis* in gravia, quibus dolor et propositum suum meritò suspecta esse possunt. Deinde idem timendum est non modicè *tepidis*, qui ob venialium contemptum, etiam in ipsâ celebratione vel Communione, facilè in mortalia labuntur, dum minùs putant. Denique timendum hoc est *imperfectis*, ne, si non curent sollicitè progredi, sensim in foveam regrediantur. Hæc sunt peccata occulta, et ignorantiæ, quæ etiàm Sancti in se timuerunt. Nam si, teste S. Mariâ Magdalenâ de Pazzis, *Vit.* c. 94, « una Communio, facta cum vero spiritu et sensu, apta est ut faciat animam in magnam vitæ perfectionem devenire, » unde ergo miseri nos in tantâ frequentiâ tam parùm aut nihil proficimus?

§ 441.

UNDECIMO : NON CELEBRANS VEL COMMUNICANS, SALTEM MISSAM AUDIAT.

Undecimò. Sacerdos ex causâ non celebrans, et quilibet alius non impeditus, saltem studeat *quotidie assistere sacrosancto Missæ Sacrificio,* quantùm ei Deus dederit, studiosè pariter et devotè. Hæc est regina devotionum in homine christiano, et uti S. Salesius, p. 2 *Vit. dev.*, c. 14, ait : « Sol exercitiorum spiritualium est sanctissimum, sacratissimum et supernum Sacramentum ac Sacrificium Missæ, centrum Christianæ Religionis, devotionis cor, anima pietatis, mysterium ineffabile, quod comprehendit abyssum divinæ charitatis, et per quod Deus sese applicans, realiter nobis communicat magnificè suas gratias et favores. » Plura passim dant Ascetæ : Rodericius, *Exerc. perf.*, tr. 8, c. 15. Lancicius, *Opusc.* 13; Bona, in *Horol. Ascet.* etc. Et S. Augustinus, *Serm.* 6 *de Verb. Dom.*, c. 11, inquit : « Totum intus esse debet : si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus. »

MODUS FRUCTUOSÈ MISSAM AUDIENDI.

Scholium. Modus fructuosè assistendi vel inserviendi Missæ optimus est comitari Sacerdotem in memoriâ Passionis Domini, sive orando vocaliter, sive potiùs mentaliter, sive juxta Missæ verba et cæremonias, uti alii explicant, seu faciliùs juxta mysteria et sacras sententias. « Pave, inquit S. Chrysostomus, *Serm. de Euch. in encæn.* : mensa mysteriis instructa est, et Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacrâ mensâ refluit, Seraphim adstant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis spiritualis de cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, et non erubescis, revereris, confunderis, neque Deum tibi propitium facis ? »

Corollarium. Sit ergo deditus orationi Sacerdos, ut cum debitâ devotione internâ et externâ quotidie Missam celebrare mereatur: orationem intelligo tum vocalem, tum maximè mentalem, a quâ Sacerdos vix excusari poterit, cùm Christus ipse jubeat : « Hoc facite in meam commemorationem. » Sufficiet juxta M. Avila ad præparationem, si bene per longiorem temporis moram expenderit illud, *Matth.* xxv, 6 : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Et post celebrationem illud, *Joan.* xiii, 12 : *Scitis quid fecerim vobis?* Et ipsa Ecclesia non modò totam Missam devotissimis orationibus contexuit, sed et aliis juxta rubricas extra altare dicendis, quæ, si cum attentione et devotione dicerentur, non tam informis celebratio emergeret, præsertim si meditatio præmitteretur : hoc enim vero meditationis igne ex ligneis aurei et argentei Sacerdotes conflarentur; nimirum hujus meditationis defectu, et quia plurimi Sacerdotes ex illis sunt, de quibus scriptum est, *Jer.* xii, 11 : *Quia nullus est qui recogitet corde*, factum est quod idem Propheta, *Thren.* iv, 1, luxit : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Quàm aliter Sacerdotes agunt orationi dediti? quid? si a meditatione, speciali Dei dono, ad contemplationem transierint? Tunc enimvero cum S. Joanne a S. Facundo semel et iterum a Superiore suo, ob nimiam in sacrificando prolixitatem, reprehenso, respondere poterunt : « Aliud facere utique non possum, ut qui quotidie D. N. Jesum Christum fulgentem in hostiâ istis oculis peccator aspicio. »

§ 442.

APHORISMI PRO MAGISTRIS SPIRITUALIBUS.

I. Magisterium spirituale donum est in paucis pretiosum, quod multùm operatur secretò, et in publico est otiosum.

II. Sit Magister exemplar, quod discipulus spiritualis debeat imitari.

III. Lucretur piam cordis alieni affectionem, qui cupit aliquem docere perfectionem.

IV. Reddat cor amori Dei subjectum, et hominem faciet in oratione perfectum.

V. Patienter toleret imperfectos, si vult obtinere perfectos.

VI. Si Magister blandè tractet fervidum incipientem, iste, objectis deliciis, observantiam amplectatur ingentem.

VII. Non sit Magister in mandando imperiosus, si vult ut sit discipulus obsequiosus.

VIII. Ad mensuram capacitatis satis sit Magistro obtinere plus minùsve sanctitatis.

IX. Si discipulus ad normam ducitur vocationis et inclinationis, citò aliquem conscendet gradum perfectionis.

X. Religiosæ urbanitates cum operibus bonisque rationibus, quasi divinis philtris, cor sanctis trahunt amoribus.

XI. Qui se mortificat altero cogente, quasi cibum gerit stomacho non coquente.

XII. Punire sine corde monstrante amorem, non tam mederi est, quàm vulnerare.

XIII. Si se Magister monstrat iratum, discipulum experietur turbatum : at si se demonstrat humanum, gignet mitem et planum in illo spiritum.

XIV. In ratione conscientiæ Magister sit memor prudentiæ: et quantùm in discipulo timoris, tantùm in Magistro appareat amoris.

XV. Si vult agnosci pro genuino Patre, sit opere largus, neque differat a tenerâ matre.

XVI. Distinguere inter motus gratiæ et naturæ, virorum est sanctorum, et vitæ insigniter puræ.

XVII. Si vult ut discipulus brevè multùm progrediatur, non parcus ad Eucharistiam accedere largiatur.

XVIII. Licentiam verò dandam pro Communione metiri debet ex congruâ dispositione.

XIX. Consilium quotidianæ Communionis debet rarò dari, et bina Communio hebdomadaria sat erit vel devotissimo sæculari.

XX. Nulla regula generalis est sine exceptione, atque regula Communionis pendet a discretione.

XXI. Perfectio, quæ per vim imprimitur alienam, magis habebit apparentiam, quàm essentiam planam.

XXII. Extra viam graditur suâ cum perfectione, qui nimiâ utitur festinatione : si enim non lentè festinatur, totum periclitatur.

XXIII. Sanctitas repentina distat parùm a ruinâ, siquidem in nullâ re permanente, incrementum acquiritur repentè.

XXIV. Qui tractat de animabus dirigendis ad perfectionem, tractet hoc negotium cum Deo per multam orationem.

CAPUT III.

QUOMODO MAGISTER SPIRITUALIS BONOS A MALIS PER DISCRETIONEM SPIRITUUM DISCERNERE, ET VITIATOS EMENDARE DEBEAT.

§ 445.

SPIRITUS ET VIR SPIRITUALIS EXPLICANTUR.

Ut Magister spiritualis incipientes, proficientes et perfectos in viâ perfectionis rite dirigat, unum ex præcipuis ejus muneribus est omnia spirituum genera examinare et cognoscere, sive ut malos in bonos convertat, sive ut mediocres meliores reddat, sive ut perfectos elevet, et ita virtutes magis solidet, utpote quæ sunt omnino necessarium perfectionis fundamentum, sine quibus nulla est perfectio, sed illusio. *Spiritûs* autem nomine hìc intelligitur interior animæ propensio, sive impulsus, quo quis se ad aliquid interiùs incitari sentit. Sic homo propensus ad orationem, ad pœnitentiam, ad recollectionem, ad solitudinem, ad paupertatem etc., dicitur habere spiritum orationis, pœnitentiæ etc. At verò propensus ad lites, contentiones etc., dicitur habere spiritum contradictionis etc.; quare propensus ad orationem, suî compositionem, modestiam, silentium, bonum exemplum, loquens, cogitans et tractans de rebus spiritualibus, *vir spiritualis* dicitur.

DISCRIMEN INTER SPIRITUALEM ET DEVOTUM.

Scholium. Ex eo quòd sit aliquis devotus, non ideo est spiritualis. Nam vir devotus pollet amore, fervore, pietate, et ad omne

bonum propensione : sæpe tamen modicâ luce gaudet in intellectu, sicque spiritu dimidiâ ex parte deficit. Cùm enim spiritus in luce quâdam supernâ intellectuali cum piis et rationalibus affectibus totam animam in bonum inclinantibus consistat : illi sunt perfectè viri spirituales, qui æquè pleni sunt luce in intellectu, quàm affectu in voluntate : unde qui præstant spiritu rationali, discreto et prudenti, agunt quod magis expedit, non verò semper quod est perfectissimum. Vir unicè pius et devotus multa opera per imprudentiam malè collocat; spiritualis verò ex ipsis naturæ operibus ob præfixum finem supernaturalem lucrum reportat : habet ut Elisæus duplicem spiritum; interior est, secretus, mitis, abhorrens a litibus, rumoribus, virtutibus apparentibus, plausu hominum ; cùm plura sciat, pauca loquitur, orat sine strepitu, sine artificiis se mortificat : devotio ejus rationalis est, charitas cum misericordiâ, intentio pura, conscientia munda. Vir devotus plurimo affectu, modicâ luce gaudet, et facilè in utramque partem claudicat; effluente devotione fervet, absente intepescit, cùm econtra vir spiritualis in prosperis et adversis, in devotione et ariditate semper constans æqualiter procedat, et Deo suæque obligationi inhæreat.

§ 444.

DIVISIO SPIRITUS.

Spiritus in spiritum bonum et malum dividitur. Spiritus *bonus* est, qui ad bonum inclinat : Spiritus *malus* est, qui ad malum propellit. Ad hanc divisionem omnes reliquæ divisiones spirituum reduci possunt.

EJUS SUBDIVISIONES INDICANTUR.

Schol. I. S. Bernardus, *Serm.* 33 *de Divers. vel de discr. spir.*, ex SS. Litteris sex spiritus enumerat : 1° divinum, 2° angelicum, 3° diabolicum, 4° humanum, 5° spiritum carnis, 6° spiritum mundi. Sed quia spiritus angelicus a Deo regitur, et spiritus carnis et mundi a diabolo; hi quinque facilè ad duos reduci possunt, bonum, scilicet, et malum, vel spiritum Dei et spiritum diaboli, quibus si addas humanum, quia non semper ab alio, sed a se ipso specialiter movetur, tres spiritus emergunt, divinus, diabolicus et humanus : quam divisionem sequitur Rosignolius, l. 3 *de Christ.*

perf., c. 13. P. Godinez, in *Prax. Th. myst.*, l. 9, c. 1, spiritum in quatuor spiritus generales dividit : primus est spiritus bonus et divinus, per gratiam nos inclinans ad bene vivendum, ad fugienda peccata, frequentenda Sacramenta, procurandam per media necessaria nostram salutem et perfectionem. Secundus est spiritus malus, natus ex diabolo, qui si se non similat, se apertè in omne genus peccatorum mortalium cujuscumque statui propriorum inclinat : si verò est occultus, habitâ intentione malâ, in exteriori executione signa bonitatis juxta cujuslibet ingenium præ se fert, et in hypocritâ modestiam affectat, in inquieto, charitatem cum proximo, et sic sub specie bonitatis suam malitiam occultare studet. Tertius spiritus est mundanus, qui, quando est apertus, est profanus, vanus, deliciis et otio deditus; si occultus, plausibilem ostentat humilitatem, seipsum subinde vituperat, ut ab aliis laudetur : ducitur respectu humano, et multùm curat quid de se homines dicant; in virtutibus internis tepidus, debilis et remissus est : in externis spiritualis, circumspectus et attentus, ut laudem aucupetur ex vanâ suâ humilitate. Quartus spiritus est amoris proprii, sollicitus pro commoditatibus carnis, consistens in quâdam humanâ prudentiâ, quæ actiones virtuosas secundùm regulam commoditatis propriæ metitur : in oratione ad modum faciliorem et suaviorem inclinat, in obedientiâ, ad minus laboriosa, in pœnitentiâ, ad minus pœnalia. Hic spiritus in incipientibus fingit se medicum, qui præoccupat infirmitates : in proficientibus fingitur discretio, quæ occurrit inconvenientibus : in perfectis vult esse prudentia, quæ nimiùm providere curat, quæ fortè possent contingere, ubi tamen semper hic medicus, hæc discretio et hæc prudentia nihil aliud est quàm spiritus amoris proprii, his nominibus perperam appellatus. Hi quatuor spiritus, uti iterum patet, ad spiritum bonum et malum revocari possunt.

INSPIRATIONES ET INSTIGATIONES QUID.

Schol. II. Cùm spiritus ex dictis sumatur pro interiori animæ impulsu, seu inclinatione, considerari potest vel in actu primo, in quantùm anima per habitus naturales aut supernaturales, aliasque permanentes dispositiones potest propendere ad movendum; vel in actu secundo, in quantùm per actus indeliberatos actu movetur. Atque hi actus, quando movent ad bonum, dicuntur *inspirationes;* quando ad malum, *instigationes* appellantur. Unde dubitare an spiritus sit bonus aut malus idem est ac dubitare an tales vel tales motiones sint inspirationes aut instigationes. Porro hæ inspirationes et instigationes per omnia quidem vitæ spiritualis

tam activæ quam contemplativæ exercitia vagantur, præcipuè tamen abundant in exercitio sanctæ orationis, utpote quod magnâ ex parte ex inspirationibus constat, quibus Deus nobiscum loquitur, vel nobis cum ipso loquentibus respondet. Et quia hæ locutiones possunt esse vel latè tales, et vocantur præcisè inspirationes; vel formaliter tales, et revelationes appellantur : de prioribus in hoc, de posterioribus in sequenti capite claritatis causâ sermo erit. Sed quia fieri potest ut quæ putantur esse inspirationes et locutiones Dei non sint verè tales, sed instigationes et locutiones inimicorum Dei, ideo præcipuus labor versatur in discernendâ oratione verâ a falsâ, secundùm varios motus in eâ deprehensos, ad quod opus est discretione spirituum.

§ 445.

DISCRETIO SPIRITUUM DEFINITUR.

Discretio spirituum est quoddam judicium, per quod homo rectè discernit inter varios motus, de quibus dubitari potest, a quo spiritu proveniant, bono an malo.

ALIA EST ACQUISITA, ALIA INFUSA.

Schol. I. Duplex est via per quam ad discretionem spirituum perveniri potest, scilicet vel per humanam prudentiam, vel per gratiam gratis datam a Deo infusam. Unde duplex discretio spirituum distinguitur. I. *Acquisita,* vel, uti nonnulli vocant, doctrinalis, quæ est quædam ars, seu modus per regulas a Patribus, Ascetis, et Mysticis ac contemplativis Theologis assignatas, quæ labore et industriâ humanâ discuntur, discernendi spiritus, et motus tam proprios, quàm alienos, bonos et malos. II. *Infusa*, ac gratia gratis data, cujus meminit Apostolus, I *Cor.* xii, et a Card. Bonâ *de Discr. spir.*, c. 2, n. 2, ita describitur : « Est peculiaris motio Spiritûs Sancti, seu mentis illustratio, ad discernendum inter varios motus, a quo spiritu proveniant, bono an malo, sive ad mores spectent, sive ad doctrinam, sive quis interiùs et invisibiliter moveatur et excitetur, sive exteriùs per homines docentes, vel consulentes, aut per Angelos sensibiliter loquentes, vel apparentes. Et hæc est gratia discretionis, quam inter gratis datas septimo loco recenset Apostolus; quæ a Spiritu S. non omnibus datur, sed quibus et quando vult, ad discernendos spiritus non solùm in

seipsis, sed etiam in aliis. ad communem Ecclesiæ utilitatem. » Gratia hæc, sicuti et reliquæ gratis datæ, in solo Christo per modum habitûs fuit; cæteris autem datur per modum actûs sive motionis transeuntis, aliis rariùs, aliis frequentiùs, aspirante divinâ gratiâ, quando et quomodo vult; estque hæc discretio infusa infallibilis, non verò acquisita : eademque gratia gratis data ex primario et intrinseco fine non ad propriam sanctificationem, sed ad aliorum ædificationem tribuitur; unde etiam in malis reperiri potest : quia tamen infusio luminis supernaturalis, ad eam necessaria, requirit mentis tranquillitatem et pacem internam, quæ in animo terrenis affectionibus perturbato locum non habet; hinc fit, quod ut plurimùm ea in solis justis reperiatur, uti fusè ostendit Card. Bona. *de Discr. spir.*, c. 2, n. 4.

DIFFICULTAS DISCERNENDI SPIRITUS.

Schol. II. Difficultatem discernendi spiritum bonum a spiritu malo exponit Gerson, *Alphabet.* 17, circa fin., ubi sic ait : « Est enim spiritus Deus, spiritus Angelus bonus, spiritus Angelus malus, et spiritus humanus tam rationalis quàm animalis. Potest autem similis inspiratio spirari per quemlibet istorum spirituum suo modo, longè tamen diverso. Sed diversitatem hanc faciliter percipere quædam similitudo non sinit apud inexpertos talium, qui neque per seipsos ex acumine ingenii, neque per eruditionem in theologicis vel physicis disciplinis, neque per aliorum traditionem, sciunt talia distinguere. Certè nec mirandum, cùm paucissimos inveniamus, qui plenè sciant secernere cogitationes et affectiones suæ rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis quæ sunt animales, videlicet in sensu communi, vel organo phantasiæ. Quos invenies, precor, ex timentibus Deum, peccatumque fugientibus, qui semper et in omnibus ad liquidum prospicient, dum tentationes vigent, si sensus eorum sit tantummodo in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeo non facile est discernere sensum a consensu. Quando plus habet difficultatis probatio, quadruplicis prænominati spiritûs, dum videlicet instinctus unus, vel inspiratio vehemens tangit mentem, si sit a Deo, vel ab Angelo bono aut malo, aut a proprio spiritu humano? Cujus rursus sensûs portio duplex, superior et inferior adscripta est. Cujus sentire divisionem perfectè dat illud verbum Dei, quod pertingit usque ad divisionem spiritûs et animæ. Qualem in se divisionem passa erat, quæ exclamavit : *Magnificat anima mea Dominum* : et hinc secernens spiritum ab animâ subjunxit : *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* »

§ 446.

NECESSE EST BENE DISCERNERE SPIRITUS BONOS.

Necessarium igitur est *bene discernere* et approbare spiritus bonos, seu inspirationes, quæ reipsà ex Deo sint. Ita 1° docet S. Scriptura, *Jer.* XV, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Et VI, 27 : *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum.* I *Thessal.* V, 19: *Spiritum nolite exstinguere... omnia probate, quod bonum est tenete.* I *Joan.* IV, 1 : *Probate spiritus, si ex Deo sint.* Prob. 2° ex PP. S. Chrysostomus, *in* I *Thessal., hom.* 11, ait : « Densa quædam caligo et tenebræ, et nubilum super omnem terram diffusa sunt... Quoniam igitur super hanc terram nox est, ut ita dicam, ne lunarem quidem splendorem habens, et in eâ nocte nos incedimus, tradidit nobis Deus lampadem illustrem, incensam Spiritûs S. gratiâ in cordibus nostris... Propterea dicit Paulus : Spiritum ne exstinguatis, hoc est, donum Spiritûs... Exstincto autem spiritu, quid reliquum sit nostis, quotquot in tenebricosâ nocte ambulatis. Si verò de terrâ in terram ambulare difficile est ac molestum, quomodo tutum erit eam viam, quâ ex terrâ in cœlum tenditur, sine luce ambulare? » S. Climacus, gr. 26, unum ex modis discretionis spiritualis constituit in intellectuali sensu, « bonum quod verè ac propriè bonum est a naturali bono, atque contrario sine errore discernente. » Et addit diabolum ante omnia curare, ut ex nostrâ negligentiâ hoc bonum prætereamus. S. Bernardus, *Serm.* 17, *in Cant.*, inquit : « Spiritus quando veniat, et quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. Cùm enim hæ Spiritûs S. dispensatoriæ quidem vicissitudines vigilantissimè non observantur, fit, ut nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit, ut avidiùs requiratur, quonam modo, si abesse nescitur, requiritur? Et rursum qui dignanter ad hoc redit, ut consoletur, qualiter dignè pro suâ majestate suscipitur, si nec adesse

sentitur? Mens ergo quæ ignorat abscessum, patet seductioni : et quæ reditum non observat, erit ingrata visitationi. » 3° Ratio sumitur ex S. Thomâ, qui 1, 2, q. 68, a. 2, docet, dona Spiritûs S., quæ *sunt in nobis ex inspiratione divinâ*, esse necessaria ad salutem : quia per solas virtutes ratio tantùm movet, secundùm quod adhuc imperfectè per illas informata est, quod non sufficit, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritûs S., juxta illud *Rom.* VIII, 15 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Ex quo patet quanti intersit regi ab inspirationibus divinis, quod fieri nequit nisi ut tales cognoscantur et discernantur.

QUOMODO DEUS INSPIRET.

Scholium. Deus seipso immediatè est qui, saltem ut causa principalis supernaturalis, suis inspirationibus cum animabus loquitur, uti ex S. Dionysio, c. 4 *de Cœl. hier.*, docet S. Thomas, 1, 2, q. 91, a. 1. Imò etiam dum Angelus nobis interiùs inspirat quid faciendum sit, quidve vitandum, Dei nomine inspirat, qui dignatur, etiam per Angelos, ipsius faciem videntes, et dicenda in Verbo intuentes, nobis loqui, quasi per suos et nostros pariter familiares, maximè Angelos custodes, uti idem S. Thomas, 1 p., q. 3, a. 1, docet, et modum S. Augustinus, 1 p., q. 3, a. 1, exponit, dicens : « Deus per seipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea, quæ Divina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, et per hanc intelligat : sed ita dicitur intellectum dare homini, et quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dare lucem domui, vel illuminare domum, qui fenestram facit; cùm eam non suâ luce penetret aut illustret, sed tantummodo aditum quo penetretur atque illustretur aperiat. » Et licèt sæpe difficile sit discernere an Deus se solo vel per Angelum loquatur et inspiret, hoc tamen parùm refert ad intentum, quia uti S. Bernardus, *Serm.* 23, *de Divers.*, observat : « Nec facile est, quis loquatur, discernere, nec ignorare periculosum, præsertim cùm certum sit Angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso. » Denique etiam in nobismetipsis habemus tam ex naturâ, quam ex gratiâ, unde nobis nomine Dei inspiretur quid faciendum vel vitandum sit. A naturâ quidem per dictamem bonæ

conscientiæ fundatæ in synderesi; docente S. Thomâ, 1 p., q. 79, a. 12, juxta illud *Ps.* IV, 6 : *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Unde conscientia ab origine, l. 2 *in Ep. Rom.*, dicitur : *Spiritus corrector, et pædagogus animæ sociatus, quo separatur a malis et adhæret bonis.* Quia verò lumen naturæ sphæram naturalem non excedit, in ordine ad beatitudinem naturalem, Domino placuit illud per virtutes supernaturales in ordine ad beatitudinem supernaturalem elevare, quæ sunt semina excelsiorum inspirationum, scilicet præcipuè fides juxta illud *Act.* XV, 9 : *Fide purificans corda eorum :* et charitas juxta illud II *Cor.* V, 14 : *Charitas Christi urget nos.*

§ 447.

REGULÆ PRO DISCERNENDO BONO SPIRITU.

Ut autem spiritus boni et inspirationes rite discernantur et cognoscantur, an reverà a Deo sint, *regulæ* modo tradendæ sunt, quibus anima in seipsâ, vel Director in aliis animabus quasi manuductus doctrinaliter spiritus bonos, sive inspirationes, tanquam verè a Deo venientes approbare queat : quas ex Card. Bonâ, *de Discr. spir.*, c. 6; Ludovico a Ponte, in *Luce spir.*, tr. 1, a c. 21; Alvarez, *de Vit. sp.*, t. 3, c. 14; Godinez cum Reguerâ, *Th. myst.*, l. 9, et S. Ignatio in *Exerc. spir.*, hebd. 4 colligemus.

PRIMO : EX FRUCTIBUS COGNOSCITUR.

Prima igitur Regula fundamentalis et universalissima est illa Salvatoris nostri, *Matth.* VII, 16 : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Consonatque Apostolus docens, *Gal.* V, 22 : *Fructus Spiritûs est charitas, gaudium* etc. Sicuti enim ex fructibus bonis bonam arborem cognoscimus, ita ex operibus certò bonis bonus spiritus et inspiratio Divina cognoscitur. Id quod tamen non de unâ vel alterâ operatione, et solùm ad tempus, sed de modo generatim bene agendi, et continuo virtutum theologicarum et moralium exercitio intelligitur : fictio etiam solùm ad tempus et non in omnibus falsa pro ve-

ris, et mala pro bonis simulare potest. Hanc regulam tradit etiam S. Bernardus, *Ep.* 107, dicens : « Opera ergo, et non verba discernunt inter filios Dei et filios diffidentiæ... Volo te, et tibi usurpare, et ita probare illam Unigeniti vocem, *Joan.* v, 36 : *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.* Sic reverà, sic unici Filii spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus et nos, cùm suscitans ex operibus mortuis largitur opera vitæ. » Eamdem regulam habet Gerson, *Tr. de prob. spir.*, dicens : *Oportet ut ab operibus signa capiamus.*

COROLLARIA.

Scholium. Igitur. 1. Bonus spiritus est spiritus boni christiani, qui observat legem Dei, et obligationibus sui statûs satisfacit. 2. Spiritus pius, qui christianitati pietatem adjungit, orando, frequentando Ecclesias, Conciones, et Sacramenta. 3. Spiritus exercendi opera charitatis, eleemosynas largiendo, exercendo opera tum misericordiæ corporalia, tum spiritualia, docendo, prædicando, confessiones excipiendo juxta uniuscujusque vocationem. 4. Spiritus austerus, silentii cultor, recessûs amans et pœnitens, licèt modico veneno propriæ voluntatis conspergatur, juxta B. Godinez, *Th. myst.*, l. 9, c. 4, si orationi mentali cum humilitati deditus est, bonus est et sanctus : caveat tamen a seipso; periculo enim philautiæ ac vanæ gloriæ est expositus. 5. Spiritus eremiticus, multùm ad solitudinem et recollectionem affectus, ad vestem vilem et crassam, ad habitationem arctam, sed mundam; ad victum vulgarem, sed sufficientem; cum boni Magistri ductu affatim perficitur. 6. Spiritus multæ, longæ ac suavis orationis, sed cum modicâ pœnitentiâ et mortificatione, bonus spiritus erit, si reperiatur in incipientibus, vel in privilegiato : aliàs erit suspectus. Præstaret e converso, ut plus haberet mortificationis, licèt minùs orationis.

§ 448.

SECUNDO : EX OPERIBUS INTERNIS BONIS.

Secunda Regula certior et expressior est, quando spiritus fundatur non solùm in *operibus* exteriis, sed etiam *internis*

sine dubio bonis. Quis enim dubitet spiritu Dei moveri peccatorem, quando ad extraordinariam pœnitentiam cum vitæ mutatione trahitur; tepidum, quando, tepore excusso, fervore spiritûs incalescens novam vitam instituere resolvit; incipientem, proficientem et perfectum, quando progressum sensibilem in virtutibus et ascensiones in corde suo dispositas experitur? Hanc regulam S. Bernardus, *Serm.* 23 *de Diver., seu de discr. spir.* tradit : « Quoties super castigando corpore, humiliando corde, servandâ unitate et charitate fratribus exhibendâ, seu cæteris virtutibus acquirendis, conservandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, Divinus sine dubio spiritus est, qui loquitur aut per seipsum sanè, aut per Angelum suum. » Et S. Ignatius, reg. 3, ait : « Spiritualis propriè consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam creaturam ullam nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lacrymæ funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione passionis Christi, sive aliâ ex causâ quàlibet, in Dei cultum et honorem rectè ordinatâ. Prostremò consolatio quoque dici potest fidei, spei et charitatis quodlibet augmentum. Item lætitia omnis, quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam solet incitare. » Consonat Gerson, *Tr. de prob. spir.* Ubi etiam S. Gregorium et S. Augustinum allegat. Quia tamen hic modus solùm est in uno quolibet pro seipso, solum mediatè Directori prodesse potest, ut in alio spiritum bonum probet, quatenus per signa externa sinceræ veracitati animæ dirigendæ fidem præstat.

COROLLARIA.

Scholium. Proinde 1. Opera illa externa, quæ Schol. præc. recensita sunt, si cum virtutibus internis conjungantur, sicut etiam ab iis procedere debent, ut vere bona sint, a spiritu bono sunt. 2. Spiritus bonus est spiritus contritionis et cumpunctionis; quia cor contritum et humilitatum etiam in peccatore est initium omnis

perfectionis. 3. Spiritus fervens, humilis, et in proximos charitate flagrans, licèt fortè aliquo fervore imprudenter excedat, saltem in substantiâ et intentione bonus est. 4. Spiritus, qui facilè ad interiora se recipit cum amatoriâ quàdam Dei præsentiâ, delitiis affluit, maximè si se interiùs accusat, inhonorat, ac deprimit, compunctus in conspectu Dei, respiciendo se adeo debilem, miserum, inconstantem et ingratum, spiritus bonus, solidus, securus et magnorum favorum capax est. 5. Spiritus contemplativus, qui per intervalla quædam oculos in sua peccata conjicit, et aliquantulum de novissimis mortis et inferni meditatur, cujus ordinaria meditatio est vita, passio et mors D. N. Jesu Christi, et qui obligationibus sui statûs rite satisfacit, spiritus solidus, bonus et securus est, magnisque favoribus donabitur. 6. Spiritus Christi, qui cogitat, meditatur, et studet imitari vitam, passionem, mortem et virtutes ejus, est spiritus bonus et securus : siquidem Christus est via et vita. Nunquam erit homo eximiè sanctus, et multæ orationis, qui non intret per hoc ostium, qui non incedat hac viâ, et qui veritatem in hac humilitate non inveniat. Confugiant omnes ad Christum, et in illo coacervata omnia bona spiritualia invenient.

§ 449.

TERTIO : EX HUMILITATE CORDIS.

Tertia Regula. Inter omnia virtutis opera, in quibus humilitas cordis elucet, hoc signum est potissimum Spiritûs Dei. Ita clarè docet S. Scriptura, *Is.* LXII, 15 : *Hæc dicit Excelsus et Sublimis habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.* Et LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Ps.* CXXXVII, 6 : *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit. Luc.* I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et S. Bernardus, *Serm.* 69 *in Cant.*, ait : «Si sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam Scripturas, seu sermonem sapientiæ, quasi ebulliri ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum cœli gremium, et uberiores desursum influere animo meditationum imbres : non ambigo

sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, et de plenitudine ejus nos accipimus. Quodsi pariter infuderit se humilis, quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet, et contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me : tunc prorsus paternè sentio agi mecum, et Patrem adesse non dubito. »Et Gerson, *Tr. de distinct. Revel.*, signo 1 et 4, hoc quasi pro unico sufficienti signo boni spiritûs habet, dicens : « Monitiones omnes intrinsecæ, omnes instinctus vehementes... omnis denique nostra interior exteriorve operatio, si humilitas præcedit, et comitatur, et sequatur, si nihil eam perimens misceatur, crede mihi, signum habent, quòd a Deo sint, aut bono ejus Angelo, nec falleris. » Nec enim spiritus malus, qui totus est superbiæ, docere humilitatem potest.

COROLLARIA.

EX QUA VARII BONI SPIRITUS COGNOSCUNTUR.

Scholium. Proinde 1. Spiritus, qui cum divinis favoribus, delitiis, lacrymis, visionibus, extasibus humilior evadit, timidior et gratior, simulque in suis oculis vilior et parvulus, in omnibus ad Patrem spiritualem confugiens, procul a voluntate propriâ, et suî confidentiâ, hic est spiritus bonus, sanctus et securus. Grandis humilitas et fortitudo est, parvulum esse in oculis suis, quando magna est anima in oculis Dei et mundi. 2. Spiritus, cujus divini favores cadunt supra fundamenta solida virtutum moralium, obedientiæ, castitatis, paupertatis, humilitatis et patientiæ, maximè si crescunt hæ virtutes, et perficiuntur his ipsis favoribus, spiritus bonus, solidus et securus est : timet ille laudes humanas, et auram popularem, tanquam quæ vanitatem ingenerant : si verò aliquis spiritus laudes ferre potest, quin jacturam faciat, nec denigretur, aut inficiatur, solidè fundatur in virtutibus. 3° Spiritus extraordinarii, qui etiam miracula patrant, si verè humanum plausum fugiunt, abscondunt se, favores suos sincerè occultant, laudes horrent, sereno vultu ferunt contemni, delitias et commoditates non appetunt, sed humiles sunt, patientes, osoresque singularitatum, boni spiritus sunt; qui tamen subinde aliquas imprudentias et singularitates sustinent, aliquid propriæ voluntatis retinent, nec

omnino a laudibus abhorrent, hi fugiant, taceant, abscondant se : aliàs perdentur. 4. Spiritus humilis, pauper, patiens et pœnitens, qui honores ducit pro inhonorationibus, plausum popularem pro dæmone, qui occultat pro viribus favores a Deo acceptos, cui sapit angulus, desipit forum, talis spiritus ex dono contemplationis perficitur, ex favoribus humiliatur : si tamen dono miraculorum polleat, caveat ne suî sit impotens. Talis etiam spiritus tam fortis et firmus, bene potest ferre laudes humanas non quæsitas : quæsitæ autem vulnera sunt lethalia. 5. Non desiderare res extraordinarias sive virtutum sive revelationum, sed potiùs eas fugere, quantùm in se est, et perfectioni christianæ totis viribus studere : item indignum se judicare donis acceptis, Deoque omnia adscribere, et in visitationibus divinis extraordinariis timere periculum gravioris rationis reddendæ, nullique se ideo præferre, et nonnisi coactè dona illa patefacere, bonus spiritus est.

§ 450.

QUARTO : AMARE PATI ET CONTEMNI.

Quarta Regula. Ex totis visceribus optare pati et contemni, ac in mediis ærumnis et contumeliis gaudere, signum evidens est confirmatorium profundæ humilitatis et spiritûs Dei. Hoc enim passim exprimitur in S. Scripturâ, *Matth.* v, 9 : *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Act.* v, 41 : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. I Petr.* iv, 14 : *Si exprobramini in nomine Christi, beati estis, quoniam, quod est ejus spiritus, requiescit in vobis. Gal.* vi, 14 : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce D. N. Jesu Christi.* Et S. Chrysostomus, *Hom.* iv, *in ep. Philip.*, de dono pro Christo patiendi, ait : « Gratuitum munus est, ac majoris admirationis, quàm sit reverà, mortuos excitare et signa miranda patrare : nam illic quidem debitor sum, hìc verò debitorem habeo Christum. Ideo non solùm pudefieri non oportet, sed gaudere etiam, tanquam donationem gratuitam ac virtutes habentem. » Et S. Bernardus, *Serm.* xxv, *in Cant.*, ait : « Pulchrè sponsa convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis

intorquetur, non modo formosam, sed et nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse et in sponso, cui similari, quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium..... Grata ignorantia crucis ei, qui crucifixo ingratus est. »

COROLLARIA.

UNDE VARII BONI SPIRITUS PRODEUNT.

Scholium. Itaque 1. Bonus spiritus est, si quis gaudeat haberi pro imperfecto, hypocritâ vel impostore, dummodo ad hoc nullam culpabilem occasionem præbeat. 2. Bonus spiritus est, si quis gaudeat quòd Confessarius, sine suâ tamen culpâ, eum parvi faciat, res suas contemnat, vel dæmonis fraudes esse dicat : nam licèt contristari debeat quòd sibi a dæmone imponatur, non tamen quòd alii demissè de eo sentiant, eumque propterea contemnant. 3. Bonus spiritus est juxta S. Ignatium, *Reg.* 11, *summar. ex* c. 4, *Exam.* § 44 : « Omnino, et non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat et amplectitur. Et admittere, et concupiscere totis viribus quidquid Christus D. N. amavit et amplexus est..... Adeo, ut si sine offensione ullâ divinæ Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, et falsa testimonia, et injurias pati, ac stulti haberi et existimari, nullâ tamen ad id per eos datâ occasione. » 4. Juxta eumdem, in *Exerc. spir.*, *hebd.* 2, bonus spiritus est : « Etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi eligere potiùs, et cum eo paupere, spreto et illuso, pauperiem, contemptum et insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores et sapientiæ æstimationem. »

§ 451.

QUINTO : RESIGNATIO IN VOLUNTATEM DEI ET DIRECTORIS.

Quinta Regula. Signum principalissimum spiritûs Dei est resignatio proprii judicii, propriæque voluntatis imprimis in voluntatem et judicium eorum, qui sunt loco Dei ad animæ directionem. Utraque hæc resignatio habetur clarè ex S. Scrip-

turâ. Prima quidem, *Is.* LX, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abii. Act.* IX, 6. Saulus ait : *Domine, quid me vis facere?* Secunda indicatur *Luc.* X, 16 : *Qui vos audit, me audit.* Et iterum Paulo dicitur, *Act.* IX, 7 : *Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi* per Ananiam *quid te oporteat facere.* Unde S. Bernardus, *Serm.* XXVIII, *in Cant.*, ait : « Quàm beatus, qui ait : Ego autem non contradico, ubi et voluntariæ habes obedientiæ formam, et longanimitatis exemplum. » Et Patres Ægypti probaturi spiritum S. Simeonis Stylitæ, jusserunt ut statim de columnâ descenderet, in quâ austeram vitam ducebat, quo subitò descensum parante, approbato ejus spiritu, eum in sancto suo vitæ instituto perdurare permiserunt, arbitrantes id non nisi a Deo procedere.

COROLLARIA.

EX QUO VARII BONI SPIRITUS DISCERNUNTUR.

Scholium. Proinde 1. Spiritus bonus est, qui se in omnibus prosperis et adversis voluntati divinæ accommodat, adinstar infantis, qui non observat an pretiosis aut vilibus pannis involvàtur, in paupere domunculâ aut regio palatio enutriatur, ut filius regis honoretur, aut ut vilis servus contemnatur. 2. Spiritus bonus est, si quis etiam in acquisitione christianæ perfectionis et gratiæ se divinæ voluntati conformet et dirigat secundùm divinam inspirationem et gratiam, secundùm Spiritûs S. impulsum, nec velit citiùs, vel tardiùs ire, quàm ipsa velit, cùm non secundùm gratiam aliorum sed suam unusquisque se dirigere debeat. 3. Spiritus bonus est, si quis in omnibus ad Patrem spiritualem a voluntate propriâ, et suî confidentiâ, confugiat, ejusque monitis et præceptis fideliter et humiliter obediat.

§ 452.

SEXTO : EXTRAORDINARIÆ INSPIRATIONES NON FACILÈ APPROBANDÆ.

Sexta Regula. Inspirationes extraordinariæ ultra, vel etiam contra leges ordinarias divinæ Providentiæ, juxta datas modò

regulas, probari quidem, et ut a spiritu bono profectæ approbari possunt, uti in capite sequenti ostendetur, et in allato mox exemplo S. Stylitæ visum fuit : communiter tamen non facilè ut divinæ et ut spiritus boni approbandæ sunt. Nam 1° *Rom.* XIII, 1, dicitur : *Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt.* Et *Cant.* II, 4, ait sponsa : *Introduxit me in cellam vinariam : ordinavit in me charitatem.* Hinc 2° S. Augustinus, l. 15, *de Civit.*, c. 22, docet : « Amor ipse ordinatè amandus est, quo bene amatur quod amandum est, ut sit in nobis virtus, quâ vivitur bene. Unde mihi videtur, quòd definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris. » Et S. Bernardus, *Serm.* XLIX, *in Cant.*, omnino necessariò charitatem esse ordinatam dicit : « Importabilis siquidem absque scientiâ est zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria... Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, et decorem, etiam et perpetuitatem... Tolle hanc, et virtus vitium erit. » 3° Ratio est quia spiritus cùm sit discretus et moderatus, ordinariè non movet, nisi ad res ordinarias, et cujusque viribus sine miraculis accommodatas, ducendo nos per vias rectas, planas et tritas, ac propterea securiores, quàm sint extraordinariæ et inusitatæ, in quibus majora sunt pericula et malignus spiritus majores tentat assultus.

COROLLARIUM.

NISI FORTÈ SATIS DE EIS CONSTET.

Scholium. Hæc discretio ob oculos habenda est a Directore, ut faciat discretionem spiritûs, nec facilè probet inspirationes quantùmvis vehementes, et ex bono titulo divini amoris, nisi congruant viribus corporis, proprio statui, ædificationi aliorum, et proportioni ad præhabitas debitas dispositiones. Quod præcipuè tenet quoad opera externa virtutum. Nam Deus inspirat quidem omnibus, magis ac magis in virtutibus internis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis erga Deum et proximum proficere, sed in externis harum virtutum effectibus, licèt unusquisque, prout potest et expedit, exerceri debeat, non tamen sine mensurâ, maximè cùm sæpe Deus quædam ejusmodi externa inspiret, non ut effectu, sed solo affectu fiant : sic enim ad Religionem, ad Martyrium, ad

Indorum conversionem vocare consuevit etiam illos, quos impedit ab executione, vel aliunde, vel directoribus, aut superioribus inspirando, ne licentiam concedant.

§ 453.

DISCRETIO MALORUM SPIRITUUM NECESSARIA EST.

Non minùs necessarium est rite discernere et reprobare *spiritus malos,* seu suggestiones quæ a Deo non sunt, sed ab ejus inimicis, maximè a diabolo. Prob. 1° ex S. Scripturâ. *Is.* v, 20, dicitur : *Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum! Prov.* xvii, 15 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* II *Cor.* xi, 3 : *Timeo ne, sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Et v. 13 : « Satanas transfigurat se in Angelum lucis. » Et I *Tim.* iv, 1 : *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Ergo cavendum ne malum bonum dicatur; impius justificetur, per astutiam dæmonis sensus corrumpantur, Satan pro Angelo lucis habeatur, ut spiritus erroris et mendacii evitetur, ad quæ discretio malorum spirituum necessaria est. 2° Ita docent PP. S. Chrysostomus, *Hom.* x, *ad Rom.*, corripiens socordiam in repellendo dæmonis insidias, ait : « Caveto igitur, te undique spiritualibus armis sepiens, illius commenta atque artes exactè perdiscito, ut cùm te ille capere nequeat, tu verò non magno illum negotio capias. » S. Hieronymus, in *Is.* v, 29, dixit : « Unde cavendum est ne pro veritate sequamur mendacium, ne pro lumine tenebras. » S. Cyrillus Ieros. *Catech.* 4, monet : « Opus est cum divinâ gratiâ, sobriâ mente, et vigilantibus oculis, ut zizania vitemus pro tritico, pro ove lupum, diabolum pro Angelo bono. S. Gregorius, l. 23 *Mor.*, c. 22, inquit : « Leviathan iste aliter religiosas hominum mentes, aliter verò huic mundo deditas tentat : nam pravis mala, quæ desiderant, apertè ob-

jicit, bonis autem latenter se insinuans sub specie sanctitatis illudit. » S. Laurentius Just. in *Cast. Connub.*, c. 2, inquit : « Primò omnium expedit, ut ignara non sit anima cœlestium inspirationum : super hoc plurimùm eam vigilare oportet, alioquin seductorios multimodè admittet spiritus, et sæpe sponsi resistet adventui. » 3° Ratio est quia dæmon, caro et mundus toti sunt, ut non, tentando ad malum, in perditionem præcipitent ; ergo nisi vigiles et oculati simus in observandis eorum suggestionibus, facilè in omne malum ruemus, adeoque discretio malorum spirituum omnino necessaria est.

§ 454.

REGULÆ PRO DISCERNENDO MALO SPIRITU.

Proinde *regulæ* nunc statuendæ sunt ex quibus malos spiritus, et dæmonis, carnis ac mundi pravas suggestiones cognoscere et declinare possimus.

PRIMO : SI SIT CONTRA FIDEM ET BONOS MORES.

Prima Regula. Quòd si opus, ad quod quis movetur, vel in minimo sit *contra fidem aut bonos mores*, certò tenendum est oriri a spiritu malo, a quocumque demum et cuicumque suggeratur. Nam, *Matth.* VII, 8 : *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et *Eph.* I, 8 : *Licèt per nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Non enim Spiritus S. potest sibi esse contrarius, nec inspirare quod contradicat iis quæ in S. Scripturâ revelata, et a sacris Conciliis, ac Christi Vicario declarata, et in totâ Ecclesiâ recepta sunt. Et qui ab hac regulâ recedunt, decipiuntur a diabolo, et instinctum falsum ceu regulam suæ credulitatis constituunt, nihil curantes quid Deus revelaverit, et per Ecclesiam credendum proponat, et ideo non illuminati, uti volunt, sed potiùs obtenebrati vocandi sunt.

COROLLARIA.

EX QUO VARII MALI SPIRITUS EMERGUNT.

Schol. I. Igitur 1. Missis procul Gentilium, Turcarum et Judæorum pessimis spiritibus, Christiani baptizati malus spiritus est, qui res mundi detorquet in fractionem legis Dei, per plurima peccata gravia, cum obstinatione. 2. Malus spiritus est hæreticorum, pseudoilluminatorum et schismaticorum, qui a supremo Ecclesiæ Capite separantur, velut putrida membra : et prava dogmata docent fidei et bonis moribus adversa. 3. Malus spiritus est qui malè sentit, et pejus loquitur de imaginibus, indulgentiis, reliquiis, Agnus Dei, etc. Quæ sunt media sancta pietatem fidelium foventia qui his externis rebus meliùs ad Deum manuducuntur.

NOTANDA DE USU SS. IMAGINUM.

Schol. II. Licèt sacræ imagines, ex modò dictis, ad pietatem, meditationem et alia exercitia christiana juvent, curandum tamen est ne in hoc ipso abusus obrepat. Circa quod plura docet S. Joannes a cruce, l. 3 *Ascens. ad mont.*, c. 34, dicens : « Quantùm ad id, quod attinet ad imagines et effigies Sanctorum, in hoc etiam potest esse magna vanitas, et complacentia vana. Quandoquidem etsi tales imagines adeo conferant cultui divino, atque adeo sint necessariæ ad movendam voluntatem ad devotionem, uti approbatio, et usus, quem de ipsis retinet nostra mater Ecclesia catholica, bene demonstrat (quare semper oportet ut illis proficiamus ad nostram tepiditatem inflammandam) nihilo tamen minùs multæ reperiuntur personæ, quæ suo gustu hærent potiùs in picturâ, ipsiusque elegantiâ et ornatu, quàm in Archetypo, aut re repræsentatâ.» Unde ille Sanctus monet, præferendas esse imagines naturæ magis conformes, et devotionem excitantes : et graviter reprehendit quòd ad normam mundi sacræ imagines fiant et ornentur, imò in nimiâ multitudine, curiositate et adhæsione ad suas imagines, et modo sui Rosarii aliquid reprehensibile invenit : quod cùm S. Theresia fortè in libris hujus Sancti legisset, explicationem a Deo accepit, curiositatem et ornatum marginalem a Religiosis in imaginibus solùm vitari debere, dicente Domino : « Quidnam meliùs? Paupertas, an charitas? siquidem ergo melior est amor, ne tolleret, sed sineret Monialibus suis quidquid amorem divinum excitaret. » In *Append. ad vit.*, sub init. Cavendum tamen ne arte dæmonis in ipsis sacris imaginibus pernicies animæ inferatur, maximè cùm

inusitatis circumstantiis figurantur. Ita iterum bene notat S. Joannes a Cruce, cit. l. 3, c. 35 et 36. Ut quando evenit, ut videantur sacræ imagines moveri, aut faciem mutare, loqui etc. Qui quidem effectus subinde sunt veri et ad bonum excitantes, aliquando tamen non sunt veri, et a dæmone ad nostrum damnum causati : « Quoniam unum ex mediis, quo dæmon facilè trahit ad se animas incautas et in illis impedit viam veritatis spiritus, est per hujusmodi res extraordinarias et raras, viâ imaginum : sive abutens illis materialibus et corporeis, quibus utitur Ecclesia, sive per illas alias, quas ipse solet imprimere in phantasiâ, vel Sancti alicujus, vel suî ipsius transfigurati in Angelum lucis ad seducendum. » Remedium præscribit idem Sanctus : « Habeat fidelis hanc curam, ut visâ imagine non velit, aut sinat, sensum sese in talem imaginem immergere, sive illa sit corporalis, sive imaginaria, sive pulchrè arte facta, sive ditata ornatu, sive devotionem afferat sensibilem, sive spiritualem, nihili æstimatis hujusmodi accidentibus, et ulteriori missâ reflexione : sed factâ imagini adoratione, quam jubet Ecclesia, subito in archetypum mentem conjiciat : ne quod debetur spiritui et objecto vivo, rapiatur a picturâ et sensu. » Alia dabit Raynaudus, t. 16, in *Heterocl.*, sect. 3, punct. 6.

§ 455.

SECUNDO : SI OPUS INTERNUM NON SIT MORALITER BONUM.

Secunda Regula. Quodsi opus internum seu *affectus* in aliquo *vitietur* contra fidem et bonos mores, vel in initio, vel medio, vel fine, vel intentione finis, vel executione *mediorum*, a malo spiritu procedit. Nam bonum et malum est in ipso spiritu vel animâ principaliter, et bonum est ex integrâ causâ, malum verò ex quolibet defectu, et est juxta illud sacrum principium, *Ps.* XXXVI, 27 : *Declina a malo, et fac bonum.* Quod S. Thomas exponit ita, ut tam in intentione quàm executione utrumque observetur.

COROLLARIA.

ALIAS ENIM A MALO SPIRITU PROCEDET.

Scholium. Quare 1. Malus spiritus est, quorumdam hominum in particulari, qui pervertunt spiritum perfectionis regularis in mo-

dum vivendi temporalem, intendentes commoditatem potiùs quàm sanctitatem. Hi secretis et publicis peccatis abundant, eorumque aliqui tanquam incarnati dæmones abutuntur mediis religionis ad propriam damnationem. 2. Spiritus malus est abusus quorumdam Sacramentorum, aliarumque piarum rerum, ad lucrum temporale captandum. 3. Spiritus malus est, cujus effectus exterior est, turbare pacem et seminare discordiam, siquidem pax est propria Deo et discordia diabolo. 4. Juxta S. Ignatium, in *Exerc. Spir. de disc. Spir.*, Reg. 4 : « Id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis piis animæ votis primùm obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. » 5. Juxta eumdem, Reg. 5 : « Sedulò et accuratè excutiendæ sunt cogitationes nostræ, circa principium, medium et finem, quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis : sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs quærendo decrevisset... Evidens tunc erit indicium auctorem esse cogitationis ejusmodi spiritum malignum. » 6. Reg. 6, notat : « Quoties contingit in aliquâ suggestione deprehendi hostem ex caudâ suâ serpentinâ, id est fine malo quem nobis insinuare studet, » malus spiritus est. 7. Si finis est honestus, magnum quidem indicium est boni spiritûs moventis, non tamen sufficiens, nisi etiam materia, seu objectum, aut medium cum talibus circumstantiis propositum, nec per se malum nec prohibitum sit, et major bonitas seu perfectio non impediatur.

§ 456.

TERTIO : SI SUPERBIA INTERVENIAT.

Tertia Regula. Inter omnia quibus spiritus vitiari potest, etiam cæteroquin bonus maximè attendendum ne *vitietur superbiâ*, etiam occultâ et spirituali. Si enim vel sola humilitas est sufficiens signum boni spiritûs, superbia subrepens signum mali spiritûs erit : quæ superbia potissimùm viris perfectis contemplatione, aliisque Dei donis ornatis latenter imminet, a quo etiam periculo S. David summoperè timebat, *Ps.* CXXX, dicens : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei : neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus*

super me : 'si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Ex quo infert ibi S. Augustinus : « Quàm ergo timenda sit superbia de dono Dei, etiam atque etiam commendandum est charitati vestræ. » Videndi etiam Cassianus, l. 12 *Inst.*, c. 1, 3, 6 ; et S. Isidorus, l. 2 *Sent.*, c. 38. Et Gerson, in *Centiloq. de impuls.*, dec. 9, advertit : « Fictus lucis Angelus... primò seminat tumoris spiritum, et impellit ipsum, ut ambulare cupiat in magnis, ut si placens et sapiens in semetipso in oculis suis, quo obtento jam illudit et adulatur, impellit et deludit, quemadmodum voluerit, nisi succurrat gratia salutaris : imò jam talis factus est sibi dæmon, se decipiens, et phantasticans, et de stulto per adulationem propriam insanum se faciens. »

COROLLARIA.

UTPOTE QUÆ MULTOS SPIRITUS CORRUMPIT.

Scholium. Proinde 1. Spiritus malus est, qui per cæremonias pias, devota verba et virtutes apparentes, humanas laudes aucupatur. Tales homines loquuntur bene, agunt malè, et in occulto scatent peccatis. 2. Spiritus malus est, quo moventur aliqui homines vani, superbi, ambitiosi, in multa effusi et sese ingerentes, ac turbulenti, qui cùm trium aut quatuor virtutum apparentium habeant, ter duodena immiscent vitia, et peccata secreta et publica, et in personas pessimas degenerant. 3. Spiritus, qui affectat suî compositionem, mendaciola, fictiones et cæremonias, est spiritus hypocrisis, qui per id quod est in externo virtutis splendidius, propriam quærit æstimationem : unde multis vitiis occultis laborat. 4. Spiritus austerus et valde pœnitens, si populari aurâ inescatus, vanus et jactabundus evadit, malus est, quatenus ejus pœnitentia in vanè gloriosam vertitur jactantiam. 5. Spiritus malus est, si quis sibi persuadeat suâ diligentiâ sanctitatem, quam in se supponit, acquisivisse, aut eam majorem esse, quàm reverà est, vel quod in eâ alios excedat, et melius ipsâ utatur : vel si optet dona extraordinaria, aut in illis habitis glorietur, magni seipsum faciat, alios contemnat, et sub prætextu utilitatis proximi sua sensa facilè manifestet.

§ 457.

QUARTO : SI QUIS IN CONTEMPTU CONTRISTETUR.

Quarta Regula est, si quis *tristetur* et animum abjiciat, cùm ab aliis contemnitur, indicium est, si non mali, saltem imperfecti spiritûs, præsertim in illis qui maximis donis a Deo ornati putantur. Nam verè tales non tam de ejusmodi donis et favoribus, quàm ærumnis et contemptu gaudent, et per mortificationem se abnegare student; sicuti Apostolus de suis sublimissimis visionibus et revelationibus coactè loquens, II *Cor.* XII, 5, subjungit : *Pro me nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.* Et v. 9 : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis : ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Ubi S. Augustinus, *Serm.* CLX, ait : « Poterat dicere : in sapientiâ D. N. Jesu Christi, et verum diceret : in majestate, et verum diceret : poterat in potestate, et verum diceret : sed dixit, in Cruce : ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.

COROLLARIUM.

ALIAS ENIM SPIRITUS PERFECTUS NON ERIT.

SCHOLIUM. Igitur 1. Spiritus, qui renuit contemni, non est spiritus perfectus. 2. Spiritus, qui non sustinet saltem pati humiliter, et negligit abnegare se per propriam mortificationem, non est absolutè bonus, nec solidæ virtutis.

§ 458.

QUINTO : SI NON SIT CONFORMIS VOLUNTATI DEI ET SUPERIORUM.

Quinta Regula. Nequit esse spiritus bonus, nedum perfectus, qui, sub prætextu inspirationis privatæ, *discedit a volun-*

tate Dei communiter omnibus expressâ, vel hìc et nunc per legitimos *Superiores* et animæ Directores approbata. Ita conformiter S. Bonaventura, in *Stim. amor.*, p. 3, c. 8, agens contra malam interpretationem illius textûs, I *Cor.* II, 15 : *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur*, quo pseudoilluminati se munire solent, ait : « Sed o pestis! atque mors gravissima et occulta! hæc Deum fugat, præsumptionem pessimam inducit abhorrendam : hæc fraternam lacerat charitatem : hæc vescentem in croceis facit stercora amplexari : hæc spirituali lætitiâ plenum ad acediam ducit : hæc cuncta ad honorem Dei referenda facit diabolicæ fraudi dari. O miser homo! Numquid in altum contemplationis ascendisti, ut te faciens aliorum judicem, debeas majus ceteris præcipitium sustinere?

COROLLARIA.

HUJUS CONFORMITATIS DEFECTUS VARIOS SPIRITUS MALOS PRODIT.

Scholium. Quare 1. Spiritus etiam virtuosus, nimis tamen addictus propriæ voluntati, licèt multa maceretur pœnitentiâ, et orationi mentali longas horas impendat, imperfectus et malus redditur : siquidem id quod minus est, scilicet exterioritatem actionis Deo cedens, propriam voluntatem quæ potissimum est, sibi reservat : nam multùm propriæ voluntatis, venenum est perfectionis. 2. Spiritus multæ pœnitentiæ, modicæ verò obedientiæ, imperfectus est, et in malum tendit. 3. Spiritus imprudens evadit plerumque importunus et addictus propriæ voluntati; si fidat sibi, perit : si verò patri spirituali se committat, subsistit. 4. Spiritus exoticus, qui affectat nimiam solitudinem in vitâ Communitatis, vel in vitâ eremiticâ plus æquo cum proximis familiaritates contrahit; qui jejunat, reliquis victum quotidianum sumentibus; orationi vacat, reliquis se honestè recreantibus, Spiritus paradoxus et artificiosus est, plus habens tumoris quàm virtutis S. Spiritûs; qui abscedit a Christo, nec meditatur in ejus vitâ et virtutibus, etsi miracula patret, non meretur fidem : quippe bonus Jesus est via, et qui a Jesu discedit, a viâ aberrat.

§ 459.

SEXTO : SI AD EXTRAORDINARIA MOVEAT.

Sexta Regula. Sufficit aliquem de seipso dicere quòd moveatur *ad extraordinaria*, ut censeatur a spiritu non bono sed malo moveri, nisi sit homo specialissimæ solidæ virtutis, humilitatis et obedientiæ. « Cùm enim sit Deus auctor viæ ordinariæ ad cœlum, per quam majores nostros deduxit, inspirat nobis, ut per eamdem incedamus, nec transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt et triverunt patres nostri. Dæmonis autem spiritus inducit ad hos terminos transgrediendos, instigando ad res novas, curiosas, singulares, prodigiosas et inusitatas, quæ admirationem et stuporem afferant mundo, ad consequendum honorem sanctitatis. » Ita Ludovicus a Ponte, in *Duce spir.*, tr. 1, c. 23. Unde tenenda est illa discretio, ab antiquis Patribus tantopere commendata apud Cassianum, *Coll.* 2, c. 2, ex cujus neglectu plurimi austerissimi miserrimè lapsi sunt. Et Gerson inter diaboli tentationes hanc ponit : « Hortatur nonnunquam hostis aggredi alta quædam et difficilia virtutum opera, sicuti immoderata jejunia, peregrinationes maximas, vel simile quodcumque, sive ut homo succumbat oneri, neque ullo pacto ipsum ferre valeat : sive ut ex ipso sequatur deterius aliud : putà ex immoderatione jejunii cerebri vacuitas, melancholia, tristitia vehemens : ex nimiâ peregrinatione grandis impatientia, ex velle alios eminenter docere, ingens tumor, hæresis, excessivum naturæ gravamen. »

COROLLARIA.

ALIAS ENIM SPIRITUS A DEO NON ERIT.

Scholium. Igitur 1. Spiritus malus est, si quis in humilitate, obedientiâ aliisque virtutibus non solidè fundatus, sub prætextu imitandi Sanctos, in his, quæ magis admirationi quàm imitationi proposita sunt, extraordinariæ vitæ, orationi, contemplationi,

jejunio et pœnitentiæ se committat. 2. Spiritus multarum revelationum, visionum, raptuum, aliorumque favorum, sine multâ pœnitentiâ, humilitate et obedientiâ, plus habet spiritûs fallacis quàm veracis : nec enim proprium Dei sed diaboli est, deaurata superædificare visionum capitella, sine fundamento solido virtutum moralium. 3. Spiritus extraordinarius, qui vulnera præfert in manibus et pedibus, et per aera fertur exstaticus; qui pluribus annis dicitur non gustâsse cibum, qui sanguinem sudat et miracula facit, si magnis excipitur laudibus, plausibus et æstimatione, si a magnatibus sub titulo sanctitatis invisitur, si honore oblectatur, ægrè fert contemptum, publicitatem appetit, neque in favoribus secretum observat : talis, etsi bene cœperit, malè tamen finiet. Signum ominosum præfert spiritus extraordinarius multùm plausu et laudibus elatus, et omnino necessaria sunt secretum, silentium, solitudo, contemptus, et soli Patri spirituali manifestatio. 4. Spiritus multarum revelationum, quæ dogmaticæ sunt et doctrinales, aut propheticæ, quanquam bonus, periculosus tamen est. Quodsi revelatum sit aliquid aberrans a S. Scripturâ, traditionibus, ritibus Ecclesiæ, et morali Patrum doctrinâ, erit Spiritus illusus pseudo-illuminatorum. 5. Spiritus, cujus exstases, raptus et revelationes non perficiunt mores et vitam, nec hominem faciunt sibi diffidentem, et propriam imbecillitatem timentem, spiritus malus et illusus est, præsertim, si hæc impedimento sint rebus obligatoriis, vel strepitus, lites et discordias generent.

§ 460.

DISCRETIO INTER SPIRITUS BONOS ET MALOS, IN DUBIO NECESSARIA EST.

Denique necessarium est *bene discernere* inter spiritus bonos et malos, cùm *anceps* et ambiguum est an spiritus bonus vel malus sit. Nam 1° hoc innuit S. Scriptura, *Prov.* XIV, 12 : *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Item XXI, 2 : *Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus. Jer.* XV, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* I *Thess.* V, 20 : *Omnia probate; quod bonum est, tenete : ab omni specie malâ abstinete vos.* Ergo non prodest homini, si via sua sibi justa videatur : quia finis ejus ad mortem ducere potest, et solus

Deus in veritate corda appendit, cujus os sunt Directores spirituales, pretiosum a vili separantes, qui omnia probare et bona tenenda præscribere debent. 2° Hoc docent PP. S. Chrysostomus, *Hom.* II, *in* I *Thess.*, ait : « Omnia probate, tum falsa, tum vera, ut cum certâ probatione discernatis, et ab illis abstineatis, istis verò adhæreatis. Nam ita et vehemens erit illorum odium, et istorum dilectio, si quando non temerè et inexpensè, sed diligenter et exactè omnia fecerimus. » S. Ambrosius, l. 2 *de Off.*, c. 8, allegans judicium Salomonis inter duas mulieres, III *Reg.* III, subdit : « Sapientiæ igitur fuit latentes distinguere conscientias, et occultis eruere veritatem, et velut quàdam machærâ, ita spiritus gladio penetrare non solum uteri, sed etiam animæ et mentis viscera.» S. Gregorius, *Hom.* V, *in Ezech.*, inquit : « Prima ergo in nos cogitatio inquisitionem nostri cordis debet excutere, ne ad quædam, quæ agimus, per apertum carnis impetum ducamur, nec pravis cogitationibus animus seductus, mala esse cognoscat, nec tamen faciat. Secunda verò nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis quasi impetus spiritûs latenter subjiciat, et culpas quas agimus, nobis virtutes fingat. Sciendum verò est, quia graviores culpæ sunt, quæ superductâ specie virtutes imitantur, quia illæ in aperto cognitæ animum in confusionem dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt ; istæ verò non solùm in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dùm virtutes putantur.» Et Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 7, ait : « Totius doctrinæ de discretione spirituum caput est, ac veluti fundamentum, quo uno hujus lucubrationis structura nititur, non solùm bonos instinctus a malis distinguere, quod suprà notatum est, sed dubios quoque et incertos dignoscere, et unamquamque motionem illi, a quo provenit, spiritui assignare.» 3° Rationem subdit citatus Cardinalis : « Multorum enim mentes ita excæcat amor suî, ut falsâ persuasione existiment se per viam salutis tutò incedere, cùm cæteri cursu iter perditionis arripuerunt. Ea item affinitas inter quosdam affectus virtutis et vitii quandoque intercedit, ut sæpe contingat nos iram pro zelo, per-

tinaciam pro constantiâ, et pro Dei amore philautiam amplecti. Fovent hunc amorem carnis nostræ sagacitas, perturbationum commotio, imbecillitas intellectûs, quibus fit ut ponamus tenebras lucem, lucem tenebras ; amarum vertamus in dulce, dulce in amarum... Alta est hæc profunditas, quam nemo potest sine Dei gratiâ penetrare. »

MONITA PRO DISCRETIONE SPIRITUUM.

Scholium. Ut motus boni a malis ritè discernantur per regulas paulò post tradendas, nonnulla monita ex *Exerc. spir.* S. Ignatii hìc præmittenda sunt : sic 1. admonet ille, Reg. 1, quòd illis, qui facilè mortaliter peccant, soleat diabolus illecebras sensuum objicere, ut peccata eorum foveat et accumulet : cùm econtra spiritus bonus conscientias eorum assiduè pungat et per synderesis rationisque officium a peccando deterreat. 2. Reg. 2. Advertit quòd illis, qui sollicitè curant se a vitiis purgare, et in virtutibus proficere, dæmon immittat scrupulos et alias perturbationes, quibus profectum impediat, cùm e converso spiritus bonus rectè agentibus animum et vires addere, eosque consolari soleat. 3. Reg. 12. Monet hostem nostrum ad instar feminæ cum viro constanti et animoso rixantis terga vertere, qui tamen, si cum timido agit in extremam audaciam insurgit. 4. Reg. 13. Ait dæmonem vel maximè indignari, si anima, quam circumvenire studet, Confessori vel viro spirituali molimina sua detegat. 5. Reg. 14. Docet dæmonem ad instar belli ducis animam nostram in eâ potissimùm parte invadere, quam minus firmatam et custoditam reperit. 6. Reg. 7 inter 8, ait diverso modo bonum et malum spiritum se animis ingerere, qui proficiunt in bono salutis : bonum quidem placidè ac leniter, malum verò importunè et violenter : et vice versâ respectu illorum, qui in dies in deteriùs tendunt, prout scilicet uterque Angelus bonus aut malus similem sibi aut dissimilem invenit dispositionem.

§ 461.

REGULÆ PRO DISCRETIONE SPIRITUUM.

Redeundum nunc est ad *Regulas* in antecedentibus § datas, quas, pro majori cautelâ, ad discernendos bonos a malis spiritibus, maximè ambiguis, ad magis speciales et sequentes restringere juvat.

PRIMO : EX PRINCIPIO ET EFFECTU DISCRETIO FACIENDA EST.

Prima est illa Salvatoris Regula : *A fructibus eorum cognoscetis eos,* quæ tamen non sine discretione in praxin deducenda est. Si enim opus aliquod, vel in minimo, aliquo errore vel pravitate laboret, secundùm hoc quidem et secundùm principium suum a malo spiritu oritur : quia Spiritus Dei summè verax et sanctus nullum, vel levissimum, falsum aut malum inspirare potest. At verò quoad alias operationes sæpe a principio et spiritu bono procedere potest : nam et homo malus potest aliquid boni facere et bonus potest facere aliquid mali. Peccator etiam sine gratiâ habituali sanctificante bonum aliquod morale ordinis non tantùm naturalis, scilicet per gratiam actualem, perficere potest; adeoque non omnia peccatorum opera sunt peccata. *Luc.* XVIII, 13, Publicanus laudatur ob humilitatem suam et dolorem, tanquam opera ad justificationem suam disponentia. Hoc confirmat Christus in citato textu *Matth.* VII, collato cum c. XXIII; nam c. VII loquitur de falsis prophetis, et tamen de Scribis et Pharisæis super cathedram Moysis sedentibus, XXIII, 2, jubet : *Omnia quæcumque dixerint vobis servate et facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.* Quæ duo effata ut conciliet S. Augustinus, *tr.* 46, *in Joan.*, ait : « Botrum carpe, spinam cave... Quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe... Doctrina vera per malos, palmes in sepe : botrum inter spinas cautè lege, ne, dum quæris fructum, laceres manum. »

COROLLARIA.

MALI ENIM A MALO, BONI A BONO PROCEDUNT.

Scholium. Proinde 1. Spiritus qui scit et satis bene loquitur de virtutum excellentiâ et perfectione, sed, occurrente occasione, in praxin eas non redigit : qui probè scit in quo patientia consistat, et quando injuriâ afficitur, conqueritur et irascitur : qui novit in quo humilitas sita sit, sed a vanitate se tueri nescit, est quidem substantialiter quoad speculationem bonus, sed malus quoad exe-

cutionem. 2. Qui sunt prædíti nonnullis virtutibus, sed cum vitiis permixtis, sunt recollecti et modesti, sed simul invidi et indiscreto zelo correpti, jejuniis addicti, sed simul detractores : in his bonum æstimandum, malum reprobandum est. 3. Qui frequenter operatur perfectè, spiritus perfectus censendus est, etsi non sit talis in hac vel illâ operatione. 4. Qui justè sine gravi noxâ operatur, sed adhuc more incipientium aut proficientium, spiritus bonus, licèt imperfectus, censendus est. 5. Qui vel in minimum errorem aut defectum inciderit, multòque magis, si error apertè contra fidem aut bonos mores fuerit, et hoc spiritui bono attribuit, nonnisi spiritus malus et illusus est.

§ 462.

SECUNDO : INTENTIO ET AFFECTUS INTERNUS ATTENDANTUR.

Secunda Regula est : *Interni affectus* præcipuè inspiciendi sunt, an effectus externos, bono spiritui proprios, producant, et inter affectus ante omnia *bona intentio* pura soli Deo placendi attendenda est. *Nam si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit,* ait Christus de bonâ intentione, *Matth.* VI, 22. Et S. Bernardus, *Serm.* 85 *in Cant.*, dicit : « Pulchritudo animæ palàm erit, si tamen non sit in spiritu ejus dolus : potest enim fieri ut simulentur omnino hæc, et non ex abundantiâ cordis talia moveantur.» Et Auctor l. *de Imit. Christi,* l. 3, c. 54, monet : « Natura callida est, et multos trahit, illaqueat et decipit, et se pro fine habet : sed gratia simpliciter ambulat, ab omni specie malâ declinat, fallacias non prætendit, et omnia purè propter Deum agit, in quo finaliter requiescit. » Rationem dat a Ponte quia spiritus bonus semper impellit in bonum finem, gloriam scilicet Dei, absque finis alicujus mali aut obliqui permixtione : cùm enim *universa propter semetipsum operatus sit Dominus, Prov.* XVI, 4, ob suam scilicet gloriam, ita quidquid ipse inspirat, ad eamdem tendit, et quidquid est contra hanc, proficiscitur a malo spiritu, hoste divinæ gloriæ, qui semper quærit quod sibi est proprium in honore aut voluptate.

COROLLARIA.

NE SCILICET MALUM OCCULTUM IBI DELITESCAT.

Scholium. Quare 1. In ipsis etiam donis cœlestibus, et dulcedine spirituali, vel verè a Deo immissâ, vel a tentatore simulatâ, si anima non in Deo, sed in seipsâ complaceat, a spiritu Dei perniciosissimè aberrat. 2. « Dæmon nonnumquam ingentem mirabilemque dulcedinem in modum et similitudinem devotionis inducit, ut in hujusmodi suavitate hominis tota conquiescat fruitio : neque Deum amare, neque aliud sibi obsequi velit, nisi solùm, ut hoc potiatur. » Ita monet Gerson. 3. S. Theresia, *Mans.* 5, c. 4, docet, quomodo animæ etiam in perfectione provectæ astu dæmonis, et amore proprio intentionem vitiante, seducantur : Nam « accedit dæmon quibusdam subtilitatibus magnis, et sub colore boni extrahit animam parumper in rebus paucis, inducendo ipsam in alias, quas non esse malas suadet, paulatimque obscurando intellectum, et tepefaciendo voluntatem, et amorem proprium gliscere faciendo, devenit a gradu in gradum usque ad evertendam animam a voluntate Dei, et adhærendum propriæ voluntati. » 4. S. Joannes a Cruce, in *Ascens. mont.*, l. 3, c. 9, docet, quòd dæmon, sive abutendo verâ dulcedine divinâ, sive falsam præstando, animam ad gulam spiritualem trahat, « ad hoc ut anima illo melle inescata, et obcæcata eo gustu, intendat oculos potiùs in dulcedinem hujusmodi quàm in amorem Dei. »

§ 463.

TERTIO : ATTENDERE QUINAM SPIRITUS COR HUMILIET.

Tertia Regula est : Sicuti Spiritus Dei solet per sua dona cor *humiliare,* ita spiritus diaboli per hæc ipsa dona cor in *præsumptionem* evehere contendit. *Primam* partem probat a Ponte, c. 24 : « quia Dei dona interna et extraordinaria magnum solent secum lumen afferre : quod profundam imprimit cognitionem nostri nihili et indignitatis, simul cum insigni confusione et pudore ob nostra peccata : qui pudor omnino excludit inanem gloriam vanamque complacentiam. » Unde etiam B. Angela de Fulginio, dubitans de suo spiritu, hoc a

Domino signum boni spiritûs accepit, quòd tempore locutionum divinarum non posset ad aliquid aliud cogitandum diverti, nec ob dona accepta inani gloriâ affici; nam cùm hoc ipsa experiri vellet, ait : « Inter hæc reducebantur ad memoriam omnia mala mea, et videbam peccata mea, propter quæ digna eram inferno. » In *Actis SS. Antverp.*, 4 jan. *Secunda* pars patet ex eo, quia hac viâ præsumptionis ausus est diabolus ipsum Christum tentare, statuens eum supra pinnaculum templi, et dicens : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* ab angelis sustentandum juxta illud : *Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te. Psal.* xc, 11. In quem locum S. Bernardus, *Serm.* 14, inquit : « Omnis qui de virtutum eminentiâ ad inanis gloriæ sese demittit et dejicit appetitum, haud dubium quin Domino virtutum, qui tanta inter nos toleravit, ut nobis formam hujus imprimeret sanctitatis, pro gratiâ contumeliam reddat. »

COROLLARIA.

HIC ENIM BONUS EST.

Scholium. Proinde 1. Notandum ex Gersone, in *Centiloq. de impuls.*, c. 9 : « Fictus lucis angelus pascit aliquando suos familiares cibis delicatissimis, qui non carnales apparent, sed omnino spirituales.... quia plus aliter concedunt, quàm satis est, et cùm fuerint saturati, dicunt elati per superbiam : Quis noster Dominus est? dicunt : Non sumus sicuti cæteri homines peccatores : væ, væ, væ tibi! » 2. Monet S. Theresia, *Mans.* 5, c. 3 : « Tam subtilia sunt dæmonis strategemata, ut facturus quòd existimemus nos habere unam aliquam, nullam habentes virtutem; millies sit circumacturus infernum; nec irrito nisu : est enim res noxia supra modum : nec enim istius modi fictæ virtutes interveniunt absque aliquâ vanâ gloriâ, utpote ab hac radice germinatæ : quo modo vice versâ illæ, quas Deus infundit, liberæ a tali vitio sunt et superbiâ. » 3. S. Joannes a Cruce, cit. l. 3, c. 8, signa quædam affert ex quibus spirituales in donis suis spiritualibus latentem superbiam possint cognoscere : scilicet ex displicentiâ ex eo proveniente, quòd alius quis pius spiritum suum non approbet : item quòd ægrè ferant audire aliis æquè aut magis specialia dona esse communicata.

§ 464.

QUARTO : EX SPIRITU MORTIFICATIONIS DISCERNENDUM EST.

Quarta Regula est : Spiritus Dei est semper *spiritus* Christi, *crucis et mortificationis,* a quo semper recedit spiritus diaboli, etiam dum spiritum Christi æmulari videtur. Nam, *Joan.* XIV, 26, Christus ait : *Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ergo fieri non potest ut Spiritus S. unquam aliquid inspiret quod a vitæ ratione alienum fuerit, quàm Christus nos in suo Evangelio, vitæ suæ decursu, et demum in cruce suâ docuit, scilicet mortificatio. Unde etiam Apostolus, I *Cor.* II, 2, dicebat se nescire aliquid aliud prædicandum, *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.*

COROLLARIA.

HIC ENIM SPIRITUS CHRISTI EST.

Scholium. Quare 1. S. Theresia, in *Viâ perf.,* c. 36, bene docet, perfectæ contemplationis ac perfectionis effectum et signum esse, non solùm sibi proponere, sed etiam datâ occasione actu contemni potiùs quàm honorari velle ; in laboribus et ærumnis potiùs quàm in quiete gaudere. « Ita ut veri contemplativi majori pretio habeant ærumnas, quàm alii aurum et gemmas : sunt quippe certiores facti, exinde verè esse ditandos. » 2. Monet argumentum esse animæ adhuc imperfectè Deo unitæ, injurias sibi illatas ægrè ferre : de eis autem gaudere, ita esse proprium animæ perfectam unionem consecutæ, ut si hoc desit, verendum sit, ne, quos in oratione favores putat, sint dæmonis illusiones. 3. Replicat, c. 38, animarum perfectarum esse proprium, non petere liberari ab ærumnis, tentationibus, et præliis, sed potiùs hæc desiderare, petere et amare. « Quia est effectus oppidò certus et notorius Spiritus Dei et non illusionis in contemplatione favoribusque a suâ majestate divinâ susceptis... Tales animæ sunt ut strenui milites, quibus magis placet bellum, quia inde majus lucrum sperant. » 4. Gerson, in *Centiloq. de impuls.,* decad. 9, notat ipsum etiam fictum angelum lucis celare

subinde laqueos suæ nequitiæ sub imagine crucis Christi, Religionis et pietatis in Sanctos et Sanctas, sed addit : « Non autem placet Deo vir superbus, etiamsi ascendat in cœlum sub titulo devotionis, sub titulo crucis, et sub titulo B. Virginis et Sanctorum : superbia est quia eo ipso fictus est, et si fictus, ideo hypocrita. Quare hoc? quia suam, non Dei gloriam quærit. » 5. Idem Gerson observat quòd dæmon « nonnunquam, scilicet sub humilitatis specie, sese custodiendi, faciat ut quis sileat ex contemptu, iracundiâ, vel superbiâ, vel, cùm loqui deberet, ex vecordi pusillanimique metu reticeat. »

§ 465.

QUINTO EX SEXTO : AD DOCILITATEM SPIRITUS ATTENDERE.

Quinta et sexta Regula, § 451, 452 et § 458, 459 traditæ et probatæ, hìc etiam replicandæ sunt, quatenus pro discretione faciendâ, maximè in casibus difficilioribus, multùm omnino refert explorare si spiritus sit *docilis,* ita ut Ecclesiæ ac *Directoris judicio* se conformet, et si discretè etiam illa inspiret, quæ statui, cæterisque circumstantiis congrua sunt : si enim ab his regulis abhorreat, sub prætextu inspirationis suæ privatæ, non boni sed mali spiritûs vehementissimum signum est.

COROLLARIA.

ET AN HODIERNIS ECCLESIÆ MORIBUS CONVENIAT.

Scholium. Huc spectat 1. Quod Card. Bona, c. 8, notat, nimirum eas inspirationes esse communiter proprias boni spiritûs, quæ illi ætati temporum, in quâ degimus, magis sunt accomodatæ, et argumentum mali spiritûs esse communiter loquendo, si nullus ætatum et rerum delectus habeatur. Visum est enim aliter atque aliter Deum in transcursu temporum viam salutis inspirâsse. Sic ab exordio mundi per plura sæcula ductu luminis rationis; deinde lege scriptâ, et variis cæremoniis; demum in adventu Christi per evangelicas et heroicas virtutes, homines regebat; et quidem in primis sæculis legis evangelicæ visibilis erat missio Spiritûs S. cum donis

suis; mox prævaluit fortitudo Martyrum contra tyrannos; postea zelus et sapientia Doctorum adversùs hæreticos : successit austeritas Anachoretarum et Monachorum. Accessit denique norma ætati nostræ conformior, cujus magis proprium est, tum a miris et insolitis abstinere, tum a nimiâ veterum austeritate aliquantulùm recedere, tum profectui animarum, promovendo frequentiam Sacramentorum et aliarum devotionum, incumbere. Dictum est autem, *communiter loquendo* : nam semper excipiendæ sunt viæ extraordinariæ, quibus Deus nonnullos deducit. 2. In motu de se bono, sed dubio, a quo spiritu proveniat, docet Ludovicus a Ponte, l. c., c. 23, comedendum esse fructum bonum, exercendo bona manifestè opera, quæ inspirantur, sine ullâ sollicitudine : quia sic quis immunis erit ab omni deceptione. Ubi tamen subdit : « Nihilominus in multis aliis rebus refert multùm, scire absque deceptione, quando hujusmodi motus et verba, sive colloquia, sint inspirationes Spiritûs S., ut locum illis demus; quando verò a malo spiritu, simulante speciem virtutis, ut illos rejiciamus. » Tunc nimirum hoc scire refert, quando motus non est circa opera manifestè bona, sed de hoc ipso dubitatur. » 3. Item a Ponte, l. c., hanc regulam tradit : « Si studeas humiliter et velociter obedire inspirationibus quas apertè cognoscis esse Dei, moxque resistas suggestionibus quas deprehenderis esse dæmonis, non permittet Deus te in reliquis decipi : nam qui facit bonum quod novit esse tale, meretur adjuvari a Deo ad assequendum quod non novit; et qui semper resistit hosti manifesto, meretur non permitti decipi ab occulto. »

§ 466.

SEPTIMO : ORANDUM A DIRECTORE PRO DISCRETIONE RECTÈ FACIENDA.

Septima Regula est : *Orandus* est sedulò *Deus*, et instanter, pro ratione dubii, ut in illo spiritum bonum cum suis inspirationibus, a malo cum suis suggestionibus possimus *discernere*. Nam ita Salomon, III *Reg.* III, 9, petiit a Deo cor docile, ut edoctus a Domino populum suum judicare posset, *et discernere inter bonum et malum.* Ita Rex Josaphat, II *Par.* XX, 12, monet : *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Siquidem juxta Tridentinum, sess. 6, c. 11. « Deus impossibilia non ju-

bet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Item S. Laurentius Just., *Serm. in Pentecost.*, ait : « Quia quid nobis expediat ignoramus, implorandum est Paracliti hujus suffragium, atque ex omnibus medullis cordis dirigenda est ad illum interioris hominis cuncta intentio, quatenus voce pariter et affectu humiliter clamet, et dicat : *Veni S. Spiritus* etc. Et ratio est quia in hac discretione magnum est errando periculum, nec cuivis datur donum discretionis spirituum, ideo saltem per orationem, maximè mentalem, quæ inspirationibus Spiritûs S. præter petitionem abundat, auxilium divinum implorandum est, ut nos illustrare, in tentationem non inducere, sed a malo liberare dignetur.

§ 467.

OCTAVO : ORANDUM A DISCIPULO PRO ILLUSTRATIONE DIRECTORIS.

Octava Regula est : *Orandus* etiam est *Deus*, ut nobis de idoneo *Patre spirituali provideat*, eumque convenienter illuminet, quod et ipse Pater orare debet, pro discretione in directione spiritûs feliciter exercendâ. Nam, *Sap.* IX, 6 : *Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Et *Jac.* I, 5 : *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet a Deo.* Quippe cùm in hac re periculum immineat, tum in eo, quòd quis in discretione spirituum semper se regere velit lumine privato, sine subsidio Patris spiritualis : tum in eo, quòd Patrem eligat, ex defectu scientiæ, pietatis, aut ex malitiâ imparem suæ directioni ; tum in eo, quòd Patri ut homini nimiùm fidat, vel Pater ipse nimiùm de se præsumat, cùm tamen a divino lumine tota felicitas bonæ discretionis dependeat. Ideo ad omne periculum declinandum recursu ad Deum per orationem opus est, et cum Ecclesiâ orandum : *O Lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium! Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.*

Corollarium. Oremus itaque cum S. David, *Ps.* XLIII, 13 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Oremus cum S. Paulo, *Act.* IX, 6 : *Domine, quid me vis facere?* Oremus cum sponsâ, *Cant.* II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis.* Ita quidem : Sed audiamus etiam nos quid loquatur in nos Dominus Deus. Est autem juxta S. Gregorium, l. 5 *Mor.*, c. 19 : « Absconditum verbum audire, locutionem Spiritûs S. corde concipere, quæ profectò sciri non potest, nisi a quo haberi potest. » Quia verò Deus nobis etiam per Patres spirituales loquitur : *Attendamus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Matth.* VII, 15 : Nam *ejusmodi pseudo-apostoli sunt operarii diaboli, transfigurantes se in apostolos Christi,* II *Cor.* II, 13. Vigilemus ergo, et oremus ut bonum probatorem spiritûs nostri nobis concedat : sed et Director in conspectu Altissimi pro rectâ discretione faciendâ deprecetur, *et si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum. Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino, et ipse diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur, Eccl.* XXXIX, 8.

§ 468.

ILLUSIO QUID.

Inter malos spiritus vel maximè periculosus est *spiritus illusus.* Est autem *illusio* deceptio in rebus spiritualibus. Cogitare ac sibi persuadere quòd aliqua res spiritualis bona sit mala, aut aliqua mala sit bona, illusio est ac deceptio.

EXPLICATUR.

Schol. I. Sicuti spiritus simpliciter bonus potest esse malus secundùm quid, et spiritus simpliciter malus, bonus secundùm quid, ita et illusus, et non illusus : qui enim spiritus bonus est, eo modo, quo bonus est, certè non est illusus, licèt in aliquo non bene, sed malè agere, et ita illudi possit : et vice versâ, qui est

spiritus malus, eo modo, quo malus est, cum persuasione boni erit illusus : sicuti autem in aliquo non malè sed bene agere potest, ita in hoc non illuditur. Illud insuper notandum, ut quis dicatur in agendo simpliciter, vel secundùm quid illusus, non sufficere quòd utcumque malè agat, si ex fragilitate vel malitiâ id faciat, quod bene novit esse malum ; sed requiritur ut agat deceptus, per errorem cogitando ac sibi persuadendo malum esse bonum, vel bonum esse malum. Quæ deceptio etiam non debet esse qualiscumque hominis cogitatio de bono ut malo, vel malo ut bono, sed cum assensu intellectûs ex imperio voluntatis : aliàs foret pura suggestio, seu tentatio, non verò illusio.

QUOTUPLEX.

Schol. II. Illusio potest esse vel *materialis*, quando deceptio contingit ex ignorantiâ invincibili, et prorsus involuntaria, dum quis vel non tenetur, vel, adhibitâ debitâ diligentiâ, non potest assequi veritatem ; vel *formalis*, et leviter peccaminosa, aut ratione levitatis materiæ, aut ex semiplenâ deliberatione, etiam in causâ ; vel *graviter* peccaminosa, quando materia est gravis cum plenâ deliberatione. Hæc gravitas subinde est *dubia*, et a peritis etiam Doctoribus difficulter cognoscibilis : aliquando *aperta*, et facilè cognoscibilis, quæ quandoque cum obstinatione ad crassos errores contra fidem et mores, hæresi, seu aliâ censurâ dignos progreditur, quales sunt illusi, qui in sectas illuminatorum et quietistarum labuntur.

§ 469.

JUSTI ILLUSIONIBUS SUNT OBNOXII.

Illusiones vel *materialiter* tales, vel etiam ex *culpâ levi* imputabiles, etiam *Justi*, imò et *perfecti incurrere possunt*. Patet 1° ex S. Scripturâ, *Sap.* IX, 13, dicitur : *Quis hominum poterit scire consilium Dei? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.... Sensum tuum (Deus) quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum S. tuum de altissimis : et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi pla-*

cent, didicerint homines? Et *Rom.* VII, a v. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et S. David, *Ps.* XXXVII, 7, deplorat : *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Ergo cùm cogitationes etiam justorum sint timidæ, providentiæ incertæ, corpus animam gravet, et sensum deprimat, ac fomes in perfectis adhuc maneat, et S. David ipse de suis illusionibus doleat, etiam justi et perfecti eas incurrere possunt. Id quod insuper exempla scripturistica probant. Sic S. Nathan Propheta, II *Reg.* VII, illusus fuit, dum Davidi prædixit eum templum ædificaturum. Sic alter Propheta sanctus ab alio Prophetâ seductus fuit, III *Reg.* XIII, ut contra præceptum Domini in viâ concederet. Sic Apostol. *Luc.* XXIV, 2, nuntium resurrectionis a mulieribus allatum pro deliramento, et *Matth.* XIV, 26, Christum super aquas euntem pro spectro habentes, illusi fuerunt. 2° Constat ex PP. S. Augustinus, in *Ps.* XXXVII, ait : « Tristitia nobis sit, donec et anima nostra exuatur illusionibus... Quantæ sint autem illusiones animæ, si voluero dicere, tempus quando sufficit? Cujus enim anima ista non patitur? Breve est, quod admoneo, quomodo anima nostra completa est illusionibus. » Et Cassianus, *Coll.* 1, c. 21, exemplum Abbatis Joannis, viri sancti, refert, cui diabolus ipse confessus est quòd eum ad indiscretum jejunium seduxerit. Nam uti S. Bernardus, *Serm.* 24 *de Diver.*, observat, dæmon *suadet nonnullis singularia jejunia quædam, unde cæteri scandalizentur : non quia jejunium diligat, sed quia scandalo delectetur.* 3° Ratio est : Nemo justus et perfectus, exceptâ B. Virgine, liber est a fomite peccati, et immunis ab omni culpâ veniali. Ergo nec ab omni illusione tum materiali, tum venialiter culpabili : nam fomes peccati, prout includit motum inordinatum contra rectam rationem sive indeliberatum et materialem, sive secundò primum, semiplenè deliberatum et venialem, etiam ad illusiones se extendit, utpote quæ magis difficulter deteguntur, et ob vulnus

ignorantiæ a peccato originali nobis inflicto faciliùs incurruntur.

ILLUMINATI.

Scholium. Illuminati sunt quoddam hominum genus, quod multùm tractat de oratione mentali, et de apice contemplationis, de suspensionibus, visionibus, miraculis, raptibus et illuminationibus : id quod in vitâ spirituali nobilissimum et splendidissimum est, vertendo in operimentum vitiorum et magnorum scelerum. Hi magnam vitæ spiritualis partem reducunt ad illusiones phantasticas sui insani cerebri. Eorum plerique bene cœperunt, et, ad tempus, solidarum virtutum iter prosequebantur : at verò cùm forti orationis vino ejusque dulcedine inebriarentur, evanuerunt in cogitationibus suis, et in occultam superbiam, persuadendo sibi se eximiè sanctos esse, prolapsi sunt : cùmque Deus superbos derelinquat, sine morâ eos diabolus arripit, et oratione, solitudine, pœnitentiâ, similibusque actionibus inescatos, primùm eorum intentionem corrumpit, ut gustum et honorem in actionibus suis quærant; postea eos illusionibus et fictis revelationibus opplet, sicque multas falsas doctrinas ingerit, et in gravia occulta peccata præcipitat, ita ut exteriùs hypocritæ, interiùs hæretici sint. Tales pseudoilluminati, post alios antiquiores, fuerunt Beguardi et Beguinæ, quorum errores damnavit Clemens V, in Concilio generali Viennensi, sæculo XIV°, et habentur in Clem., *de Hæret.*, c. *Ad nostrum*. Item qui signanter dicti sunt illuminati, damnati sunt cum suis erroribus ab Inquisitione Hispanâ sub initium sæculi XVIII, quos refert Salelles, in *Tribun. fid.*, l. 3, reg. 325. Qui denuo suscitati sunt sub nomine Quietistarum, et cum Michaele Molinos ab Innocentio XI damnati fuerunt. Miserabilium horum Illuminatorum revelationes sunt dæmonis illusiones, eos adeò excæcantis, ut faciat eos credere bonum esse malum, et malum bonum, et totum hoc sub pallio perfectionis et orationis. Quærunt hi discipulos spirituales; quærant, sequantur, et plaudant ipsis : plausum quippe deposcunt popularem. Sunt in suis actionibus propriæ voluntati addicti; sunt pertinaces, et duri judicii; alios volunt sibi esse subjectos, humiles, obedientes, quin ipsi exemplo suo precant, quò meliùs in subjectione alienâ propriam auctoritatem, et in alienâ humiliatione suam superbiam exerceant. Verbo, sunt hæretici plurimis secretis et publicis peccatis infecti.

§ 470.

ILLUSIONES CAVENDÆ SUNT.

Proinde *cavere* sedulò debent et timere *justi*, quin et *perfecti*, vel qui se tales esse putant aut præsumunt, ne fortè incurrant aut incurrerint *illusiones* tum materiales, tum formales, non solùm leviter, sed etiam graviter peccaminosas. Nam 1° S. Scriptura, *Prov.* XIV, 12, monet: *Est via, quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem. Job.* IX, 28, *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Ps.* XVIII, 13 : *Delicta*, vel, juxta hebraicum, *ignorantias quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Jer.* XVII, 9 : *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. Ps.* LXXIV, 3 : *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* I *Cor.* IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et *Apoc.* II et III, Episcopo Sardis scribitur : *Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, et mortuus es.* Et Episcopo Laodiceæ : *Dicis quòd dives sum et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Ergo si datur via apparenter recta, si SS. Job et David ab occultis timebant illusionibus, et ipse S. Paulus se justificatum asserere non audebat; etiam justi et perfecti in oculis suis judicium Episcoporum Sardis et Laodiceæ timere, et ab illusionibus etiam culpabilibus sibi cavere debent. Accedunt exempla scripturistica, Ozæ, Arcam periclitantem sustentantis, II. *Reg.* VIII; Saulis in discrimine populi Domino sacrificantis, I *Reg.* III, et Regi Amalec ac melioribus spoliis Deo immolandis, parcentis; et David populum numerantis, II *Reg.* XXIV, qui omnes putabant se bene agere, et tamen culpabiliter illusi, et severè puniti sunt. 2° S. Basilius, in *Const. Mon.*, c. 2, ante med., docet : « Cùm multis in rebus offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apostolus dicebat : *Nihil mihi con-*

scius etc., quod idem est ac si diceret : Multa debita committo, quæ me committere non intelligo. Propter hanc causam etiam Propheta ait : *Delicta quis intelligit?* S. Hieronymus, *in Dial. adv. Pelag.*, l. 1, fusè probat per ignorantiam et errorem, etiam putando eum esse veritatem, graviter peccari posse. S. Augustinus, l. 22 *de Civit.*, c. 23, ait : Vigiliis continuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur.» S. Gregorius, l. 9 *Mor.*, c. 17, infert : « Quid ergo est, quod mira opera faciens, hæc ipsa etiam veretur pavens (S. Job.).... nisi quòd in sancti viri actibus verbisque colligimus, ut, si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa etiam in nobis bene gesta timeamus.» Et S. Isidorus, l. 2 *Sent.*, c. 27, ait : « Sæpe, quæ apud hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi et acutissimi judicis reproba deteguntur. Ideoque omnis Sanctus veretur ne fortè bonum quod agit, pro aliquâ animi intentione, in oculis Dei reprobum sit.» S. Theresia, in *Via perf.*, c. 38, docet : « Ubi dæmon ingens potest inferre damnum, quin sit recognitus, est, faciendo nos credere virtutes habere quas non habemus, quod est dira pestis.» 3° Ratio est quia nisi homo in initio, medio et fine vitæ spiritualis perpetuò in cognitione suî invigilet, nihil mali est quod timere non debeat, cùm ex se nonnisi deficere et peccare possit : ergo se nec justum et perfectum temerè præsumere, sed cavere ac timere debet, ne vel illusiones culpabiles incurrat, vel jam incurrerit.

CONFIRMATUR.

Scholium. Inde arguat Director quantâ prudentiâ procedere debeat vir spiritualis in operationibus suis, ut non illudatur, quantâ diligentiâ examinare debeat an materia suarum actionum sit ex omni parte bona, vel ex aliquâ parte mala an suus in agendo finis, rectus sit et sincerus an non; num in operibus suis non irrepserit quid passionis, ita ut vitium colorem virtutis induat : videat

imprimis quàm accurato examini submittere debeat actus suos, postquam eos patravit, ut si quid in eis deprehendat fraudulentum, seipsum illuminet, oculos aperiat et in posterum cautus fiat; quia reverà istiusmodi illusiones, nisi in principio eradicentur, crescunt et irremediabiles evadunt. Cornelius a Lapide explicans verba hæc, *Cant.* II, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* « Vulpes sunt, inquit, suggestiones fraudulentæ, quas dæmon, caro et mundus animæ suggerit sub specie boni ut eam ad malum inducat : vitium enim palliat velo virtutis et Satanas se transfigurat in angelum lucis. Quare hæc illico, dum oriuntur, et parvulæ sunt, capiendæ sunt, ut earum fraus dolus et error detegatur : ne adultæ et corroboratæ capi et evelli nequeant. » *Corn. a Lap. in text. cit.*

§ 471.

RADICES ILLUSIONUM.

Ut autem istiusmodi illusionis eò meliùs caveantur, præcipuas earum radices indicare et nosse expedit : quarum

PRIMA EST NEGLIGENTIA IN REBUS DIVINIS.

Prima est, et valde frequens, *negligentia in rebus divinis.* Nam non solùm conscientiæ laxæ, sed et mediocriter timoratæ, sæpe ea scire culpabiliter negligunt, quæ scire et facere tenentur : unde pro ratione et mensurâ negligentiæ, ignorantiæ, illusio directè aut indirectè, leviter vel graviter culpabilis evadit. Tales sunt ignorantiæ, de quibus Apostolus, I *Cor.* XIV, 38, ait : *Qui ignorat, ignorabitur.* Et Christus D., *Luc.* II, 47, in parabolâ duplicis servi, quorum unus cognitam Domini voluntatem non faciens, *vapulabit multis,* alter non cognoscens, et digna plagis faciens, *vapulabit paucis.* Ubi ad nos Theophilactus ait : « Sunt qui quærant : Esto, bene puniatur is qui scit voluntatem Dei, et non facit ; qui autem nescit, quare punitur? eo quòd potuisset etiam ipse discere, et noluit, sed piger fuit, quò ipse in causâ fuit, ut minùs didicerit, quapropter puniendus est quòd non sponte didicit.

Timeamus, fratres, etc. » Videri etiam potest S. Chrysostomus, *Hom. ad Rom.*, et S. Thomas, 1, 2, q. 76, a. 2 ad 1.

QUOMODO HÆC RADIX PRÆCAVERI POSSIT.

Scholium. Notat hìc Ludovicus a Ponte, *Tr.* 1 *duc. spir.*, c. 23, quòd admodum intersit, sine negligentiâ correspondere inspirationibus divinis apertè talibus, et resistere apertis suggestionibus diabolicis : sic enim non permittet Deus aliquem, saltem culpabiliter, occultè decipi. Nam omnis ignorantia culpabilis fundatur in aliquâ culpâ ex malitiâ, v. gr. in aliquâ negligentiâ satis cognitâ vel cognoscibili. Interim tamen in sancto timore vigilandum, et duplex extremum vitandum est. Aliud nimii timoris et anxietatis, quæ obest fiduciæ in Deo habendæ, qui suâ sapientiâ supplebit quæ quis ex propriâ imbecillitate ignorat : imò nimius ejusmodi timor facilè ad deceptiones disponet, et divinam inspirationem pro illusione habebit, ubi contigit Apostolis, *Matth.* xiv, 26, quando nimiùm meticulosi Christum ambulantem supra mare phantasma esse putaverunt. Aliud extremum vitandum est : nimia securitas. Qui enim non timet, non se præparat; qui autem imparatus est, facilè decipitur.

§ 472.

SECUNDA EST DEFECTUS RECTÆ INTENTIONIS.

Secunda radix est defectus *rectæ intentionis*. Dantur enim conscientiæ mediocriter virtuosæ, in propriâ tamen suâ existimatione perfectæ, quæ, cùm putent se magna Dei dona habere, et magna pro Deo facere, reverà tamen non ex purâ, Deo placendi, sed occultè superbâ et spiritualiter luxuriosâ intentione ducantur, dum in eorum corde non amor Dei, sed proprius; non gloria Dei, sed sua; non divinum beneplacitum, sed gustus privatus, directè vel indirectè regnat, id quod ex eo possent cognoscere, quòd, dum pati et contemni eos contingit, statim exasperentur; tristentur, si vel eadem, vel meliora ab aliis fieri videant, et animo cadant, si consolationes dispareant, et ariditates succedant : « unde eorum vitiata opera ob illusionem culpabilem coram Deo vitiantur. » *Si*

namque oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Matth. VI, 22. Et tunc fit, quod Richardus Victor. *in Cant.*, c. 7, ait : « Latet in animâ superbia, et hoc ipsa nescit, sed Deus hoc videt : quia occulta conspicit, et propterea gratiam suam subtrahit, vel non concedit. »

ETIAM IN SPIRITUALIBUS BONA INTENTIO DEESSE POTEST.

Scholium. Ad hoc etiam spectat, quod in Sacris litteris docemur, ne scilicet in devotione, lætitiâ vel gaudio spirituali sistamus, sed totum ad Deum auctorem referamus. Ideo vera devotio, ad *Rom.* XIV, 17, vocatur *gaudium in Spiritu Sancto.* Et S. Paulus, *Philip.* IV, 4, hortatur : *Gaudete in Domino semper.* Et, *Ps.* XXXVI, 4, dicitur : *Delectare in Domino.* Ubi etiam Ludovicus a Ponte, *Tr. 1 duc. spir.*, c. 23, ad consolationen infirmorum bene advertit, non esse illico tribuendum illusioni, quòd subinde in rebus spiritualibus nonnullæ tentationes vanitatis et superbiæ immiscean-tur, si illis viriliter resistatur. Sicuti S. Vincentius Ferrerius de se narrâsse refertur, vanam gloriam ire ac redire, sed non hærere in corde suo. Imò nec mirandum, si interdum leviter aliquid adhæ-rescat, quod non probat spiritum esse illusum, sed tantùm esse imperfectum, sicuti aliqui dicunt, Patriarcham Joseph in suâ ju-ventute fratribus suis somnia sua narrantem in aliquam jactantiam lapsum fuisse : quæ incuria ob excitatam in se fratrum suorum in-vidiam carò illi stetit, *Gen.* XXXVII.

§ 473.

TERTIA EST PRÆCIPITATIO.

Tertia radix est *præcipitatio et defectus consilii :* qui defec-tus, licèt in conscientiis laxis, etiam circa intentionem debiti finis habendam, versari possit, sæpiùs tamen in conscientiis imperfectè virtuti deditis, et non semel etiam in aspirantibus ad perfectionem, versatur circa electionem mediorum ad bo-num finem majoris Dei beneplaciti conducentium; ad quæ cognoscenda, inter alia Spiritûs S. dona, donum consilii præ-stitutum est, tam precibus, quàm consideratione implorandum et exercendum : si enim vel nullâ, vel modicâ, vel insuffi-

ciente, pro ratione materiæ, consultatione, hæc electio mediorum fiat, sibi quis imputet quòd in electione medii decipiatur: hoc quippe est vitium præcipitationis, quod facit ut quis, cæco modo procedens, in eo quod ignorat aut illusus operatur, a culpâ non excusetur. Talis est via illa invia impiorum, de quâ, *Prov.* IV, 19, dicitur : *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Et est illius viri miseria, de quâ S. Job, III, 23, testatur : *Cujus abscondita est via, ac circumdedit eum Deus tenebris.* De quo etiam videri potest S. Thomas, 2, 2, q. 53, a. 3.

§ 474.

QUARTA EST ALIOS NON CONSULERE.

Quarta radix est, alieno competenti *consilio non uti*, quando Deus in genere ad bonum aliquod inspirat, nondum tamen in specie ad media determinatè suscipienda. Id quod subinde contingere patet ab exemplo Sauli, *Act.* IX, 6, cui Christus Jesus inspiravit quidem a viâ suâ malâ recedere, non statim tamen ostendit quænam sibi via tenenda esset; sed rogante illo : *Domine, quid me vis facere?* missus est ad Ananiam, a quo, nomine Dei, de divinâ voluntate plenè edoctus fuit. Idem docemur ab exemplo vitando Jephte, *Jud.* II, cui Spiritus Domini, juxta communem Doctorum sententiam, inspiravit votum sacrificandi Deo quod sibi, de victoriâ Ammonitarum reversuro, domi primùm occurreret: occurrentem autem filium suum temerè sacrificandum censuit, non implorato Dei lumine et ministrorum ejus consilio, ut sciret an exceptio filiæ fieri debuisset, prout reverà excepta erat. Ideoque culpabiliter Jephte illusum fuisse communis sententia tenet cum S. Ambrosio, in *Exhort. ad Virg.*, circa med. : unde etiam S. Laurentius Just., l. *de Obed.*, c. 26, monet : « Qui a semetipso loquitur, frequenter sententias proferendo præcipitat, sibique cohærentes errare facit. »

§ 475.

QUINTA EST REVELATA AD PROPRIUM SENSUM DETORQUERE.

Quinta radix est, *ad proprii judicii sensa flectere* et aptare, quæ a Deo vel *inspirata*, vel revelata sunt. Sic illud, *Ps.* xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te* etc., allegavit diabolus, *Matth.* iv, 6, ut, verba illa in sensu diabolico sumendo, Christum ad se præcipitandum e pinnaculo Templi tentaret. Eodem modo non solùm inter multa, quæ Deus verè inspirat, aliqua de suis, quasi non diversa, suggerit; sed etiam multa vera quandoque diabolus proponit, inquit S. Gregorius, l. 4 *Dialog.*, c. 48, et S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 6, nempe, ut sic eum securum reddat, cum quo agit, quòd spiritus suus bonus sit : deinde verò aliquid malum, continens errorem, ut peccatum, de suo proprio malo spiritu addit.

DÆMONI NON CREDENDUM.

Scholium. Ex hoc infert Ludovicus a Ponte, l. c. c. 23, § 3 : « Maligno spiritui, quando talis esse cognoscitur, non esse habendam fidem, etiam in veris quæ dicit, propterea quòd ille dicat; nec obtemperandum in bono quod præcipit, propterea quòd ille præcipiat : sed quia ipsa ratio aut fides sic dictat. » Nec permittendus est aliquid nobis dicere, exemplo Christi D. N., qui dæmonia clamantia, *quia tu es Filius Dei*, increpans, non sinebat ea loqui : quia quæcumque dicant aut faciant, eò dirigunt ut nos decipiant, et in superbiam ac in perniciem nostram deducant, quodsi dæmon, aut passio aliqua tua, furioso aliquo impetu ad bonum aliquod opus, etiam præceptum, impelleret, non est faciendum ut pareas suggestioni, sed ut impleas legem Dei, reprimendo furiosum impetum et perturbationem quam suâ suggestione dæmon affert.

§ 476.

SEXTA EST EXTRAORDINARIA APPETERE.

Sexta radix est *extraordinaria* potiùs *appetere* quàm ordinaria et communia in viâ spiritûs; quod est proprium spirituum illusorum, de se et virtutibus suis, quibus tamen carent, præsumentium. Unde regularia et sui statûs propria fastidiunt, et toti sunt, ut ea faciant quæ alii non faciunt, sive in multâ oratione, sive in jejuniis et pœnitentiis, sive in appetendo Martyrium, aut miraculosa faciendo pro mundi reformatione. Si quæ insolita ex speciali Dei inspiratione a Sanctis patrata in eorum actis legunt, mox ad similia se accingunt, ipsamque improportionem virium suarum, litterarum et virtutis pro motivo accipiunt, putantes se ad magna eligendos ex abusu illorum textuum S. Scripturæ : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis.*

EXTRAORDINARIA IN SANCTIS ADMIRANDA, NON IMITANDA.

Scholium. Bene proinde iterum monet citatus Ludovicus a Ponte : « Hujusmodi inspirationes accipiendæ non sunt in regulam nostram actionum, nec exempla hæc sunt imitanda, sed admiranda, et laudandus est Deus in Sanctis suis et operibus suis. Opus est autem magnâ attentione in rebus hujusmodi : nam dæmon, qui, instar simiæ, vult imitari quod facit Deus, hinc accipit occasionem ad ignorantes et superbos decipiendos, eos permovens ad res rationi contrarias, fingens quòd Deus cum ipsis dispenset, et internâ illâ inspiratione potestatem faciat ad ea exsequenda. » Quod exemplo illius Monarchæ probat, qui, teste Cassiano, *Coll.* II, c. 7, filium suum, nisi aufugisset, decollâsset, quasi eodem, quo olim Abraham, spiritu duceretur.

§ 477.

IGNORANTIA CULPABILIS AB ILLUSIONE NON EXCUSAT.

Illusiones hæ, et radices earum, eò sollicitiùs cavendæ sunt, quòd *non sufficiat ignorantia*, etiam positiva, si *culpabilis* sit, *ut excuset* aliquem ab illusione formali, etiam in quâvis materiâ gravissimâ et turpissimâ. Nam 1° S. Scriptura, *Eccl.* VIII, 14, ait : *Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant, sed et hoc vanissimum judicio. Soph.* I, 17. *Et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Is.* VI, 10, *Excæca* cor populi hujus, ne fortè videat oculis suis. Et *Rom.* X, 12, reprehenduntur ii, *qui æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Ergo dantur impii culpabiliter ignorantes, et securi apud se, non verò apud Deum; ambulant enim ut cæci : quia Domino peccaverunt, et ob hoc cætitatem voluntariam contraxerunt, quos etiam Deus permissivè excæcat, ita ut rectè agenda non videant, et ignorent culpabiliter. Unde, licèt etiam ex rectâ intentione, cum æmulatione placendi Deo, procedant, tamen a culpâ non excusantur, si talis intentio non sit secundùm scientiam legum Divinarum, quam habere possunt et tenentur. Hìc etiam redeunt exempla Ozæ, Saulis, David, Angeli Laodiceæ, quibus accedunt ethnici Philosophi, de quibus S. Paulus, *Rom.* I, ait esse a peccato inexcusabiles, licèt *obscuratum est insipiens cor eorum, et non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte.* Imò ipse S. Paulus testatur de seipso fuisse blasphemum, persecutoremque Ecclesiæ, sed misericordiam consecutum : quia ignorans fecit in incredulitate. De crucifixoribus suis supposuit Christus eos peccâsse licèt ignoranter, dum oravit Patrem, *Luc.* XXIII, 34 : *Quia nesciunt quid faciunt.* Sicut etiam peccârunt persecutores Apostolorum et Martyrum, licèt putarent se *obsequium præstare Deo, Joan.* XVI, 2. 2° Ita docent PP. S. Augustinus, sive alius, in *Quæst. V. et N. Test.*, q. 67, ait : « Non omnis ignorans immunis est a pœnâ. »

S. Chrysostomus, *Hom.* 26, *in ep. Rom.*, hoc multis probans subdit : « Neque putandum ad apologiam sufficere ignorantiam; erit enim, erit inquam, quando et ignorantiæ pœnas dabimus, quando scilicet et ipsa ignorantia veniam non habebit. » Quod in Judæis, Græcis et Ethnicis ostendens, hanc regulam tradit : « Quodsi ea ignoraveris, quæ sciri non possunt, præter culpam erit : si verò, quæ scitu et possibilia sunt, et facilia, extremas pœnas meritò dabis. » Et S. Thomas, *Lect.* 7 *in c.* I *Rom.*, docet : « Tunc ignorantia culpam excusat, quando sic procedit et causat culpam, quòd non causatur a culpâ : si verò ignorantia causetur ex culpâ, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare. 3° Ratio est quia ignorantia in causâ imputabilis non antecedit omnem libertatem, adeoque est ad culpam imputabilis, uti quando quis nescit ea, quæ ad statui suo satisfaciendum sunt necessaria : quando quis negligit passiones suas mortificare, orare pro illustratione Divinâ, etc. Ergo ab illusione formali et culpabili non excusat.

NONNULLA PECCATA IGNORANTIÆ IN VIRIS SPIRITUALIBUS.

Scholium. Nonnulla sunt peccata magis subtilia, interna et occulta, in quibus qui Deo servire cupiunt lapsi jacent, et quæ ex negligentiâ propriâ non agnoscunt : quæ licèt non semper sint mortalia, semper tamen sunt periculosa et fugienda. Hujusmodi sunt 1 superbia spiritualis, quâ homo seipsum internè nimis æstimat : unde in suo judicio est nimium pertinax, et quod ipse vult inordinatè, impleri desiderat. 2. Fiducia in viribus præsumptuosa. 3. Curiositas temeraria circa opera et judicia divina. 4. Indiscretio in vigiliis et pœnitentiis contra judicium Patris spiritualis. 5. Appetitus vitiosus ad externa singularia.

§ 478.

REMEDIA CONTRA IGNORANTIAM : PRIMUM : CONSULERE DOCTORES.

Remedia, quibus quis ad præcavendas et delendas ignorantias juvari postet, sunt *primò : Consulere lumen rationis*, li-

bros evolvere, Doctores, Directores et Prælatos interrogare; nam uti ex S. Augustino, c. *Quæritur*, 22, q. 3, refertur: « Nemo debet tentare Deum suum, dum habet quid rationabili consilio faciat. » Hoc ipsum autem ex sincero veritatis amore faciendum est, non ex passione, non ex indocili præjudicio, non illos studiosè quærendo, qui ex scientiæ et pietatis defectu, potiùs falsa quàm vera dicant et nobis placentia loquantur. « Nam si sapientia, ait S. Augustinus, l. 1 *de Mor. Eccl.*, c. 17, et veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. » Et S. Chrysostomus, *Hom.* 44, *in Matth.*, inquit : « Non potest eis esse excusatio condemnationis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas : nam si veritas salus et vita est cognoscentium se, magis debet quæri quàm quærere. » Plura habet *Hom.* 40, *in Joan.*, in illud : *Scrutamini Scripturas.*

§ 479.

SECUNDUM : EXPIATIO CONSCIENTIÆ.

Secundum remedium est *expiatio conscientiæ* propriæ, vitando et delendo peccata cognita, edomando passiones, obsequendo Divinis inspirationibus, studendo et exercendo se in virtutibus, maximè in amore Dei super omnia, qui nos sollicitos facit, et vel ignorantias detegit, vel cavet, ne culpabiles fiant. Aliàs enim terribilis illa pœna nobis timenda erit, quam S. Gregorius, l. 14 *Mor.*, c. 19, minitatur : « Ex pœnâ etenim culpæ est videre bonum, quod agere debeat, et tamen implere non posse : et rursum ex graviori pœnâ culpæ est, quod agere debeat, nec videre. »

§ 480.

TERTIUM : EXAMEN QUOTIDIANUM CONSCIENTIÆ.

Tertium remedium est solers et *quotidianum conscientiæ*

examen, juxta illud, *Ps.* LXXVI, 6 : *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercebar, et scopebam Spiritum meum.* Uti enim de seipso aiebat S. Bernardus, vel alius, in med. c. 5 : « Quò diligentiùs meipsum examino, eò plures defectus in conscientiæ meæ angulis reperio. » Ideo sancta praxis est quotidie, saltem ante cubitum, per horæ quadrantem seipsum exactè examinare, sicut quis brevì a Deo examinandus et judicandus erit. Id quod etiam ante prandium, per singulas horas et ante opera alicujus momenti laudabiliter fieret.

§ 481.

QUARTUM : ORATIO.

Quartum remedium est *oratio* tam mentalis, seu meditationis, quàm petitionis. Sæpe enim non sufficiunt vires naturæ ad sciendum quæ facienda sunt, nisi subveniant vires gratiæ, quæ a Deo per orationem obtineri debent. Nihil magis exprimit S. Scriptura. Sic Habacuc III titulus est : *Oratio Habacuc pro ignorantiis.* Totus Psalmus CXVIII est continua petitio et meditatio Legis Dei. *Ps.* XVIII, 13, orat S. David : *Delicta* (vel, juxta Hebraicum, *ignorantias*) *quis intelligit? ab occultis meis munda me. Ps.* XXIV, 7 : *Ignorantias meas ne memineris.* Et S. Jacobus I, 5, docet : *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Hinc S. Augustinus, l. *de Nat. et grat.*, reprehendit Pelagium, peccatum ignorantiæ admittere recusantem, quòd non peteret a Deo : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

ADHORTATIO AD CAVENDAS ILLUSIONES.

Corollarium. Curemus igitur vitare illusiones et ignorantias, et studeamus viam mandatorum Dei alacriter currere, ut sic ab illis, saltem culpabilibus, magis nobis caveamus, dolendo insuper de omnibus quas fortè incurrimus. Recogitemus omnes annos in amaritudine animæ nostræ, et non quæramus excusationes ignorantiæ in peccatis. Discamus, ante omnia, illa quæ ad salutem nostram

æternam nos conducunt; nam uti S. Isodorus, l. *de Sinon.*, § *de Sap. et ignor.*, bene docet : « Ignorantia mater errorum est, ignorantia vitiorum nutrix ; peccatum magis per ignorantiam prævalet : ignorans enim quid sit culpæ dignum non sentit, nec quando delinquit agnoscit.... Sapiens omnia prudenter examinat; inter bonum et malum sapiens dijudicat. Summum bonum est scire quid caveas, summa miseria nescire quò tendas. Dilige ergo sapientiam, et manifestabitur tibi; accede ad illam, et appropinquabit; assiduus esto illi, et instruet te. » Ut autem sapientiam inveniamus, quæramus illam in oratione et meditatione : nam, teste S. Augustino, l. *de Quant. anim.*, c. 14 : « Fieri non potest ex quâdam divinâ Providentiâ, ut religiosis animis seipsos, et Deum suum, id est, veritatem, piè, castè, ac diligenter quærentibus facultas inveniendi desit.

§ 482.

ILLUSIONES PARTICULARES SPIRITUALIUM.

Ut verò homines, præsertim orationi dediti, *illusiones* eò meliùs *præcaveant*, nonnullas in particulari hìc annotare juvat.

Primò. Longa et recollecta oratio, quam multa devotio, lacrymæ, favores et gratiæ comitantur, si ex aliâ parte non accedunt pœnitentiæ, ærumnæ, dolor et mortificatio, non perseverat; sed, vel est privilegium, vel miraculum, vel illusio.

Secundò. Oratio impediens obligationem, est illusio; et oratio quæ nescit relinquere Deum propter Deum, nec subvenire fraternæ charitati obligatoriæ, et pœnitentiam præfert obedientiæ, vel amentia est, vel manifesta illusio, § 458.

Tertiò. Oratio vitia non exstirpans, nec virtutes implantans, vel nulla est, vel illusio.

Quartò. Oratio, quantùmvis favoribus, visionibus, raptibus et exstasibus recreata, sine fundamento virtutum moralium, humilitatis, patientiæ et obedientiæ, clara est illusio : fallitur enim manifestè, qui putat Deum (nisi fortè aliquando per miraculum) spirituales favores solido fundamento virtutum moralium ordinariè superstruere.

Quintò. Persuadere sibi vitam spiritualem, vel principalem aliquam illius partem, sitam esse in paradoxis, mimicis labiorum compressionibus, delicatulis fastidiis, fictis et affectatis gestibus et compositionibus, illusio est et deceptio.

Sextò. Qui censet propria et naturalia sensa esse inspirationes divinas et supernaturales, dicitque omnes locutiones internas esse locutiones Dei et semiprophetias, vel qui sibi persuasum habet de imaginationibus suis esse totidem visiones ac revelationes, illusus est.

Septimò. Oratio removens hominem a vocatione suâ, vel exercitium sui instituti et propriæ professionis impediens, uti si faciat solitarium se in rebus proximi intromittere, vel hominem vitæ activæ aut mixtæ reddat nimis solitarium, cum ostensione exoticâ aut plausibilis singularitatis in aliquâ Communitate, illusio est.

QUINAM MAGIS ILLUSIONIBUS SINT OBNOXII.

Scholium. Ex his patet eos qui orationi vacant valde obnoxios esse illusionibus, et illos quidem præ cæteris, qui dulcedines spirituales degustârunt : sunt devoti, teneri, et singillatim mulieres modici intellectûs. Item juvenes insanientes et paradoxi, propriæ voluntatis ex naturæ ingenio tenaces et novatores : omnes hi magnis illusionibus subjecti sunt, et si boni Magistri ductu careant, perditum eunt. Hi tales virtutibus suæ obligationis contenti esse debent, quin se in perfectiones plurimæ supererogationis ingerant: dum enim nimiæ solitudini se dedunt, abeunt in melancholicos, et ab oratione facilè migrant ad illusionem.

§ 483.

EFFECTUS ILLUSIONUM.

Illusiones hæ et aliæ in personis, orationi, recollectioni et spiritui deditis varios *effectus* habent. *Primus* est reddere viros spirituales propriæ voluntati nimiùm addictos, duros judicio, et in suâ sententiâ obstinatos, frequentissimè se Prælatis et Patribus spiritualibus opponentes : unde Deus manum

suam ab illis subtrahit, ita ut in multa et gravia occulta peccata prolabantur.

Secundus est cæcitas mentis, judicando malum pro bono : quare sæpe illusus in gravia peccata ruit.

Tertius est magna suì æstimatio, magna in seipso fiducia, magna vanitas, et superbia : hinc illusus citò abit in hæresin Illuminatorum, quia illusio magnam secum affert præsumptionem.

Quartus est illusos, in rebus spiritualibus, esse etiam plerumque paradoxos et fictos, amicos virtutum strepitantium et plausibilium, quibus humanas laudes occupentur.

§ 484.

REGULÆ PRO CORRIGENDIS SPIRITIBUS VITIATIS. PRIMA : OBSERVATIO INGENII.

Superest modò ut nonnullas *Regulas* speciales tradamus, quibus Magister spiritualis spiritibus vitiatis mederi possit.

Prima est : Observet Pater spiritualis *indolem subditi*, et, si cognoverit naturæ ingenium, ut plurimùm etiam ejus spiritum cognoscet. Si est ingenium fatuum et tardum, spiritus propendebit in fatuitates et tarditates. Si agreste et rusticum, spiritus proferet incivilitates, ineptias, immunditiem et neglectum, quas res pro punctis spiritûs mortificati habebit : cùm tamen nihil aliud sint quàm inurbanitates, a rustico ingenio ortæ. Si fuerit ingenium paradoxum et fictum, erit spiritus imprudens, importunus et novator. Si callidum, tetricum et malignum, spiritus etiam in bono erit insidiosus, simulatus, et tortuosis implexisque intentionibus corruptus : politicus sæculariter in humanis respectibus, et in communi commercio versutus. Si fuerit delicatulum, spiritus erit deliciosus. Si superbum, spiritus erit vanus et ambitiosus. Si cholericum, spiritus erit tumultuosus. Denique spiritus in pueris est puerilis, in paradoxis insanus, et in feminis debilis judicii affectatus, et ferè sine fundo; in rudibus tardus, in

callidis proditor, in superbis vanus, in prudentibus discretus, in doctis solers, in sanctis sanctus. Et licèt spiritus supernaturalis naturam elevet et perficiat, non illam tamen aufert, imò ipsam plerumque non occultat.

§ 485.

SECUNDA : OBSERVATIO RECREATIONIS.

Secunda Regula est : Si Magister spiritum in genere cognoscere desiderat, observet *actiones naturales* edendi, loquendi, ridendi, ambulandi, etc., maximè quando natura in aliquâ honestâ *recreatione* animum tantisper relaxat; tunc haud difficulter naturale cujusque ingenium cognoscet, juxta quod plerumque spiritus erit.

§ 486.

TERTIA : INSTRUCTIO BONA.

Tertia Regula est : Si defectus, quibus aliquis spiritus laborat, sunt imbecillitates ignorantiæ, imprudentiæ aut excessus, his facile remedium adhibere poterit Pater spiritualis, per *instructionem* suam, illorum ignorantias illuminando, et excessus ac imprudentias refrenando : si verò moralis defectus alicujus hominis spiritualis oritur ab aliquo defectu naturali, rarò remedium proficit, maximè si semel intentio viliata sit. Sic spiritus affectans hypocrises, si cum ingenio subdolo et novatore conjungatur, parùm juvatur. Sic spiritus vanitatis et superbiæ, cum ingenio insaniente et modici judicii, difficulter curatur. Spiritus pœnitentiæ cum ingenio jactabundo, et auræ popularis cupido, ægrè medelam admittit. Rarus etiam est delicatulus seu deliciosus pœnitens. Cavillosus nescit sinceritatem in commercio, et vix veritatem novit in conversatione otiosâ. Spiritum rusticum et agrestem vix disertissimus etiam Magister civilem efficiet.

§ 487.

QUARTA : IN HUMILITATE EXERCEATUR.

Quarta Regula est : Magister *rem cum Deo enixè transigat*, et si spiritus quem manuducit sit peregrinus, strepitans, acclamatus, in ore vulgi celebris, a Magistratibus sub titulo sanctitatis visitari solitus, si SS. Vulnera præfert, si per annos a cibo abstinet, et solo SS. Sacramento alitur; si fertur per aera, et quotidie extra se rapitur; quantùmvis bonus talis spiritus fuerit, illum Magister *commiseratione prosequatur :* nisi enim tempestivè se contrahat, retrahat, fugiat, abscondat, taceat, et secretum celet; sed visitationibus, plausu et æstimatione delectetur, sine dubio cadet : et quò majores fuerint plausus, eò frequentiùs relabetur, etiam in peccata pudenda et scandalosa, ut reficiat humilitas quod infecit vanitas.

§ 488.

QUINTA : SANCTITATIS FUNDAMENTUM VIRTUS EST.

Quinta Regula est : Magister hujusmodi discipulos doceat sanctitatem non consistere in raptibus, visionibus, lacrymis, suavitatibus et favoribus, sed in multâ erga Deum et proximum *charitate*, magnâ in contemptu *humilitate*, patientiâ in laboribus, obedientiâ erga Prælatos. In quibus *virtutibus* nisi hi favores fundentur, aut illusiones sunt, aut exiguæ durationis.

§ 489.

SEXTA : MAGIS VIRTUOSUS MAGIS SANCTUS.

Sexta Regula est : Magister crebrò inculcet eum qui magis *virtuosus* est magis sanctum esse, non verò eum qui pluribus

favoribus abundat; plures personas esse favoribus inopes, et sanctitate locupletes, nullamque, quantùmvis plena sit favoribus, absque virtutibus sanctam esse.

§ 490.

SEPTIMA : DÆMON DULCEDINES INTERNAS DARE POTEST.

Septima Regula est : Non excedit dæmonis artes dare lacrymas, suavitates, raptus, visiones, utì suo loco probabitur; nequit tamen solidas virtutes cum purâ intentione dare; imò dat interdum appetitum, gustum et robur pro pœnitentiâ et abstinentiâ, si per hoc possit eripere obedientiam : dat castitatem materialem, si possit auferre humilitatem et charitatem; sinit libenter virtutes exteriores, si hoc modo possit debilitare vel eripere virtutes interiores fidei, spei et charitatis. Hæc illius ars est, dare minus, ut rapiat majus.

§ 491.

OCTAVA : DISCIPULUS A MAGISTRO IN FACIEM NON LAUDETUR.

Octava Regula est : Licèt Pater spiritualis discipulum in Christo amet, caveat tamen *ne illum apud alios celebret*, aut in faciem laudet, ne ostendat se magnam habere rationem de ejus favoribus et revelationibus : imò illi persuadeat favores respectu virtutum esse orichalcum vitæ spiritualis, cujus fundamentum est gratia; muri, solidæ virtutes; picturæ, revelationes et visiones; tectum, virtutes theologicæ. In quâ proinde domo Deus securè habitat.

REGULA SPECIALIS.

Scholium. P. Godinez, *Th. Myst.*, l. 9, c. 11, refert se aliquam personam tractâsse, cujus spiritus multum negotii illi facessivit :

rapiebatur in altum, non edebat; obediens erat, ubertim flebat, eratque secessûs amantissima. Sed cùm nihil mali cuiquam inferret, hoc solùm observavit, Communitatem in quâ degebat, in partes esse divisam, aliis pro, aliis contra hunc spiritum stantibus. Ex quo solo tandem detectum est pravum spiritum fuisse : agebatur pacto cum dæmone, defecit a suâ vocatione, atque tragicis successibus miserè famosa facta fuit. Erat hæc persona vani ingenii et obtusi intellectûs. Verùm cùm hæc divisio opinionum, etiam in ipso Christo D. N. et aliis Sanctis observata fuerit, quorum tamen spiritus erat optimus, ideo notat hìc P. Reguera, contradictionis et dissidiorum effectum, si nudè sumatur, esse regulam æquivocam pro discretione boni aut mali spiritûs; sed solerter inspiciendum esse an sint effectus per se aut per accidens, et ex motivo colligendum an sit vel non sit præter intentionem ejusmodi personæ : Item an soli mali et tepidi stent contra, et boni potiùs pro sanctitate. Quodsi hoc ipsum ambiguum sit, satiùs erit interim judicium suspendere, et timere, usquedum alia indicia et probationes rem manifestent. Unde P. Godinez bene se gessit; cùm enim signa alia sufficienter bonum spiritum manifestantia non videret, meritò timere cœpit, an fortè discordiæ ex pravâ intentione astu dæmonis, superseminantis zizania, ortæ essent, uti postea compertum fuit.

§ 492.

APHORISMI PRO AGNOSCENDIS SPIRITIBUS RECTIS.

I. Fundamentum est virtus omnis bonitatis, et ubi deest virtus, nihil perfectionis est et sanctitatis.

II. Qui errare non vult in examinandâ vitæ perfectione, incipiat examen a debitæ obligationis impletione.

III. Spiritus ignorantis malus potest esse in eo quod est intellectuale, ac simul intentione bonus, quod est principale.

IV. Pœnitebit brevì festinantem, et spiritum dubium citò qualificantem.

V. Multitudo revelationum, nec utilium, nec necessariarum, in animabus imbecillibus varietatum mater est plurimarum.

VI. Reprobatio alicujus revelationis fiat sufficienti urgente ratione : quia levitas est approbare vel reprobare res grandes, non præmissâ maturâ consultatione.

VII. Spiritus modicæ virtutis, et plurimæ revelationis, meritò censetur illusus dictamine rectæ rationis.

VIII. Spiritus rectus, fidens in propriâ discretione, parum abest a suâ totali perditione.

IX. Omnis spiritus discordiarum causâ et strepitu famosus, solet ob secretam superbiam esse periculosus.

X. Spiritus multis commoditatibus affectus, utut virtuosus sit, non pœnitens erit neque perfectus.

XI. Spiritus propriæ voluntati addictus potiùs quàm obedientiæ, tantùm habebit de perfectione nonnihil apparentiæ.

XII. Aliqua commoditas quæsita cohæret cum virtutis aliquâ ratione : sed commoditas cum adhæsione a paupertate abhorret ac perfectione.

XIII. Aliquid affectionis inordinatæ stat cum virtutis mediocritate, sed nihil ambitionis cum consummatâ humilitate.

XIV. Spiritus contradictionis, quantumvis aliàs rebus polleat bonis, in re tamen istâ est spiritus illusionis.

XV. Tumultus, discordiæ, lites ac dissensiones non sunt effectus Dei, sed diabolicæ inventiones.

XVI. Spiritus malitiâ et artificio velatus, spiritus est hypocritæ facilè declaratus.

XVII. Sanctitas plausibilis, popularis, et cum ostentatione, utut vera sit, non procul est a perditione.

XVIII. Laborantium melancholiâ revelationes, interdum sunt diabolicæ inventiones.

XIX. Extraordinarias misericordias sine virtute solidâ et verâ experiri, non indicat spiritum Dei, cùm sit turrim super arenam ædificare adoriri.

XX. Spiritus divinus debet secum afferre devotionem : econtra spiritus malignus dubia, suspiciones et perturbationem.

XXI. Animæ apprimè sanctæ, quæ bonas recipiunt revelationes, quandoque sustinent permixtas, ut zizania inter triticum, aliquas illusiones.

XXII. Plerumque spiritus vanus imprudens est ac profanus.

XXIII. Spiritus prudentiæ defectu gravatus, necessariò erit ineptiâ notatus.

XXIV. Spiritus impetuosus impatiens est et bellicosus.

XXV. Ex spiritu puerili solent alii moveri bili.

XXVI. Spiritus amans in delicias propensionem, incapax est ad pœnitentiam et perfectionem.

XXVII. Spiritus se accommodat qualitatibus ingenii naturalis, utut videatur esse supernaturalis.

§ 493.

MAGISTERII SPIRITUALIS ARCANA.

I. Magisterium spirituale est quædam altissima sapientia, quæ multam requirit scientiam et experientiam; cùmque idiota omni scientiâ destituatur, ineptus erit huic magisterio. Tales boni sunt ad loquendum de Deo et rebus spiritualibus, ad danda aliqua pauca consilia in materiâ spiritûs; boni sunt ad dirigendum in rebus spiritualibus obviis : caveant tamen a profundis et subtilibus, ne perdantur.

II. Sancti austeri, sunt boni ad prædicandam pœnitentiam et timorem inferni, ac horrorem peccati incutiendum : quod ad convertendos peccatores conducit; at verò perfectio, cùm, supposità virtute, principaliter in amore Dei et proximi con-

sistat, non augetur et crescit timore, sed amore. Unde Sanctus austerus ad virtutes aliis ingenerandas aptus erit; sed Sanctus humilis, pacificus, mansuetus et amabilis, ad docendam et promovendam perfectionem aptior erit.

III. Magni doctores scholastici, si non sint spirituales, vel omni rerum spiritualium experientiâ careant, non solent esse Magistri spirituales idonei; nam Theologia scholastica est perfectio intellectûs; Mystica, perfectio intellectûs et voluntatis : unde bonus Theologus scholasticus potest esse malus Theologus mysticus. In rebus tamen difficilibus, dubiis, spiritualibus, Theologum præstat mediocriter spiritualem consulere, quàm spiritualem idiotam.

IV. Nemo æstimat orationem mentalem tepidam, distractam et imperfectam : verùm Magistri solertiores majori in pretio habent unam orationis mentalis horam siccam, insulsam et obscuram, variis sed repulsis tentationibus oppugnatam, quàm orationem per quatuor horas lacrymis irrigatam, tum quia sic exercetur solidissimum vitæ spiritualis, nempe pœnalis charitas : tum ne quis putet in solâ oratione vitam spiritualem consistere. Veniet enim tempus quo anima illi vacare non poterit, sed loco ejus exsurgent derelictiones, ariditates, melancholiæ, furiæ : quo tempore cum gratiâ divinâ, humilitas, patientia et aliæ virtutes communes exercendæ sunt.

V. Omnis Magister virtutis debet quidem ad eam perficiendam contendere, non tamen omnis Magister virtutis intrà terminos mediocritatis est semper Magister perfectionis. Ille docet helluonem ut sit temperans; iste ultra temperantiam docet addere jejunium nunc obligatorium, nunc spontaneum. Magister virtutis docet distractum, ut in se recollectus orationi attendat; Magister perfectionis informat de his quæ in oratione et recollectione sublimissima sunt.

VI. Magistri spirituales plerumque carnalium persecutiones et obtrectationes sustinent, tum ne ob dona sua extollan-

tur ; tum ut bona sua consilia aliis data opere confirment ; tum ut magnitudo pœnitentiæ in innocentiâ practicè reluceat ; tum ut eorum imprudentia puniatur, dum aliorum defectus volunt corrigere, quando ad eos non pertinet.

VII. Gratiâ spirituali præditus magisterii non dominum, sed administratorem se noverit. Discipulos non quærat, sed hi ipsum. Sectas, cœtus et concursus non studiosè apud se instituat. Curet ut discipuli sui imprimis obligationes statûs sui rite impleant, etsi lacrymæ, devotio sensibilis, etc., deficiant. Si oratio deficiat, non deficiat virtuosa occupatio : erit enim tempus in quo discipulo magnum quid erit vivere, quin valeat orationi vacare. Sermo de raptibus, visionibus aliisque gratiis extraordinariis frequens non sit. Exhortationum argumentum sit humilitas, patientia, recollectio, paupertas, obedientia, fuga mundi, cognatorum et peculiarium pravarum amicitiarum. Conetur alere truncum virtutum theologicarum et moralium, ut sic arbor vitæ spiritualis ex eo adolescat, et florem perfectionis ac fructus solidæ sanctitatis progerminet.

CAPUT IV.

QUOMODO MAGISTER SPIRITUALIS VISIONES, LOCUTIONES, REVELATIONES, PROPHETIAS, RAPTUS ET EXSTASES SUORUM DISCIPULORUM DISCERNERE VALEAT.

§ 494.

VISIO DEFINITUR.

Discretio spirituum non solùm ad discernendos spiritus bonos a malis et illusis, sed etiam ad discernendas visiones, seu apparitiones, revelationes et locutiones divinas, prophetias, raptus et exstases veras a falsis se extendit; quâ proinde Magister spiritualis instructus esse debet. Quare modò de his agendum est. Et primò quidem de visionibus. Duo autem vitanda sunt pericula in hac materiâ visionum quam suscipimus tractandam : unum in quod incidunt personæ nimis credulæ, omni visioni quæ ipsis refertur a quâcumque mulierculâ, vel viro rudi, sine prævio ac diligenti examine, fidem præstant, eam admirantur, approbant, et parum abest quin tanquam articulum fidei admittant; alterum periculum est in eo quod aliquæ personæ nimiùm incredulæ, omnem visionem aut apparitionem supernaturalem tanquam vanum somnium et imaginationis partum rejiciunt. De primis agit Spiritus S. his verbis : *Qui cito credit, levis est corde.* Eccl. XIX, 4. Alios sic redarguit Augustinus : *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi.* Serm. 147, *de Temp.* Quæ verba significant istius modi personas non sequi

rationis normam ut sciant quid credere debeant, sed, sicut bruta, nihil nisi quod vident, credere.

Non nego materiam visionum periculis plenam esse, quia dæmonis illusionibus, imaginationis propriæ erroribus, et etiam hypocritarum fraudibus valde obnoxia est. Non ideo tamen increduli esse debemus, sed cauti, prudentes, discreti, talis materiæ experti et periti, in ipsâ rite examinandâ diligentes. Scimus enim aliunde multas narrari visiones ac revelationes in S. Scripturis, in historiâ Ecclesiasticâ, apud SS. Patres : non possunt igitur omnino rejici nisi a protervis spiritibus, aut fide, aut ratione privatis. Fuitne unquam vir adeo stultus ut, quia novit inter veras margaritas et monetas legitimas, falsas aliquas inveniri posse, omnes suas et monetas, et margaritas, adulteratas reputans, in mare projiciat? Sic ageret ille qui sciens visionibus veris falsas misceri, cunctas ideo visiones contemneret, easque omnes tanquam diaboli vel imaginationis illusiones haberet. Sicut igitur non omnes rejicimus monetas eo quòd falsæ existant monetæ, sed eas attentè examinamus ut veras a falsis secernere possimus, sic eo quòd quædam adsint visiones diabolicæ aut humanæ inter supernaturales et divinas, non negamus omnes visiones; sed sedulò tales materias perpendimus et examinamus ut in errorem non inducamur et ut inde sequatur justa discretio. Id est scopus præsentis tractationis in quâ, pro meâ tenuitate, eam lucem Magistro spirituali afferre conabor, quæ necessaria est ad intelligentiam et practicam directionem visionum, locutionum et revelationum quibus discipulus suus a Deo donari potest.

Est autem *visio cognitio nobis indebita quæ fit cum repræsentatione objectorum cœlestium, seu divinorum.*

DIVISIO VISIONUM.

Schol. I. Juxta S. Augustinum, S. Isidorum, S. Thomam, Riccardum a S. Victore, S. Bonaventuram et communiter SS. Patres ac Theologos, visiones dividuntur 1° in *corporeas* seu *sensibiles,* quæ visûs corporei ministerio contingunt. 2° *In imaginarias*

aut *spirituales* ut ait Augustinus, l. 10 *Confess.*, c. 35, quæ fiunt per species seu figuras et imagines rerum in phantasiâ existentes: quod vel in vigiliâ vel in somno evenire potest. 3° In *intellectuales*, quæ sunt clarissima rerum divinarum manifestatio, quæ in solo intellectu absque figuris et imaginibus perficitur. S. Augustinus fusè disserit de his tribus visionum speciebus, l. 12 *de Genesi ad litteram;* de eis agit S. Isidorus, l. 7 *Etymol.*, ut refert S. Thomas, 2, 2, q. 175, art. 3, dicens de S. Isidoro : « Ponit tria genera visionum, unum secundùm oculos corporis; alterum secundùm spiritum imaginarium; tertium per intentum mentis. » Idem S. Thomas, loquens de tertio cœlo ad quod raptus est D. Paulus, sic ait *loco cit.:* « Per tertium cœlum potest intelligi aliqua visio supermundana, quæ potest dici tertium cœlum triplici ratione. Uno modo secundùm ordinem potentiarum cognoscitivarum, ut primum cœlum dicatur visio supermundana corporalis, quæ fit per sensum, sicut visa est manus scribentis in pariete, *Dan.* v. Secundum autem cœlum sit visio imaginaria putà quam vidit Joannes in Apocal. Tertium verò cœlum dicatur visio intellectualis, ut Augustinus exponit *sup. Genes. ad litt.* » Denique omnes præternaturales visiones, de quibus solis modò sermo est, in *simplices* et *symbolicas* dividuntur, de quibus nunc agendum est. Priusquam autem ulteriùs progrediamur, notandum est primam visionum speciem duabus aliis inferiorem esse, quia sensu exteriori perficitur; secundam primâ nobiliorem esse, quia fit in phantasiâ, quæ est potentia perfectior; tertiam omni exceptione excellentiorem esse quia formatur in intellectu : et anima quæ talibus fruitur visionibus, modo angelico, et in similitudinem animarum quæ extra corpus in cœlis beant, operatur, ut ait Angelicus : « Manifestùm est autem, inquit, quòd manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis potior est quàm illa quæ fit sub similitudine corporalium rerum : magis enim appropinquat ad visionem patriæ, secundùm quam in essentiâ Dei veritas conspicitur. Et inde est quòd prophetia per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundùm intellectualem veritatem est dignior quàm illa, in quâ veritas supernaturalis manifestatur per similitudines corporalium rerum secundùm imaginariam visionem. » 2, 2, q. 175, art. 2.

AN VISIO AB APPARITIONE DIFFERAT.

Schol. II. Card. Bona, in suo *Tr. de discr. spirit.*, c. 15, n. 2, ait visionem et *apparitionem* pro eâdem resumi, differentiam tamen esse in eo, quòd apparitio dicatur quando sola species apparentis

se nostris obtutibus ingerit, sed quis appareat ignoratur. Visio verò dicatur, quando externæ apparitioni ejus intelligentia conjungitur. Dordonus verò, *Medit.* 13, *de miracul. apparitione SS.*, n. 20, rem sic explicat ut apparitiones dicantur ex parte objectorum apparentium, visiones verò ex parte illa objecta mirabilia videntium. Et quia hoc modo et apparitio et visio ad unum actum visionis concurrunt, de visionibus et apparitionibus simul, veluti eâdem re, agemus.

§ 495.

VISIO SIMPLEX QUID?

Visio *simplex* est quæ modo simplici, non verò metaphorico, rem præcipuè significatam repræsentat.

QUOTUPLEX.

Scholium. Proinde sub visionibus simplicibus, objectivè acceptis, comprehenditur Deus prout saltem abstractivè in viâ videri potest, Christus Dominus, Deipara, Angeli boni et mali, Sancti, et animæ defunctorum, de quibus tractabitur : quæ etiam visiones, ex dictis § 494, schol. 1, objectivè sumptæ, apparitiones promiscuè appellantur. Porrò visio simplex vel sensibilis, vel imaginaria, vel intellectualis, § 494, schol. 2, esse potest : quam divisionem tradunt ut dictum est in schol. 1, § 494, S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.;* S. Isidorus, l. 7 *Etym.*, c. 8; S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 1, ad 3; Bona, *de Discr. spirit.*, c. 15, 20; Petrus Thyræus, *de Apparit.;* ubi etiam illud recogitandum, visiones simplices sensibiles et imaginarias, vel a Deo, vel a dæmone esse posse.

§ 496.

DANTUR VISIONES SIMPLICES SENSIBILES SUPERNATURALES DEI.

Visiones simplices exteriùs *sensibiles*, ipsius Dei instructivæ et supernaturales, *sunt quandoque a Deo*, ut Auctore supernaturali. Sic 1° ex Veteri Testamento Deum invisibilem sub visibili et spectabili formâ aliquando hominibus apparuisse cer-

tum est. Per undecim vices id contigisse dicitur. 1. Cùm primis parentibus, *Gen.* III, 9, facie, a quâ se Adam abscondebat, apparuit. 2. Caino apparuit, *Gen.* IV, 3. 3. Noe, *Gen.* VI, VII, VIII. 4. Agar ancillæ, *Gen.* XVI, 13. 5. Abrahæ, *Gen.* XVIII. 6. Lot, *Gen.* XIX. 7. Jacob, *Gen.* XXXII, 39 : *Vidi Dominum facie ad faciem.* 8. Moysi, *Exod.* IV etc. 9. Josue, qui, levatis oculis, vidit in specie virum strenuum, quem ut Dominum adoravit, *Jos.* V, 13. 10. Gedeoni, qui, licèt de apparente sibi tanquam Angelo dixerit : *Vidi Angelum Domini facie ad faciem :* tamen in eo Deum recognovit, et sacrificium illi obtulit, *Jud.* V, 22. 11. Parentibus Samsonis, *Jud.* XIII, 22. In Novo etiam Testamento Deum, saltem in Personis divinis, præcipuè in humanitate Christi, sensibiliter apparuisse probat Thyræus, *de Appar. :* nam, præter illam Patris in voce, *Matth.* III, 17, et XVII, 5 et S. Spiritûs in specie columbæ, *Matth.* III, 16, de quibus veluti symbolicis inferiùs agetur, habemus multas Christi Domini apparitiones : se quippe visibilem tribus temporibus exhibuit : primò post Nativitatem ; secundò post Resurrectionem ; tertiò post suam ad cœlum ascensionem. Post Nativitatem apparuit in præsepio Pastoribus qui eum adoraverunt, *Luc.* II ; Magis qui munera obtulerunt, *Matth.* II ; Judæis et principibus Synagogæ qui eum in Templo disputantem audierunt, *Luc.* II. Item claudis, cæcis et surdis, qui ab eo gressum, lumen et auditum receperunt ; mortuis, quos ad vitam revocavit, ut cæteros sileamus, qui illum ante resurrectionem personaliter conspexerunt : corpus quippe habebat verum, non phantasticum, et per virtutem suæ animæ poterat manifestare se quoties volebat. Post resurrectionem Christum sæpe sensibiliter apparuisse, patet ex Evangelio S. Matthæi XXVI, S. Marci XVIII, S. Joannis XX. Rodulphus, in *Vitâ Christi*, p. 2, c. 81, quatuordecim ejus apparitiones, Maldonatus verò in Matth. XXVIII tredecim numerat. Illud certum est, has apparitiones personales fuisse : licèt enim discipulis in Emmaus euntibus in formâ peregrini, et Magdalenæ in formâ hortulani apparuerit, sola tamen ejus voluntas sufficiebat, ut corpus suum gloriosum sine ullo novo miraculo

intuentium sensus immutaret, utì advertit Durandus, *Tr. de vision.*, c. 4. Post ascensionem Christi in cœlum admodum verosimile est apparitionem ejus S. Paulo factam, I *Cor.* xv, fuisse personalem utpote de quâ ipse, I *Cor.* ix, dicit : *Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?* Licèt probabiliter aliæ ejus apparitiones post ascensionem impersonales fuerint, uti probat Thyræus, *de Christi appar. imperf.*, c. 8, sicuti et illa apparitio S. Petro Romæ facta, et a S. Ambrosio, in *Auxent. conc.*, 1, relata, quâ Christum sibi apparentem S. Petrus Româ fugientem interrogavit : *Domine, quò vadis?* Et ille : *Venio iterum crucifigi*, quam historiam contra nonnullos defendit Tillemont, not. 39 ad *Vit. S. Petri*, probabiliter personalis fuit, utì videri potest apud Pignatellum, *Consult.* 99, n. 8, tom. 9. De aliis apparitionibus et visionibus Dei quæ in Historiis Ecclesiasticis leguntur, multa habentur apud Martinum del Rio, l. 2, *Disq. mag.*, q. 26. Et Gravina, in *Lapide Lydio*, a pag. 29. Accedunt his apparitiones Christi Domini in SS. Sacramento Altaris sub speciebus et formis peregrinis et inusitatis, ut infantis, sanguinis, carnis etc., quarum exempla exhibent Thyræus, *de Appar. Sacram.*, c. 11, Theophilus Raynaudus, t. 6 *de Appar. in Euchar. Sacr.*, Christianus Lupus, t. 11, *Oper. orat. de mirac. Sacram* etc. Denique Christum in judicio universali personaliter appariturum credimus in illo symboli articulo : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* 2° Patres probant Deum in formâ oculis sensibili apparuisse : et quidem hoc ostendunt S. Augustinus, ex *Gen.* iii, in l. 2 *de Trin.*, c. 10, S. Isidorus, l. 7 *Etymol.*, c. 8, et S. Gregorius, l. 28 *Mor.*, c. 2, dicens : « Aliquando imaginibus, et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis per Angelos loquitur Deus. » Similiter Deum invisibilem apparuisse ut visibilem probat, ex cit. textu *Gen.* xxiii, Joannes, Legatus Orientalium Patriarcharum in Synodo II Nicænâ, *Act.* 4. Pro cujus testimonii allegatione bene ab ipso factâ stat Adrianus Papa, in *Ep. de imagin. ad Carolum M.* Stant etiam Patres universi : utì rursus ait S. Augustinus, l. 2 *de Trin.*, c. 18; l. 3, c. 10; l. 10 *de Civ.*, c. 13,

cum Sanctis Athanasio, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, quos laudatus Joannes adducit. Quibus addi possunt S. Hilarius, l. 4 *de Trin.*, in med., S. Leo, *Ep.* 13, *ad Pulcher.*, S. Thomas, 1 p., q. 51, a. 2 et alii. 3° Ratio est tantùm benignissima Dei providentia, qui ad docendos et illuminandos homines illis apparere dignatus est.

APPARITIONES DEI IN V. T. FUERUNT IMPERSONALES.

Schol. I. Dei apparitiones in veteri lege, juxta communiorem Theologorum sententiam, non fuerunt personales, sed impersonales, utì loquuntur : nec enim Deus apparuit in corpore immediatè et per se assumpto, sed id effecit per Angelos, qui suam personam sustinuerunt. Desumitur hoc ex S. Dionysio, c. 4. *de cœlest. Hier.*, dicente : « Hujusmodi celeberrimi illi Patres nostri ministerio cœlestium virtutum ediscebant. » Et S. Augustinus, l. 2, 3 et 4, *de Trin.*, fusè hoc ostendens, concludit : « Si quis a me quærat quomodo factæ sunt sensibiles formæ ante incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent : per Angelos ea Deum operatum esse respondeo. » Cùmque ita expressè doceatur in S. Scripturâ factum esse, ac nunquam negetur, bene arguitur idipsum semper contigisse, accedente ratione hierarchici ordinis, quo Deus res medias per supremas, et infimas per medias administrat, quando convenienter fieri potest, sicque homines per Angelos ministerialiter illuminat. Plura habet Thyræus, *Tr. de appar. visib.*, l. 1, c. 23. Putat quidem Petrus Cuneus, l. 3 *de Republ. Hebr.*, c. 23, quòd, quando in Sacris Litteris dicitur Deum apparuisse, id non sit intelligendum de Angelo tanquam Dei legato, sed potiùs de Verbo Divino, seu secundâ SS. Trinitatis Personâ, quæ sub specie humanâ sese Patriarchis jam tunc visibilem ostendebat : quem sequitur Bernardus Lamy, in suo *Apparatu Biblico*, p. 26, et adhæret P. Graveson, in *Hist. Eccles. V. T.*, colloq. 2. Verùm a priori sententiâ non est discedendum, utpote a Patribus et Theologis latè propugnatâ; unde Patrum testimoniis recitatis subdit Card. Bona, *de Discr. spirit.*, c. 19, n. 3 : « Quæcumque leguntur divinæ manifestationes, sive Theophaniæ, per Angelos factæ sunt, eorumque ministerio ad Patres nostros dimanârunt. Summa in hoc veterum Patrum concordia, nec discrepant ab eorum sententiâ principes scholasticorum. »

APPARITIONES CHRISTI POST ASCENSIONEM MULTÆ IMPERSONALES SUNT.

Schol. II. Apparitiones Christi post suam in cœlum ascensionem, exceptis nonnullis, pleræque fuerunt impersonales, ministerio Angelorum, visibiliter nomine Christi intervenientium, utì probat Suarez, *de Angel.*, l 6, c. 21, quia quoad hanc partem eadem est ratio Christi, quæ de apparitionibus Dei modo data est. Solam exceptionem disparitatis in eo facit, quòd in his apparitionibus Christus penès suam humanitatem, quando per Angelum apparet, non solum repræsentetur, ut in se occultus, sed etiam loco distans, et absens, quo modo cogitari debet ab eo cui apparet, ne decipiatur, quod etiam monet Thyræus, *de Chr. app. impers.* An verò in personalibus apparitionibus post ascensionem Christus e cœlo in terram descenderit, disputant Theologi : S. Thomas, 3 p. q. 57, a. 6, ad 3, non improbabile putat Christum ad tempus cœlum reliquisse, et ad terram descendisse : licèt enim in Scripturis legamus Christum ad cœlum ascendisse, sedere ad dexteram Dei, et descensurum in die judicii, *Act.* I et III, hæc tamen solùm probant, cœlum esse proprium et permanens Christi domicilium ubi tanquam in proprio throno residet ; non tamen infertur eum ibi immobilem permanere. Joannes Major in 4, d. 10, q. 4, putat Christum, ex quo in cœlum ascendit, nunquam illud deseruisse, et tamen subinde verè et corporaliter in terrâ apparuisse, existendo simul in duobus locis, modo, ut aiunt, quantitativo et circumscriptivo. Suarez, t. 2, in 3 p., q. 58, a. 4, ait : « Simpliciter et absolutè verum esse Christum post ascensionem aliquando in terrâ fuisse, incertumque sibi esse an tunc a cœlo abfuerit, necne.

QUALES SINT APPARITIONES CHRISTI IN SS. EUCHARISTIA SUB SPECIE CARNIS, ETC.

Schol. III. Apparitiones Christi Domini in SS. Eucharistiâ sub specie pueri, sanguinis, carnis, juxta S. Thomam, 3 p., q. 76, a. 8, dupliciter contingere possunt : primò ex parte videntium, factâ in eorum oculis tali immutatione, ac si expressè viderent carnem, vel sanguinem, vel puerum, nullâ ex parte Sacramenti existente mutatione. Secundò, factâ mutatione in ipsis speciebus sacramentalibus. Primus modus contingit, quando unus videt apparitionem, et alii non vident; secundus verò modus accidit, quando sub tali specie carnis, etc., caro ab omnibus longo tempore videtur : et utroque modo docet S. Thomas, Christum in Sacramento remanere : nam

primo modo nulla fit immutatio ex parte Sacramenti; et secundo modo, remanentibus dimensionibus, quæ, juxta S. Doctorem, sunt aliorum accidentium fundamenta, Corpus Christi sub Sacramento remanet, absque eo, quòd ulla deceptio ex utrâque apparitione proveniat, cùm apparitio fiat ut manifestetur Corpus Christi verè esse in Sacramento. Hanc doctrinam S. Thomæ illustrant Theophilus Raynaudus, t. 6 *de Appar. in Sacram. Euch.*, Philippus Maria a S. Paulo, *Tr. de sacr. appar.*, Card. Cienfuegos, *de Vit. absc. seu spec. Euch. velat.*, d. 2, sect. 6, et in *Conferent. Lucionens.*, conf. 12, p. 2. Postquam probatum fuit hominem, naturæ viribus, non posse Corpus Christi in SS. Altaris Sacramento videre, eadem S. Thomæ doctrina fusè confirmatur.

QUOMODO IMPERSONALES DEI APPARITIONES SENSIBILES FIANT.

Schol. IV. Quando Angelus apparet non in personâ suî, sed Dei, Deus ipse principaliter apparere dicitur ac videri : nam etsi tunc Deus non tam propriè dicatur assumere corpus visibile, quàm Angelus, qui illud, ut causa particularis, conficit, et in eo operationes potiùs suî, quam Dei proprias elicit : tamen satis propriè dicitur Deum apparere, ac videri, utpote qui principaliter, sicut Cæsar in suî imagine videtur. Quare licèt Deus in se oculis corporis sit invisibilis, in sano tamen sensu S. Scripturæ dicitur verè visibilis imperfectè, et in specie externâ, tanquam in imagine, videri potest, et bene cohæret, quòd Deus simul et Angelus in externâ corporis specie appareant et repræsententur, ille ut Deus, hic ut Dei minister : ut proinde bene dixerit S. Augustinus, l. *contr. Adimant.*, c. 9, id quod apparet « dici Deum propter inhabitantem personam Dei, et Angelum ex personâ servientis creaturæ. » Unde etiam quando Christus in SS. Eucharistiâ sub specie pueri apparet, hoc Angelorum ministerio fieri censet Reguera, *Th. myst.*, t. 2, p. 589, n. 101 ; quando verò caro et sanguis in specie visibili apparent, tunc jam certum est non esse verè et substantialiter Corpus et Sanguinem Christi, sed miraculosam eorum repræsentationem et figuram, et variationem in accidentibus factam, remanentibus tamen, utì paulò ante dictum est, verâ Carne, et vero Sanguine ac Corpore Christi in SS. Sacramento. Porrò quomodo Angeli corpus assumant, paulò post dicetur.

§ 497.

ANGELI BONI SENSIBILITER APPARERE POSSUNT.

Angeli boni etiam *sensibiliter* hominibus *apparere possunt*, utì dictum fuit. Nam 1° in Veteri etiam Testamento frequentes erant hujusmodi apparitiones, non solùm quando Angeli gerebant vices Dei, sed dum in suî personâ apparebant. Sic David Angelum occisorem vidit, II *Reg.* XXIV, 17, et Angelus Raphael, uti in libro Tobiæ narratur, utrique hujus nominis patri et filio non modo in transitu apparuit, sed etiam per multos dies et varia itinera filium comitatus est. In Novo verò Testamento Angelus Gabriel visibiliter sine dubio apparuit et locutus est B. Mariæ Virgini, *Luc.* I, et de Nativitate et Resurrectione Christi similes apparitiones angelicæ narrantur, *Luc.* II, et *Matth.* XXVIII. Item similes de aliis rebus, *Act.* I, 10, et V, 19, et XII, 7, referuntur. 2° Patet ex PP. S. Augustinus, l. 10, *de Civ.*, c. 13, ait : « Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solùm videri, verùm etiam tangi possint, eadem verissima Scriptura testatur. » Præiverant S. Cyprianus, l. *de Card. Christ. oper.*, in præf., in med., S. Athanasius, *Serm. 4 contr. Arian.*, post init., et secuti sunt S. Damascenus, l. 2 *Fid.*, c. 3, S. Isidorus, l. 1 *Sent.*, c. 12; et S. Bernardus, *Serm.* 5, *in Cant.*, juxta illud : *Omnes sunt Administratorii Spiritus, Hebr.* I, 14, ait : « Et hinc est, quòd visi sunt Patribus, et ad eos intraverunt. » Accedunt S. Thomas, 1. p., q. 51, a. 2, S. Bonaventura, in 7 *Proc. Rel.*, c. 18, docens : « Quædam visiones corporales vigilanti corporaliter ostenduntur, ut sæpe Angeli Patribus, » et S. Theresia, c. 29 *Vit.*, de Angelo suum cor mirificè jaculo igneo transfigente ait a se visum in formâ corporali, etsi rarò admodum in genus visionis corporeæ Angelorum sibi contingeret. 3° Ratio est : Angeli in corpora agere possunt, utì patet ex S. Scripturâ, *Matth.* XXVIII, 2; *Act.* XII, 7. Ergo ex certâ materiâ, illis satis cognitâ, corpus visibile formare et homi-

nibus sensibiliter apparere possunt. Accedunt rationes congruentiæ a S. Thomâ, l. c., allatæ, ut sic Angeli naturam humanam, quam etiam Verbum Divinum assumpsit, honorent; nobis pignus æternæ nostræ futuræ cum Angelis societatis detur; et ipsi Angeli suum erga nos amorem nobis manifestent.

ANGELI BONI, IN APPARITIONIBUS, ALIQUO MODO, CORPORA VERÈ TALIA ASSUMUNT.

Schol. I. Angeli boni, sive repræsentent principaliter Deum, Christum, sive dum se solos visibiles reddunt, corpus aliquo modo verè tale ab ipsis confectum assumunt: nam hæc corpora non sunt præstigiosa aut illusoria, aliàs enim visio eorum foret imaginaria; quod etiam ex eo patet quia pluries ab omnibus circumstantibus videntur; et sine hoc dicta SS. PP., imò ipsius S. Scripturæ narrationes, de apparitionibus Angelorum decenter sumi non possent, et propriè dum eos oculis visos et manibus contrectatos refert; imò per solam illusionem Angelus Beatissimæ Virgini Mariæ, Apostolis et S. Magdalenæ apparuisset, quod nec in has personas cadere decet, nec respectu Christi fieri potuisset, cùm deceptionis incapax fuerit.

QUÆRITUR EX QUO ILLA FORMENT.

Schol. II. Angeli boni in figurâ humanâ, utì communiùs fit, sensibiliter apparentes, non assumunt corpus verè humanum organizatum, sed corpus hoc est quædam corporis humani effigies, sufficiens ad illas operationes, quas Angeli ibi exercere debent: tum quia talia corpora humana viventia et ad vivendum organizata fieri nequeunt ab Angelis, et non est ratio cur juventur supernaturaliter a Deo, quando ad operationes aliquas id totum non est necessarium: tum quia corpori humano perfectè organizato animatio deberetur, quod iterum necesse non est, et in animâ rationali tunc creandâ, vel adstruendâ, multa inconvenientia occurrerent, satisque absurdum foret, quòd veri homines ibi apparerent et viderentur, et non tantùm Angeli sub figurâ humanâ, utì S. Scriptura in historiâ Tobiæ asserit. Quare S. Thomas, 1 p., q. 51, ad 3, censet hæc corpora fieri ex aere condensato, et cum S. Bonaventurâ, in 2, dist. 8, a. 2, q. 2. Scholastici vocant hæc corpora aerea. Quibus PP. S. Gregorius, l. 28 *Mor.*, c. 2; S. Isidorus, l. 1

Sent., c. 12; V. Beda, q. 9, *variar.*, suffragantur. Qui cum aliis PP. dicunt ea de *cœlesti elemento* esse, et phantastica, quatenus nec verè humana, nec terrena sunt. Recentiores Philosophi, quibus jamdudum P. Suarez, *de Ang.*, c. 33, n. 6, præluxit, dicunt cum eodem : « Hanc substantiam non esse aerem, nec semper habere propriam substantialem formam communium vaporum aut nubium, sed alterius mixti imperfecti nobis ignoti. »

AN APPARITIO ANGELORUM BONORUM SENSIBILIS SIT MIRACULOSA.

Schol. III. Angeli boni communiter, quoties visibiliter apparent juxta Bordonum, *de Miracul.*, medit. 13, miraculosè apparent : « Esto enim, ipsi possint condensare aerem, et formare corpus aliquod non verè tale, in quo appareant, non ideo per hoc tollitur hujusmodi apparitionibus ratio miraculi, cùm sint insolitæ, et præter ordinem naturæ : nec propriâ auctoritate, sed ex divinâ ordinatione appareant hominibus, et locutio in eis non sit naturalis, cùm corpus assumptum ab illis careat veris organis ad promendam vocem et loquelam, et nihilominus ipsi articulatè loquuntur. Ergo hæc ab illis præstantur ex speciali Dei jussione, ac proinde miraculosè, cùm non sint actus vitales. » Hucusque Bordonius, cum quo sentit Benedictus XIV, *de Serv. Dei Beatif.*, l. 4, p. 1, c. 32. P. Reguera, *Th. myst.*, t. 2, p. 591, n. 3, cum P. Suarez, l. c., n. 4, censet Angelos visibiliter apparentes corpora per motum localem, applicando activa passivis, conficere virtute suâ naturali, aliquando adjutâ virtute supernaturali Dei : nec enim virtutem excedit naturalem, quòd Angeli eo pacto corpora effingant, saltem ut modo sufficienti, ad communiter intentos effectus, appareant et videantur : ad hoc verò, ut etiam contrectentur, vel ut ad exquisitam perfectionem corpus aereum, vel alterius ignotæ materiæ perducatur, ad divinam elevationem recurrendum esse videtur, quo sensu S. Thomas, 1. p., q. 51, a. 2, ad 2, meritò dicit *divinâ virtute* corpora sensibilia ab Angelis formari, nimirum in quantùm sola virtus angelica non sufficit. Sic fortasse contigit in Gabriele, ut pro dignitate nuntium Incarnationis Dominicæ repræsentaret, et in Raphaele Tobiæ comite. Communiter autem virtus angelica sufficit, sive ad humanam figuram, sive ad aliorum imperfectorum viventium aut non viventium figuras efformandas.

ANGELI, QUOMODO CORPORI ASSUMPTO UNIANTUR.

Schol. IV. Angeli boni, ut censeantur assumere corpus, debent saltem aliquo modo illi uniri, non unione informativâ, quia nec

unam naturam tanquam substantia simplex cum corpore facere possunt; nec unam suppositam, quia unio hypostatica nulli extra Christum competit. Non unione moventis cum mobili, quia solo impetu Angeli rapuerunt Habacuc et Philippum Diaconum, quin corpora assumpserint; sed unione assumptivâ, quâ Angelus assumpto corpori est intimè præsens, et ita illo utitur, ut per illud et in illo tanquam intrinsecum principium operari videatur.

OPERATIONES ANGELORUM IN ASSUMPTIS CORPORIBUS NON SUNT VITALES.

Schol. V. Operationes Angelorum in assumptis corporibus non sunt formaliter vitales, sed vel purè similitudinariè, vel solùm ex eâ parte, quâ fieri possunt non vitaliter : tum, ex dictis, defectu organorum, tum ex defectu principii vitalis informativi. Sic tales Angeli solùm similitudinariè vident, vel audiunt per oculos et aures similitudinariè tales. Sic manu et pedibus, licèt ex parte apparentibus, veros motus eliciunt, quibus veram scripturam forment, et verè locum mutent, non autem verè vitaliter, sed similitudinariè. Sic sonum verè talem et locutioni similem edere possunt, non tamen locutione propriâ et vitali. Sic non propriè ac vitaliter comedere possunt, licèt verâ divisione cibi, cum apparenti in os ac in ventrem trajectione, comedere videantur, cùm interim cibus in minutissimas particulas non ampliùs sensibiles in auras abeat, utî habetur, *Tob.* xii, 19.

§ 498.

DÆMONES ETIAM SENSIBILITER APPARERE POSSUNT.

Angeli etiam *mali*, seu dæmones, hominibus *sensibiliter apparere possunt*. Patet 1° ex S. Scripturâ. Sic in Veteri Testamento dæmon in corpus veri serpentis intravit, et quasi in organo certâ ratione moto, colliso et modulato, vocem humanam, ut potuit, effinxit, prout exponunt S. Chrysostomus, Procopius, et S. Augustinus apud Cornelium a Lapide, in cap. 3 *Gen.*, et in Novo Testamento, *Matth.* iv, et *Luc.* iv, Christo Domino apparuit, ostendens et promittens regna mundi, si eum adoraret. Hanc autem apparitionem assumpto a dæmone corpore contigisse docet Arauxo, in *Dec. mor.*, tr. 3,

q. 23. Et latè prosequitur Durandus, *de Vision.*, c. 2 et 5, quibus adhæret Rocca, *de Canoniz. SS.*, c. 15. Idem 2° docent Patres : S. Damascenus, l. 2, *de Fide*, c. 4, et S. Athanasius, in *Vitâ S. Antonii*, n. 9, ubi enarrat varias animalium species ac figuras, in quibus dæmones S. Antonio apparentes ipsum sensibiliter cruciabant. 3° Ratio est quia virtus angelica sufficit ad ejusmodi corpora efformanda, et Deus hoc dæmoni tum ad terrorem impiorum, tum ad exercendam patientiam proborum, permittit.

QUOMODO APPAREANT.

Scholium. Angeli mali seu dæmones, sive terrifici horrorem incutientes appareant, sive gloriosi, simulando se Angelos lucis, corpora aliquo modo vera assumunt non tamen vera humana organizata. Et licèt eorum virtus ad figuram humanam, vel alterius cujusdam viventis imperfecti, vel non viventis, formandam sufficiat, sicuti virtus bonorum Angelorum; minùs tamen perfectè hi mali quàm boni Angeli id præstare possunt, quia nihil possunt supernaturaliter, et vel in pœnam peccati, vel ob denegandam a Deo facultatem minùs etiam naturaliter. Unde Suarez, *de Ang.*, c. 34, n. 7, verisimile putat, ab Angelis sanctis materiam assumpti corporis ex puriori quâdam superioris aeris substantiâ sumi, a dæmonibus verò, ex cœnosis. Et, c. 35, n. 5, non recedit ab illis qui putant dæmonem nunquam assumere simulacrum corporis humani quoad omnes partes illi simile, sed vel in pedibus, v. g. caprinis, vel aliâ parte ab eo discrepare. Quomodo verò dæmones corpori assumpto uniantur, et operationes vitales in eo exerceant, patet ex dictis § 498, schol. 4 et 5.

§ 499.

ANIMÆ BEATORUM APPARERE POSSUNT.

Sancti item in Cœlo existentes, seu animæ Beatorum hominibus *sensibiliter apparere possunt*. Prob. 1° ex S. Scripturâ: I *Reg.* XXVIII, 14, legitur Samuelem excitatum a mortuis Sauli apparuisse: quod juxta multos interpretes non per incantationes Pythonissæ factum est, sed per veram Samuelis, assumpto aereo vel alterius materiæ corpore, jubente Deo, apparitio-

nem, utì apud Calmetum, in *Dissert. de Samuele*, etc., videri potest. *Matth.* xvii, in gloriosâ D. N. Jesu Christi transfiguratione *apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Ubi S. Thomas, 3 p., q. 45, a. 3, docet animam Moysis suum corpus non resumpsisse, sed apparuisse per aliquod corpus assumptum, sicuti Angeli apparent : Eliam verò in proprio corpore apparuisse, non quidem allato de cœli empyreo, sed de aliquo eminenti loco, quo curru igneo raptus fuerit. 2° Innumera sunt Sanctorum etiam sensibiliter apparentium exempla, de quibus non solùm historiæ, sed etiam de non paucis Patres testantur. S. Gregorius, in *Vitâ S. Benedicti*, c. 34, refert : « Cùm ecce post triduum in cellâ consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de ejus corpore egressam in columbæ specie cœli secreta penetrare. » Et, c. 35, narrat de eodem S. Benedicto : « Dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani animam, Capuani Episcopi, in sphærâ igneâ ab Angelis in cœlum deferri. » Et, c. 38, describens obitum S. Benedicti, visionem duobus Monachis ostensam refert : « Viderunt namque quia stratâ palliis, atque innumeris coruscâ lampadibus viâ recto orientis tramite ab ejus cellâ in cœlum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via, quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait : Hæc est via, quâ dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit. » S. Hieronymus, in *Vitâ S. Pauli Eremit.*, narrat S. Antonium vidisse S. Paulum defunctum inter Angelorum catervas, inter Prophetarum et Apostolorum choros, niveo candore fulgentem, in sublime conscendere. Et de apparitione S. Bernardi post mortem Fratri Guillelmo de Monte Pessulano, quâ ei suam beatitudinem in cœlo revelavit, testatur Albanus, in *Secundâ vitâ S. Bern.*, c. 31. Et S. Thomas, in *Suppl.*, q. 69, a. 3, docet animas existentes in Paradiso ad tempus exire posse, et probat, quia « S. Augustinus narrat de Felice Martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, cùm a barbaris oppugnarentur. » Item de Sanctorum apparitionibus audi-

tores Rotæ, in *Relat. S. Caroli Borrom.*, 3 p., *de Mirac.*, asserunt id, pro subventione hominum, Beatis et Sanctis quodammodo familiare et usitatum esse. Plura passim acta Sanctorum et eorum Canonizationis suppeditant, et licèt Ecclesiæ mos non ferat ut ejusmodi apparitiones canonizet, tamen vel ab ipsâ non reprobatione post rigidum examen, in judicio Canonizationis, specialem sibi notam, ut piè credantur, conciliant. 3° Ratio est voluntas Dei, et specialis Illius providentia, tum ut animæ Beatorum aliquos de suâ felicitate certiores faciant, tum ut Dei mandata ad nos perferant, tum ut ad virtutem adhortentur, tum ut ægris et morientibus assistant, aut alia nobis beneficia exhibeant.

QUOMODO ANIMÆ BEATORUM APPAREANT.

Schol. I. Quæritur an animæ Beatorum appareant per eorum præsentiam, an verò personas eorum Angeli in assumptis corporibus repræsentent. S. Augustinus, l. *de Curâ pro mortuis ger.*, c. 15, ad hanc quæstionem de mortuis apparentibus in genere ita ait : « Cùm homines mortui sive vivi hominibus dormientibus vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus, ut sunt, videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autem angelicis operationibus fieri credimus per dispensationem providentiæ Dei, bene utentis bonis, vel malis, secundùm inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum, sive hinc instruantur mentes mortalium, sive fallantur, sive consulantur, sive terreantur, sicut unicuique, vel præbenda est misericordia, vel irroganda justitia ab eo, cui misericordiam et judicium non inaniter decantat Ecclesia. » Hucusque S. Augustinus; qui postquam mortuorum vel vivorum apparitiones in corporibus ministerio Angelorum formatis et assumptis fieri explicavit, dicta sua confirmat his verbis : « Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, ubi non vident neque audiunt quæ aguntur aut eveniunt in istâ vitâ hominibus. Ita tamen est eis cura de vivis, quanquam quid agant omnino nesciant, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui quid hìc agatur, sed dum hìc agitur, postea audire possunt ab eis qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omnino, sed quantùm sinitur eis indicare, et eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis, qui hìc nobis præstò sunt, et animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei revelante cognoscere

possunt quæ hìc aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere.» Num autem apparitiones mortuorum fiant per eorumdem præsentiam, an verò personas mortuorum repræsentent Angeli in corporibus assumptis, S. Augustinus dubitat, dicens: «Quidam etiam ex mortuis ad vivos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per divinam potentiam. Utrùm tamen ista fiant per eorum præsentiam, aut per Angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est ubique præsens, per angelica ministeria usquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in hujus vitæ miseriâ judicat esse præbenda.» Martyres quoque subvenire vivorum necessitatibus, idem S. Augustinus, c. 16, se nosse fatetur, sed quomodo, se nescire dicit: «Res hæc altior est, quàm ut a me possit attingi, et abstrusior, quàm ut a me valeat perscrutari; et ideo quid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque sit, aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem a scientibus ista perquirere.» S. Thomas, in *Suppl.*, q. 69, a. 3, ad 3, docet, apparitiones has contingere operatione bonorum vel malorum spirituum, ad instructionem vel deceptionem viventium: «et *in corpore* ait, id interesse inter Sanctos et damnatos, quòd Sancti, cùm voluerint, apparent, secus damnati: sicut enim Sancti viventes in carne, per dona gratiæ gratis datæ accipiunt, ut sanitates et signa perficiant, quæ nonnisi divinâ virtute mirabiliter fiunt, quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt: ita etiam non est inconveniens, ut ex virtute gloriæ aliqua potestas animabus Sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus, cùm volunt quod alii non possunt, nisi interdum permissi.» Interim tamen, l. c., ad 2, etiam docet, quòd etsi mortui apparere possent, quando volunt, se tamen conformant divinæ voluntati, et non apparent, nisi quando id Deo congruere videtur. Ex his cum P. Reguerâ, *Th. myst.*, t. 2, p. 589, n. 101, concludere licet, apparitiones SS. Deiparæ aliorumque Sanctorum communiter tantùm esse impersonales, et per Angeli, frequenter Angeli custodis, substitutionem, nisi fortè ex speciali privilegio in propriâ personâ fiant. De quibus vide Thyræum, l. *de Spirit. appar.*, c. 10.

VIVENTES IN ALIO LOCO SUBINDE APPARENT.

Schol. II. Viventes etiam existentes in uno loco, in alio distanti vivis apparuisse, *Acta Sanctorum* testantur. S. Bonaventura, in *Legendâ vitæ S. Francisci Assisii*, c. 4, narrat prædicti S. Fran-

cisci apparitionem in Capitulo Fratrum ejus Ordinis Arelate celebrato secutam, dum S. Antonius concionem de Titulo Dominicæ Crucis haberet. Item in *Bullâ Canonizationis S. Petri de Alcantara* legitur eum adhuc viventem S. Theresiæ pluries apparuisse : et corporaliter videndum se præbuit plurimis procul distantibus. Similiter in *Bullâ Canonizationis S. Philippi Nerii* refertur : « Iterumque cùm in urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam, sub regulâ S. Augustini monialem, Prati in Etruriâ commorantem, longo temporis spatio est allocutus. » Quæ apparitiones etiam ministerio Angelorum corpus assumentium, vel fortè per replicationem corporis subinde contigisse censentur.

APPARITIONES SANCTORUM CORPORALES SUNT MIRACULOSÆ.

Schol. III. Apparitio corporalis Sanctorum inter miracula recensenda est, utì communiter tenent Doctores cum S. Thomâ, 1. p. 89, a. 8. ad 2, cujus doctrinam fusè illustrant Magnanus, in *Dissert. de lacrym. S. Mariæ de gratiis Pinnæ Billorum*, p. 1, q. 2, sect. 1, § 6, dist. 1, n. 34. Matthæuccius, in *Pract. Th. canon. ad caus. Beatif.*, tit. 3, c. 3, a. 2, § 6, n. 78, quod probat ex eo : « Tum quia sunt insolitæ, tum quia raræ et arduæ vel difficiles quæ in admirationem rapiunt, tum quia supra opem naturæ, vel vires naturæ, vel vires naturæ excedentes, cùm nunquam Angeli, vel animæ separatæ appareant, etc., nisi Deus specialiter eis permitteret, ac supra ordinem usitatum. » Quod idem docet Bordonus, *de Mirac.*, medit. 13, ex quo infert Sweerts, non solùm curiositate, sed etiam implicitâ superstitione eos peccare, qui paciscuntur ut qui prior morietur, si permittatur, superstiti appareat, suumque statum indicet. Ex iisdem rationibus patet quòd apparitio vivorum in alio loco miraculosa sit.

§ 500.

ANIMÆ PURGANTES APPARERE POSSUNT.

Præterea animæ etiam purgantes, in Purgatorio existentes, Deo permittente, pro nostrâ instructione, et ad petenda suffragia hominibus *apparere corporaliter possunt.* Ita docet 1° S. Thomas, in *Suppl.*, q. 69, a. 3, dicens eas quandoque visibiliter apparere : « Aut etiam ad suffragia expetenda

quantùm ad illos qui in Purgatorio detinentur. » Item Thomas Cantipratensis, cujus elogium celebrat Jacobus Echard, in *Script. Ord. Præd.*, t. 1, in vitâ S. Lutgardis, apud *Bolland.*, ad diem 16 jun., narrat Innocentium III Papam visibiliter S. Lutgardi apparuisse, et nuntiâsse se per intercessionem B. V. Mariæ æternam mortem evasisse, atrocissimis tamen pœnis diu cruciandum esse, et ideo suffragia petiturum accessisse. Quam apparitionem ut verosimilem admittunt Spondanus, ad an. 1216, n. 13, Pagi, in *Breviar. Rom. Pont.*, t. 3, in *Vitâ Innoc.*, n. 110, Fleury, in *Hist. Eccl.*, l. 77, Burius, in *Brevi not. Rom. Pont.*, et Raynaldus, in *Ann.*, ad ann. 1, 2, 16, n. 12. Aliæ hujusmodi apparitiones videri possunt apud Del Rio et Bagatam, *de Admir. Orb. Christ.*, l. 8, c. 1.

QUOMODO FIAT.

Scholium. Apparitio hæc animarum purgantium communiter fit per sanctos Angelos, maximè custodes, in assumptis corporibus suffragia pro defunctis clientibus expetentes, et sunt miraculosæ, uti § præc., schol. 1 et 3, dictum fuit.

§ 501.

DAMNATI ETIAM VISIBILITER APPARERE POSSUNT.

Denique *animæ* etiam *damnatorum* tanquam præcones divinæ justitiæ, et ut nos doceant ita vitam nostram instituere, ne pari pœnâ plectamur, præcipiente Deo, hominibus vivis *visibiliter apparere possunt.* Ita docet S. Thomas, in *Suppl.*, q. 69, a. 3, dicens : « Et hoc etiam credi potest, quòd aliquando damnatis contingat, quòd ad eruditionem hominum et terrorem permittantur viventibus apparere. » Item Baronius, ad an. 1044, narrat Benedictum IX P. hortatu B. Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ summum Pontificatum pœnitentiæ causâ demisisse, iterumque per Simoniam nulloque

jure invasisse. Et, ad an. 1054, addit eumdem Benedictum jam defunctum cuidam Vasconi sub immanis monstri specie apparuisse, seque manifestâsse perpetuò ob bestialem traductam vitam damnatum esse. Hanc apparitionem Baronius desumpsit ex S. Petro Damiano, qui illam a Cardinali Humberto audiverat, et licèt Sicomarus ex variis monumentis Monasterii Cryptæ Ferratæ, in *Vitâ S. Bartholomæi Abb.*, not. 25, Benedictum in dicto Monasterio pœnitentem obiisse demonstret, et inter fabulas hanc visionem rejiciat, aliæ tamen apparitiones damnatorum non desunt, assumptum comprobantes: de quibus apud citatum Bagatam, *de Admir. Orb. Christ.*, l. 1, c. 1, uti notat Benedictus XIV, *de Serv. Dei Beatif.*, l. 4, p. 1, c. 32.

QUOMODO APPAREANT.

Schol. I. Apparitio damnatorum communiter etiam fit per Angelos malos, in corporibus ab eis assumptis, et quia ex speciali Dei providentiâ, præter et supra ordinem usitatum, contingunt; ideo ab eodem Benedicto XIV, l. c., inter miracula recensentur.

INFANTES SINE BAPTISMO MORTUI NON APPARUERUNT.

Schol. II. Nuspiam legimus apparuisse animas infantium qui cum solo peccato originali decesserunt, cùm suffragiis nostris juvari non possint, nec in earum apparitionibus inesse posse videatur utilitas aut virtutis exemplum, uti notat Card. Bona, *de Disc. spirit.*, c. 19, n. 8, et latiùs prosequitur Thyræus, *de Spirit. appar.*, c. 11, n. 22, dicens: « Damnatorum spirituum duo genera possumus constituere: quidam sunt, qui, præter pœnam damni, etiam experiuntur pœnam sensûs; quidam, ut infantium non renatorum, solam damni sustinent. Hos hominum colloquiis sese miscere compertum est nemini: posse, si is qui omnia potest ita jubeat, nemo dubitat: verisimile tamen putamus Deum id nunquam, vel rarissimè jubere, et ipsos id nunquam expetere, ut qui nullam ex hac re ipsi fructum capere nec aliis, nisi rarò admodum, afferre possunt. »

§ 502.

VISIO SIMPLEX IMAGINARIA QUID.

Aliud genus visionis, seu apparitionis simplicis, et quidem perfectius, est illud, quo imaginationi aliquid spectandum proponitur : est autem *visio*, seu *apparitio imaginaria*, quâ aliquid divinum, cœleste, aut aliud imaginationi videndum proponitur non minùs clarè, quàm si oculis corporeis cerneretur.

QUOTUPLEX.

Schol. I. Visiones et apparitiones imaginariæ, juxta S. Bonaventuram, *Proc.* 7 *Rel.*, c. 18, et alios, « aliæ sunt, quæ vigilanti, non corporaliter, sed imaginariè ostenduntur : ut visiones Ezechielis, Danielis, et aliorum Sanctorum in Novo Testamento ; aliæ imaginariæ, quæ in somnis ostenduntur, ut Dominus in scalâ. »

QUOMODO FIAT.

Schol. II. Visio simplex imaginaria duobus modis fieri potest : I. Imagines vel species per sensus externos haustas, ita Deo disponente et ordinante, ut id referant quod ipse intendit. II. Novas species Deo formante, per quas illustrat intellectum ad cognoscendum et penetrandum quo dillæ repræsentant. Et quia Deus hoc communiter per Angelos facit, Angeli homines illuminare dicuntur, quatenus licèt per se phantasmata non imprimant; movent tamen humores et spiritus vitales, quibus commotis, phantasia ad operandum excitatur, et per illam intellectus ordinatè et convenienter ad distinctè cognoscendum movetur.

§ 503.

VISIO SIMPLEX IMAGINARIA DEI DARI POTEST.

Visiones et apparitiones *simplices imaginariæ Dei ipsius dari possunt.* Sic 1° *Gen.* xxviii, 12, vidit Jacob in somnis *Do-*

minum innixum scalæ. Item Salomon, II *Par.* I, 7, in somnis cum apparente sibi Domino collocutus est : *Ecce in ipsâ nocte apparuit ei Deus.* Item in raptu correpti, atque ideo imaginariè, visiones Dei non tantum symbolicas, sed et simplices habuerunt Prophetæ, uti Isaias, c. 5, de gloriâ Dei; Jeremias, c. 1, de Domino tangente os ejus et monstrante visiones; Ezechiel, c. 8, de Spiritu per similitudinem manûs illum elevante. In novâ etiam lege duæ illæ Christi visiones S. Paulo factæ, *Act.* XVIII, 9 : *Dixit autem Dominus per visionem Paulo;* et XXIII, 11 : *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait :* non immeritò imaginariæ et in somnis factæ censentur. Item in Apocalypsi visiones Christi jure putantur imaginariæ, utpote S. Joanni factæ, dum raptus esset in spiritu, I, 10 : *Fui in spiritu,* etc. 2° Patet ex PP. S. Isidorus, l. 7 *Etym.*, c. 8, post visionem secundùm oculos ponit : « visionem secundùm spiritum, quo imaginamur ea quæ per corpus sentimus. » S. Bernardus, *Serm.* 41 *in Cant.*, ait : « Et fortasse hinc est illud speculum et ænigma, ut dixi, per quod videbat Apostolus, ex istiusmodi puris pulchrisque imaginationibus, Angelorum quasi manibus fabricatum : quatenus et Dei esse, quorum purum, et absque phantasiâ corporearum imaginum cernitur, sentiamus, et elegantem quamlibet similitudinem, quâ id dignè vestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico. » Item visionem Jacob in somnis, *Gen.* XXVIII, de visione imaginariâ Dei explicat Joannes, Legatus Orientalium Patriarcharum in Synodo Nicænâ II, cum Adriano Papâ et aliis citatis PP. ; et S. Thomas de imaginariâ visione Dei, 2, 2, q. 183, a. 3, ait : « Altior gradus prophetia est, si illi videatur in specie Angeli, non hominis; et adhuc altior, si in specie Dei. » S. Bonaventura, paulo antè allatus, visionem Dei in scalâ imaginariam dicit. Denique S. Theresia, in *Vit.*, c. 28, ex professo agit de visione imaginariâ S. humanitatis Christi primùm secundùm manus, postea secundùm faciem, post dies secundùm totam speciem Christi resurgentis : quam non fuisse intellectualem patet ex eo, quia ait : « Modo, quo depingi solet Dominus in resurrectione; » nec corporalem,

quia subdit : « Constituit eam Dominus ita celeriter, ut nequidem vacaret tempus oculos aperiendi, si hoc opus esset. 3° Ratio est quia visio imaginaria perfectior est corporali, et bonitas Dei sine limitibus hoc etiam perfectiori modo animas suas dilectas recreare dignatur, tum ut naturæ humanæ sensus sequenti se accommodet, tum ut imago Christi in mente tenaciùs hæreat, et eam ad majorem amorem accendat. Plura dabit Thyræus, l. 3 *de Appar. imag. Dei.*

VISIO IMAGINARIA DEI FIT PER ANGELOS.

Schol. I. Quoties in S. Scripturâ vel alibi dicitur Deus invisibiliter imaginariè apparuisse, intelligendum est hoc factum fuisse a Deo, ministerio Angelorum, invisibiliter nomine Dei intervenientium, uti dictum est § 496, schol. 1 : quod fit, vel præcisè applicando activa passivis interiùs in præparatione imaginum, ad formanda phantasmata, virtute angelicâ naturali, vel, si quando opus fuerit, additâ virtute supernaturali, quas tales Angeli, ut instrumenta et Ministri, Deus verò ut causa principalis suprema, simul cum imaginatione intellectum et voluntatem confortent : id quod etiam innuit S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 30, dicens : « Sunt quædam excellentiâ et merito divina, quæ demonstrant Angeli miris modis : utrùm visa sua facili quâdam et præpotenti conjunctione vel commixtione etiam nostra esse facientes, an scientes, nescio quomodo, nostram in spiritu nostro informare visionem : difficilis perceptu et difficilior dictu res est. Ex quibus pars prior de illuminatione angelicâ naturali, posterior de supernaturali congruè intelligitur. »

HÆC VISIO NON EST FALSA, SED PERFECTA.

Schol. II. Deus et Christus per imaginarias visiones videntur quidem aliter ac sunt in se, sed sine falsitate, saltem ex parte intelligentis : sic non fingimus, nec falsi sumus, quando spiritualia instar materialium cognoscimus : nec enim quando Deum ut solem, Christum ut infantem, in SS. Eucharistiâ nobis imaginamur, credimus Deum esse solem, vel Christum infantem, sed per solem Deum, et per infantem Christum nobis repræsentari. Imò visiones imaginariæ objectum suum perfectiùs repræsentant quàm visiones externæ et corporales : quia hìc solius imaginationis, quæ est sensus

perfectior, negotiatio intervenit per ministerium angelicum, ope, saltem quoad modum, vel etiam substantiam, supernaturali. Unde etiam S. Theresia, *Vit.*, c. 28, de visione Christi resurgentis habitâ testatur : « Aliquoties ita ego confundebar, ut mihi appareret imago, non ut imagines nostræ, quantumvis perfectæ, quarum plures mihi affatim elegantes contigit videre : ineptia est cogitare istud imaginum genus cum illo esse æquabile : minimè gentium ; haud aliter ac respectu vivæ personæ imago ipsius si conferatur, utut oppidò exacta, non valet unquam adeo esse vera effigies, ut demum non pateat, emortuam esse imaginem. »

§ 504.

ANGELI BONI IMAGINARIÈ APPARERÈ POSSUNT.

Angeli etiam *boni imaginariâ visione* simplici *apparere* hominibus *possunt*. Et quidem de Angelis bonis constat 1° ex S. Scripturâ : *Gen.* 28, Jacob ait se quâdam visione Angelos in somnis vidisse per scalam ascendentes et descendentes. Et *Zach.* I, 13, refertur : *Dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me;* et 19 : *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me.* Quod nonnisi de Angelo imaginariè apparente intelligi potest. In Novo etiam Testamento, visiones illæ quibus S. Josepho B. V. Mariæ sponso Angelus primò, secundò et tertiò apparuit, *Matth.* I, 20; II, 13 et 19, et magis V, 12 : item appariliones Angelorum in Apocalypsi S. Joanni factæ, tantùm imaginariæ fuerunt. 2° Suffragantur PP. : S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.* et *Ep.* 100 et 101 *ad Exod.*, ubi hoc, et ex citato textu Zachariæ, confirmat, dicens : « Neque enim forinsecus voces ad aures corporeas Prophetæ venisse credendum est, cùm dicit *loquebatur in me*, non *ad me*. Affertque Josephi sponsi B. V. Mariæ exemplum. Et S. Gregorius, l. 4 *Dial.*, c. 2, inquit : « Unde fit, ut Prophetarum sensibus, ipsa, ut est, subtilitas Angelicæ virtutis appareat, et, quo subtili spiritu tangitur, levetur. » Nimirum, utì antè præmiserat : « Ut ipse quoque Angelus mentis oculis repræsentatur. » Et S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 3, docet : « Ostenditur altior esse gradus prophetiæ, quando Propheta non solùm videt signa verborum

et factorum, sed etiam videt in vigilando vel dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem : quia per hoc ostenditur quòd mens Prophetæ magis appropinquat ad causam revelantem. » Ratio data fuit in § præc.

QUOMODO FIANT, ET AN OPERA DÆMONUM FIERI POSSINT.

Schol. I. Quomodo apparitiones imaginariæ Angelorum bonorum fieri possint, et an sint veræ, colligi potest ex dictis, § præc., schol. 1, 2. Posse etiam imaginarias visiones et apparitiones fieri operâ dæmonum, docet Card. Bona, *de Discr. spirit.*, c. 16 : « Habet quoque diabolus Prophetas suos et somniatores, quorum ipse phantasiam commovet, multaque in eâ repræsentat et suggerit; » et, c. 19, n. 7, « in vivos etiam transfigurantur, spectraque objiciunt seu oculis, seu phantasiæ, et simulacra atque imagines rerum, personarum, et sicut de Proteo fabulantur Poetæ, in omnes formas se vertunt, ut miseros mortales seducant et perdant. » De quâ re plura legi possunt apud Pignatellum, consult. 55, n. 2 et 3, t. 4.

BEATI IMAGINARIÈ APPARERE POSSUNT.

Schol. II. Etiam Beati in cœlo, animæ purgantes et damnati, vel ad nostram instructionem, vel ad suffragia nostra expetenda, vel ad justitiæ divinæ terrorem nobis incutiendum, et speciali Dei providentiâ, apparere imaginariè possunt.

§ 505.

DATUR VISIO PURÈ INTELLECTUALIS.

Tertium genus visionis simplicis, omnium visionum præcipuum, est *visio intellectualis*, quæ est clarissima rerum divinarum manifestatio, quæque in solo intellectu, absque figuris et imaginibus, perficitur.

QUOMODO FIAT OSTENDITUR.

Schol. I. Visio hæc *intellectualis* vocatur, quia non fundatur in aliquo medio sensibili : licèt enim omnis vera visio, corporalis

etiam et imaginaria, per actum intellectualem perficiatur, fundatur tamen in aliquo medio exteriùs vel interiùs sensibili, secùs verò visio purè spiritualis. quæ, si etiam alterius visionis inferioris consortium admittat, ab illâ tamen minimè dependet. Fit autem spiritualis visio *intellectualis*, vel cùm mens Spiritûs S. gratiâ vel lumine illustratur, ut ea intelligat quæ corporali vel imaginariâ visione sensibiliter repræsentata sunt, vel quando immediatè per species a Deo infusas divina mysteria percipiuntur. Quare ad hanc extraordinariè sublimem visionem duo debent concurrere, nimirum ex parte subjecti, seu intellectûs videntis auxilium supernaturale actuale, seu lumen speciale et extraordinarium : et ex parte objecti species per se a Deo infusa, et intrinsecè supernaturalis, siquidem acquisita, etsi per accidens infusa, nequit sufficere pro cognitione independenti a materiâ, vel purè intellectuali.

SOLUS DEUS EST CAUSA VISIONIS INTELLECTUALIS.

Schol. II. In visione intellectuali solus Deus est causa principalis, non verò Angelus nec bonus, nec malus, nequidem mediatè. Dico : causa principalis, quia, ut causa elevata etiam physicè, anima, utpote vitaliter agens, ad has prævias illuminationes et subsequentes voluntatis affectus concurrit, et solùm ad recipiendas species infusas purè passivè se habet. Angeli verò boni, nequidem mediatè, virtute propriâ, applicando activa passivis, concurrunt, quia visio hæc utpote a phantasmatibus independens, a spirituum et humorum agitatione non pendet : solummodo ut causa purè instrumentalis, virtute divinâ elevata, immediatè concurrere possent, quod an de facto aliquando fiat, ignotum est, cùm etiam de visionibus imaginariis hoc se nescire S. Augustinus profiteatur. Angeli mali nihil omnino ad visionem intellectualem conferre possunt, neque propriâ virtute, utì patet ex ratione pro Angelis bonis mandatâ : neque virtute Dei, utpote qui pessimis hisce instrumentis ad res adeo sacras non utitur. Ex quo Mystici inferunt quòd dæmon in has visiones minùs quàm in alias se intrudere et illusiones immiscere possit.

VISIO INTELLECTUALIS NON POTEST VERBIS EXPLICARI, NISI SENSIBILIS SUBSEQUATUR.

Schol. III. Aliquando proceditur a visione intellectuali ad sensibilem imaginariam, vel corpoream; aliquando verò de visione sensibili rapitur anima ad purè intellectualem, et nisi Deus ultra

gratiam visionis intellectualis, concedat etiam gratiam visionis inferioris imaginariæ vel sensibilis aut corporalis, tunc anima non poterit id quod intellectualiter vidit illis explicare : quia illi deerunt conceptus et termini apti, ut ab aliis capiatur, cùm hi nonnisi dependenter a phantasmatibus et per species rerum materialium intelligere possint. Sic S. Paulus non poterat eloqui illa quæ in cœlum raptus vidit : et B. Angela de Fulginio, *Vit.*, c. II, dicebat se non potuisse loqui quæ de Deo viderat, quia sibi deerant verba et imaginatio.

VISIO INTELLECTUALIS NEGATIVÈ ET POSITIVÈ FIERI POTEST.

Schol. IV. Visio intellectualis potest fieri vel negativè et obscurè, quando anima non videt in quâ formâ sit objectum; videt tamen in quâ non sit, scilicet non eo modo materiali, quo res materiales, et, adinstar eorum, res spirituales communiter concipiuntur, vel positivè et clarè, quando anima videt aut potiùs experimentaliter sentit objecti formam, sub modo spirituali : qui uterque modus ad duos illos gradus contemplationis, claræ, et in nebulâ, seu caligine, revocari potest.

§ 506.

DATUR VISIO PURÈ INTELLECTUALIS.

Visiones simplices purè intellectuales supernaturales ad nostram instructionem a Deo quandoque *conceduntur*. Prob. 1° ex S. Scripturâ, ubi de Moyse, *Exod.* XXXIII, 11, dicitur : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Et *Num.* XII, 6 : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Et non talis Servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei; et palàm, et non per ænigmata, et figuras Dominum videt.* Cùm igitur Moysi Deus per visiones corporeas et imaginarias in vigiliâ vel somniis, non per ænigmata et figuras, seu rerum corporearum species, et dependenter a phantasmatibus locutus fuerit, id nonnisi de visione purè intellectuali intelligendum est. Item de S. Paulo, II *Cor.* XII, habetur : *Scio hominem in*

Christo ante annos quatuordecim sive in corpore nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quæ visio sublimissima planè purè intellectualis et independens ab omni sensibili fuit : aliàs enim S. Apostolus se in corpore fuisse facilè nosset. Sanè multi Theologi, ex his citatis textibus, Moysi et S. Paulo transeuntem intuitivam Dei visionem concessam fuisse arguunt : si ergo ita fuit, a fortiori potuit esse alia visio intellectualis inferior, vel si non fuit, saltem hæc inferior negari nequit. Plura habet Thyræus, *de App. Dei intellect.*, l. 4. Prob. 2° ex PP. : S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 26, ait : « Porro si quis, quemadmodum raptus est a sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu (vel imaginatione) videntur : ita ut ab ipsis rapiatur, et in illam quasi regionem intellectualem vel intelligibilium subvehatur, ibi sine ullâ corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur.... Videt per speciem, non per ænigmata, quantùm ea capere mens humana potest, secundùm assumentis Dei gratiam, ut os ad os loquatur, quem dignum tali Deus colloquio fecerit, non os corporis, sed mentis. » Talem Moysis visionem censet, c. 27, et S. Pauli, c. 28, talisque censenda est visio ipsius. S. Augustini cum S. Matre suâ, de quâ, l. 9 *Conf.*, c. 10, testatur : « Si continuetur hoc et subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat, et recondat in interiora grandia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus : nonne hoc est, intra in gaudium Domini tui? » S. Bernardus, *Serm.* 52 *in Cant.*, ad hanc visionem aspirans, ait : « Corporum similitudinibus speculando non involvi, Angelicæ puritatis est..... Nondum elongâsti, nisi et irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas. » S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 1, ad 1,

docet : « Illa Prophetia, in quâ revelatur nudè intelligibilis veritas, est omnibus potior. » Et a. 4, dicit Moysen cæteris Prophetis præstare quantùm « ad visionem intellectualem. » Et S. Bonavent., in 7 *Process. Relig.*, c. 18, inquit : « Alia est visio intellectualis, quâ illuminatur mentis oculus luce veritatis puræ : quia ipsam veritatem in se contemplatur. » 3° Ratio est quia licèt cognoscere dependenter a phantasmatibus sit homini in hac vitâ connaturale, non tamen implicat cur ex speciali privilegio a Deo animabus sibi dilectis aliter sine illis fieri possit, sicuti etiam Humanitati Christi adhuc in viâ datum est cognoscere per scientiam per se infusam purè intellectualiter, et independenter a phantasmatibus : et ipsi Sancti post universalem Resurrectionem corporis visione purè intellectuali Deum videbunt.

DEUS CHRISTUS, SS. DEIPARA, ANGELI ET BEATI VISIONE INTELLECTUALI VIDERI POSSUNT.

Schol. I. Nulla est apparitio Dei, Christi, Deiparæ, Angelorum et Beatorum, quæ visione intellectuali attingi non possit : sic in apparitione Dei, sive ut unius, sive trini, saltem mediatè in aliquo medio spirituali, Deus videri potest; sive hoc fiat experimentaliter negativè, quatenus anima immemor jam sensibilium cognoscit, quidquid magis et magis bonum est, nondum esse Deum : sive positivè, cognoscendo esse Deum magis et magis bonum sine termino. Ita B. Angela Deum se vidisse ait : quatenus vidit quamdam plenitudinem spiritualem. Ita S. Theresia, in *Castell. mans.* VII, c. 1, inquit : « Per visionem intellectualem quâdam repræsentatione veritatis omnes tres Personæ SS. Trinitatis illi repræsentantur, cum inflammatione quâdam adveniente primùm Spiritui ad modum cujusdam nubeculæ maximæ claritatis.... Ita ut quod fide habemus, ibi anima intelligat (dicere liceat) quasi videns : quæ visio non est in oculis corporeis, cùm imaginatio non sit. » Eodem modo anima Christi humanitatem, vel intuitivè, per speciem propriam, vel abstractivè, per speciem alienam, visione purè intellectuali videre potest. Non enim ad videnda materialia requiritur, ut modo materiali, vel instar modi materialis cognoscantur, utî patet in Angelis materialia longè clariùs quàm nos, modo prorsùs spirituali cognoscentibus : qui modus, ex speciali Dei privilegio, animæ in hac vitâ transeunter, sicut in patriâ permanenter, com-

petere potest. Similiter SS. Deipara, et alii Sancti, quando personaliter apparent, sive intuitivè in se, sive abstractivè in alio medio spirituali, visione purè intellectuali videri possunt : fortè tamen ejusmodi visiones, saltem communiter non sunt intuitivæ, nec personales, sed modo quodam medio inter intuitionem et alias communiter abstractivas, quæ explicari possunt, quatenus per substitutionem Angeli videntur. Quippe Angeli etiam, utpote puri Spiritus, per visionem purè intellectualem maximè ab animabus, sive per raptum et extasin physicè, seu moraliter per perfectam mortificationem, ab omni re sensibili abstractis videri possunt. Cùmque Angeli ad alias apparitiones communiter interveniant, in quibus, vel ipsi, vel per illos alii apparent, non est cur hoc non ad visiones intellectuales Beatorum extendatur, non quidem fabricando corpus sensibile, nec interiùs imaginarias apparitiones figurando, sed spiritualiter objectivè se visibiles præbendo, vi luminis, et specierum a Deo infusarum, ut illi et per illos alii intellectualiter videantur. Sic S. Theresia, in *Append. vit.*, testatur se vidisse stipantes SS. Deiparam plurimos Angelos, « at non in formâ corporali, cùm esset visio intellectualis. »

INTELLECTUALES VISIONES NON SUNT FALSÆ.

Schol. II. *Intellectualiter* quoque fieri potest, ac de facto fit, ut objectum immediatè, vel mediatè visum, sine falsitate aliter quàm in modo, loco et tempore sit, appareat. Sic enim de Deo, Christo, Deiparâ, etc., dum eos intellectualiter videmus, licèt, v. g., Christus ut infans videatur, non tamen asseritur nec sumitur modò infans esse, sed quondam fuisse, licèt ita vividè repræsentetur, ac si modò et coram esset, cùm historicæ locutioni proprium sit stylo vel picturâ ita facta narrare, quasi modò fierent.

§ 507.

VISIO SYMBOLICA QUID.

Præter visiones simplices, considerandæ sunt *visiones symbolicæ*. Est autem visio symbolica quando Deus, mediantibus quibusdam rebus aliquam habentibus symbolizationem aut similitudinem cum aliis, res alias modo supernaturali nobis manifestat.

QUID AD EAM REQUIRATUR.

Scholium. Ad visionem symbolicam requiritur 1. Ut fiat per revelationem : aliàs enim non sacra, sed profana foret. 2. Similitudo, quâ res aliæ per res alias explicantur, non debet esse univoca, sed æquivoca ; non formalis, sed metaphorica ; non faciliter, sed difficulter invenibilis : aliàs vel erit revelatio simplex non videnti, sed audienti facta ; vel erit visio simplex ipso primo intuitu rei primariò intentæ manifestativa : imò ipsa difficultas similitudinem inveniendi, visionem in ratione symboli constituit, quæ propterea *ænigma,* vel *ænigmatica* vocatur. Unde non est hìc sermo de visionibus, quæ univocè rem primariam figurant, utì Christum D., SS. Deiparam aut alium Sanctum : nec etiam de his quæ primariò repræsentant in se satis conspicua, licèt alienâ figurâ, utì Angelum instar juvenis : sed sermo est de visionibus, quæ vel inanimata figurant, ut repræsentent animata, vel corpora, ut spiritualia, vel alia primo intuitu prorsus aliena, indeque difficilem cognitionem pariunt. Et quia hæ visiones possunt fieri, vel exteriùs ad oculos corporis, vel interiùs ad imaginationis aut intellectûs aciem, in vigiliâ et in somnio, de his omnibus agitur, imò non modò, quæ visui, sed etiam auditui et aliis sensibus competere possunt : de quibus fusè tractat Sandæus, *Tr. de Theol. Symbol.,* l. 6.

§ 508.

DATUR VISIO SYMBOLICA.

Visiones symbolicæ ad nostram instructionem supernaturales *sunt* subinde a *Deo,* ut auctore supernaturali operante supernaturaliter quoad substantiam, vel saltem quoad modum, aut per se solum, aut per ministerium Angelorum. Prob. 1° ab exemplis S. Scripturæ. *Exod.* III, 3, apparente Domino Moysi in flammâ ignis de medio rubi non comburentis, dixit Moyses : *Vadam, et videbo visionem hanc magnam.* Abrahamo sacrificante, *Gen.* XV, 17, factâ jam dissectione animalium, *cùm occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Jacob, *Gen.* XXVIII, 12, *vidit in somnis scalam stantem super terram,*

et cacumen illius tangens cœlum. Joseph, *Gen.* XXXVII, 6, de manipulis a se visis in somnio aiebat : *Audite somnium quod vidi.* Et rursus, v. 9, de alio somnio : *Vidi per somnium* quasi *solem et lunam, et stellas undecim adorare me.* Item, III *Reg.* XIX, 12, Eliâ vidente et audiente mirabilia, narratur : *Non in Spiritu grandi Dominus, non in commotione, non in igne : et post ignem sibilus auræ tenuis.* Jeremias de seipso, I, 2, testatur : *Virgam vigilantem ego video.* Et V, 13 : *Ollam succensam ego video.* Et Zacharias, IV, 2, ait : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum.* Et V, 2 : *Ecce, video volumen volans.* Accedunt, præter alias ejusmodi visiones symbolicas, somnia Pharaonis de septem vaccis et spicis a Josepho, *Gen.* XLI; de statuâ Nabuchodonosoris, *Dan.* II, 19; de arbore ejusdem, c. V, et de manu scribente coram Balthasare a Daniele explicatâ. » In Novo Testamento, *Matth.* XVII, 5, in Dominicâ Transfiguratione : *Ecce nubes lucida..... Et ecce vox de nube. Marc.* I, 10, Inter baptizandum vidit Joannes *Spiritum tanquam columbam.* Idem Spiritus S., *Act.* II, 2, visus et auditus est descendere in Apostolos sub signis venti vehementis et linguarum ignis. *Ibid.*, X, 11, S. Petrus vidit cœlum apertum et descendens vas quoddam, etc. Tota Apocalypsis referta est visionibus symbolicis, agni, libri, candelabrorum, animalium, etc. ; quibus aliæ ejusmodi in *Historiâ Ecclesiasticâ* et *Actis SS.* relatæ addi possunt. 2° Patet ex PP. S. Dionysius, c. 3 *Th. myst.*, testatur se alium librum *symbolicæ Theologiæ* confecisse, in quâ docuit : « Quænam nomina divina e rebus sensibilibus translata sint.... Et quotquot aliæ sunt effigiationis Dei sacræ formationes ac figurationes. » Qui tamen liber adhuc desideratur. Et *Ep.* 9 *ad Tit.*, inquit : « Nec in sanctissimis Mysteriis, in Scripturâ revelatis, sancti Magistri, sive nostri, sive Mosaicæ disciplinæ a symbolis Deo convenientibus abstinuerunt : quin potiùs videmus Angelos omni sanctitate plenos per ænigmata res divinas mysticè promere, et Jesum in parabolis divinis loqui, ac deifica Sacramenta per typicum mensæ apparatum tradere. Et S. Thomas, 2, 2, q. 174 a. 1, ad 3, Prophetiam agnoscit, in quâ manifestatur

veritas, « secundùm impressionem formarum, quæ fit per sensibilia signa, » exemplo nubis ad Moysen. Et S. Bonaventura, in 7 *Proc. Relig.*, c. 18, in figuris corporeis Apocalypsis hoc illustrat, dicens : « Non enim verum est substantialiter esse boves in cœlo, vel leones, vel aquilas, et alia quæ in Apocalypsi et aliis Prophetarum visionibus describuntur : sed ibi sunt cœlestes virtutes, quorum merita, vel officia istarum bestiarum vel aliarum rerum proprietatibus figuraliter præsignantur. 3° Ratio congruentiæ est cur Deus his symbolis cum suis amicis colloquatur, tum ut homo hoc modo per sensibilia ad spiritualia faciliùs trahatur, sicut etiam Christus ipse doctrinam suam cœlestem per parabolas et symbola sæpe proposuit; tum quia symbola reverentiam et cultum adaugent, ut quæ homo timoratus non capit, divina verò esse præsentit, magis colat et revereatur; tum quia sic a profanorum contemptu mysteria arcentur, et desiderium tales veritates assequendi acuitur; tum quia in animabus, detecto harum veritatum velo, illæ altiùs memoriæ imprimuntur, et affectus vehementiùs inflammatur.

AN VISIO DEI ET SANCTORUM IN CORPORE SIT SYMBOLICA.

Schol. I. Visio Christi D., ŠS. Deiparæ, vel alicujus Sancti, quin etiam visio Angeli, ut juvenis, et visio Dei sub humanâ specie, licèt non in proprio corpore appareant, et sint impersonales, quia tamen simpliciùs hæc ipsa symbola personas istas significant, et minùs quàm metaphoricè, ac quando vel insensibilium vel brutorum symbola exhibentur, ideo meritò hæ visiones reductivè simplicibus annumerantur.

AN DEUS IN VISIONIBUS SYMBOLICIS APPAREAT.

Schol. II. Deum in visionibus purè symbolicis aliquando apparere negat Thyræus, l. 1 *de Appar. Spirit.*, c. 2, et *de Appar. Dei*, c. 4 : vult enim nunquam Deum, ut Deum, apparuisse, nisi tantùm in figurâ humanâ, quæ apta est ad Dei significationem, licèt figuræ insensibilium et brutorum etiam aliquid Dei significent. Nihilominus interpretes et Theologi communiùs id concedunt; cùmque

reverà, hæc lis sit de nomine, quia omnes concedunt quòd per ejusmodi visiones symbolicas Deus significetur, sive in illis apparere dicatur, sive non : satis tamen, propriè loquendo, sine scrupulo dicere licet Deum in symbolis etiam non humanis apparere, quando hæc nullam indecoram et incongruam figurationem habuerint : tum quia etiam humana symbola longè sunt a Deo, et nonnisi metaphoricè illius significativa, quod etiam non humanis convenire potest : tum quia si in non humanis apparere possunt attributa Dei, cur non ipse Deus? Tum quia simpliciter in S. Scripturâ dicitur Deus apparuisse in rubo, in nube transfigurationis Patrem æternum locutum esse, Spiritum S. in die Pentecostes in vento vehementi et linguis igneis descendisse, Dominum in visione Eliæ in sibilo auræ tenuis fuisse.

AN VISIO SYMBOLICA PURÈ INTELLECTUALIS SIT POSSIBILIS.

Schol. III. Visiones symbolicæ possunt esse vel sensibiles, vel imaginariæ, non verò, regulariter loquendo, prout fundantur in figurâ rerum corporearum, purè intellectuales, utì ex terminis patet. Admitti potest alia rarò possibilis, quæ, independens a speciebus et figuris rerum corporearum, fundetur in similitudinibus rerum creatarum spiritualium, et per earum species per se a Deo infusas, in quibus anima eximiè perfecta symbolicè, vi luminis supernaturalis, alias res superiores et ipsum Deum videre poterit : licèt illam subinde visio symbolica imaginaria per alium actum comitetur vel subsequatur, ut visa aliis per verba proportionata exponi possint.

§ 509.

VISIO SYMBOLICA IN SYMBOLO NON SISTIT.

Visiones symbolicæ, quæ tantùm in symbolo *sine ejus intellectâ significatione* sistunt, vel a Deo *non sunt,* vel saltem perfectâ visionis supernaturalis ratione carent. Ita eruitur 1° ex S. Scripturâ, *Dan.* x, 1 : *Intelligentiâ opus est in visione.* Et *Prov.* i, 6 : *Sapiens animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.* Accedunt exempla : nec enim Pharao, qui vaccas et spicas in somnio vidit, fuit verus Propheta, sed potiùs Joseph, qui has visiones in-

terpretatus est. Nec Nabuchodonosor statuam et arborem, nec Balthasar manum scribentem videns, sed Daniel harum visionum interpres : imò nec S. Petrus viso linteo de cœlo perfectâ revelatione gaudebat, nisi postquam in adventu Cornelii a Spiritu S. plenè edoctus fuit. Sic nec profuit Judæis Christi parabolas audire, quarum interpretationem ob sua peccata percipere non meruerunt; et nonnisi Pseudoprophetæ in S. Scripturâ illi habentur, qui videbantur sibi videntes, et a Deo tales non erant. 2° Prob. ex PP. S. Dionysius in hunc finem totam suam Theologiam symbolicam direxit, ut symbola sacra interpretaretur. S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 9, ait : « De quibus signa per aliquas rerum similitudines demonstrabantur in Spiritu; nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat Propheta : magisque Propheta erat, qui interpretrabatur quod alius vidisset, quàm ipse qui vidisset. Et S. Thomas, *in* I *Cor.* XIV, l. 1, docet : « Nisi ad similitudines sensibiles in imagine formatas intelligendas adsit lumen intellectuale ; ille, cui similitudines hujusmodi ostenduntur, non dicitur Propheta, sed potiùs somniator. » 3° Ratio est quia nisi ultra symbola res significatæ intelligantur, nihil aliud erit, quàm intelligere sensibilia et phantasmata, absque eo, quòd mens et cor ad divina traheretur; qui tamen est finis a Deo intentus in visione symbolicâ.

SYMBOLICÆ FIGURÆ SUNT TANTUM SÆPE APPARENTES.

Scholium. Communiter non est putandum figuras symbolicas esse veras et in re tales, sed sufficit quòd sint apparentes, ut ad aliquid aliud significandum assumantur : quis enim animalia a S. Joanne in Apocalypsi visa realia fuisse dicat? Et quamvis S. Petrus in suâ visione lintei ab initio putaverit animalia ibi figurata esse realia, citò tamen dedoctus est; et aliqualem erga symbola deceptionem facilè quis pati potest?

§ 510.

REGULÆ PRO DISCERNENDIS VISIONIBUS INTER SE.

PRIMA : VISIO SENSIBILIS SEU CORPORALIS AB ALIIS VISIONIBUS DISCERNITUR, SI AB OMNIBUS PRÆSENTIBUS VIDEATUR.

Ex dictis colligi poterunt *signa*, quibus visiones corporales, seu sensibiles, imaginariæ, et intellectuales, tum simplices, tum symbolicæ, a se invicem distingui possint. 1° Enim si visio vel apparitio ab omnibus præsentibus indifferenter percipiatur, ferè evidens signum est visionem seu apparitionem esse exteriùs sensibilem, seu corporalem. Ita S. Thomas, 1 p., q. 51, a. 2, dicens : « Illud, quod imaginariâ visione videtur, est in sola imaginatione videntis : unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem divina sic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur, sicut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt ab eo et totâ familiâ ejus, et a Loth, et a civibus Sodomorum; similiter Angelus qui apparuit Tobiæ ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum sit hujusmodi contigisse secundùm corpoream visionem, quâ videtur id quod positum est extra videntem, unde ab omnibus videri potest : tali autem visione non videtur, nisi corpus.

AN HÆC REGULA SIT UNIVERSALIS.

Schol. I. Bene observat Benedictus XIV, *de Serv. Dei Beat.*, l. 4, p. 1, c. 32, hanc regulam non esse perpetuam et universalem, cùm S. Paulo Christus apparuerit corporaliter, *Act.* IX : « Viri autem qui comitabantur cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes ; » et quamvis propriâ virtute non possit Angelus bonus corpus assumptum uni ostendere, et alteri occultare, id tamen potest virtute divinâ, utì bene ponderat Card. Bona, *de Discr. spirit.*, c. 19, n. 6. Unde infertur quòd, si probata sit fides ejus, qui sibi factam apparitionem refert, esto

cam alii præsentes non viderint, veritas tamen ejus firmiter oppugnari nequeat : quia vel potuit esse imaginaria, vel, si corporalis fuit, Deus facere potuit ut unus videret, cæteri verò non viderent, uti Sulpitius Severus, in *Dial.* 2, *de Virt. S. Martini,* refert in magnâ populi multitudine globum igneum supra caput S. Martini sacrificantis tantùm ab unâ Virgine, uno Presbytero et tribus Monachis visum fuisse.

QUOMODO DIVINA AB ANGELICA APPARITIONE SECERNATUR.

Schol. II. Theologi nonnullas regulas tradunt, quandonam apparitio sit ipsius Dei repræsentatio ministerio Angelorum exhibita et quando sit solius angeli absque Dei repræsentatione. *Prima* desumitur ex re quæ in visione et apparitione geritur : si enim ea propriè Deo competit, judicandum est Angelum in personâ Dei apparuisse, utì quando Deus in Paradiso, ex supremâ judiciariâ potestate, protoparentibus nostris delinquentibus pœnam dictavit. Si autem res propriè competat Angelo in personâ suâ, tunc Angelum in suî personâ apparuisse dicendum est, utì quando Angelus Tobiam comitatus est. *Secunda* desumitur ex modo et auctoritate verborum. Exemplum habetur, *Gen.* xvi, ubi Angelus Agar apparens sic ei locutus est : *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.* Quod cùm Deus solus polliceri possit, Angelus in personâ Dei apparuit, unde Agar dixit : *Tu, Deus, vidisti me.* Sic etiam divinam et non purè angelicam visionem fuisse factam Abrahamo, quando jussus est filium suum immolare, deducunt Theologi ex modo et auctoritate verborum. Vid. Durandus, *Tr. de vision.* c. 4.

AN CHRISTUS IN JUDICIO PARTICULARI PER SE APPAREAT.

Schol. III. De Christo Domino quæritur, quomodo judicium particulare exerceat, an per se, an verò per Angelum ejus nomine sententiam dicentem. Ita nonnulli autumant. Alii verò, animadvertentes necesse non esse quòd præsens sit judex ut sententiam ferat, item necesse non esse ut feratur per sensibilem vocem, volunt cum Abulensi, q. 23, in c. 24, *Matt.,* Christum venire in morte uniuscujusque, non secundùm præsentiam vocalem, sed secundùm efficaciam, per quam fit ut quisque statum suum agnoscat, et imperium et sententiam judicis audiat, et ex vi illius statim tendat in locum suis meritis debitum et competentem, uti latè prosequitur Thyræus, *de Appar. Christi in Judic. particul.,* c. 26.

§ 511.

SECUNDA : VISIO IMAGINARIA CENSENDA EST, SI NULLUM OBJECTUM IN SENSUS EXTERNOS INCURRAT.

Secundò. Quando visio, vel apparitio, sive in vigiliâ, sive in somno contingit internè, sine omni objecto exteriùs in sensus externos occurente, vel si etiam exteriùs in sensum externum fieri videtur, totum tamen in sensu externo præstigiosum est, *imaginaria* censenda est. »

§ 512.

TERTIA : VISIO PURÈ INTELLECTUALIS EST, SI FIAT SINE MEDIO SENSIBILI.

Tertiò. Quando visio vel apparitio non fit dependenter ab aliquo medio sensibili, seu phantasmate, purè *intellectualis* habenda est. De quâ bene Alvarez, *de Vit. spirit.*, l. 5, c. 12, notat : « Quia non facile est cognoscere quando visio purè intellectualis sit, et absque ullâ admixtione imaginationis; idcirco omnes visiones cautè suspiciendæ sunt, et cum prudenti Doctore et magistro spirituali communicandæ, et ad regulas infra ponendas examinandæ, ne in aliquo ab adversario decipiamur. »

§ 513.

QUARTA : VISIO SYMBOLICA EST QUANDO RES REPRÆSENTATÆ ALIUD SIGNIFICANT.

Quartò. Quando imagines, quæ in aliquâ visione aut apparitione monstrantur, non sunt qualescumque aut quovis modo significativæ, nec tantùm sunt simplices personarum aut rerum demonstrationes, sed ex Dei ordinatione aut placito, ad repræsentandas res alias, modo quasi hieroglyphico,

utì apud Ægyptios figuræ rerum ad significationes, vel ænigmatico, quo res aliud quidem sunt, et aliud repræsentant, assumuntur, tunc erit visio *symbolica.*»

§ 514.

REGULÆ PRO DISCERNENDIS VISIONIBUS VERIS A FALSIS.

Superest nunc ut *signa* et *regulæ* tradantur, quibus visiones et apparitiones verè divinæ a naturalibus, falsis et diabolicis discernantur : quas, pro majori claritate, in eas quæ 1. circa rem ipsam visam, seu ipsam visionem aut apparitionem, 2. circa personam videntem, 3. circa effectus visionum observandæ sunt, dividemus.

QUOMODO ORDINARI POSSINT.

Scholium. Pro discernendis visionibus et apparitionibus verè divinis a naturalibus et diabolicis discretione spirituum quàm maximè opus est. Nam cùm visiones nunquam desint, aliæ verè divinæ, aliæ non, sed vel diabolicæ, vel imaginariæ, discernere alias ab aliis, hoc opus, hic labor est; maximè cùm judicium non semper suspendere liceat, sed judicium ferri debeat, sive a personâ cui facta est visio, sive a Directore conscientiæ illius, seu Confessario, sive a Prælatis cum consilio Theologorum in foro externo, sive a judicibus fidei cum suis Consultoribus, sive a Congregationibus Cardinalium S. Officii et Sacrorum Rituum cum suis pariter Consultoribus, sive demùm immediatè vel mediatè a S. Sede, et Summo Christi in terris Vicario. Prodest hoc judicium discretivum, ut decidatur an anima sit sancta aut illusa, et in causis Beatificationis et Canonizationis Sanctorum. Et quia gratia gratis data discretionis spirituum non omnibus data est, necesse est ut in hac arduâ materiâ, viâ discretionis doctrinalis procedamus, et ex regulis moralibus ac signis, ad normam S. Scripturæ, Patrum et cœlitùs illuminatorum spirituum, ea desumamus, ex quibus prudens judicium efformetur. In hunc finem multa inter alios coacervârunt Gerson, *de Prob. spirit. et de dist. vision.;* Durandus, *de Vision.;* Gravina, in *Lap. lyd.,* p. 2; Card. Bona, *de Discr. spirit.,* c. 20; Scachus, *de Sign. sanct.,* sect. 8, c. 4; Samaniego, in *Prob. Galeat. ad Myst. civit.;* Casnedi, t. 4 *Cris.,* d. 4; Benedictus XIV, *de Serv.*

Dei Beat., l. 3, c. 51. Ad vitandam autem confusionem horum signorum Gerson illa hoc metro conclusit : « Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde require. » Samaniego juxta quatuor rerum causas, materialem, formalem, efficientem et finalem procedit. Bona reducit ad tria capita, scilicet ad personam cui facta est apparitio, ad ipsam apparitionem, et ad ejus circumstantias. Casnedi conatur seligere certa præ incertis, et regulas colligere pro judicio formando. Nos, cum P. Reguerâ, visiones considerabimus prout examinandas primùm ex parte ipsarum, dein ex parte personarum, demum ex parte effectuum. Et quia hæc signa et regulæ non solùm pro visionibus, seu apparitionibus, sed etiam pro revelationibus discernendis servire possunt, ideo modò solùm eas attingemus, quæ utrisque vel communes, vel pro visionibus speciales sunt, reliquas verò pro revelationibus inferiùs suo loco trademus : et quia faciliùs reperiuntur signa, quæ ostendunt visiones non esse divinas, illa priùs dabimus; mox ea quæ indicant esse divinas, fundando signa quæ graviora sunt, et deinde leviora assignando.

§ 515.

SIGNA APPARITIONIS FALSÆ EX PARTE SUI IPSIUS.

Signa igitur *visionis* seu apparitionis *non divinæ ex parte ipsarum sunt.*

PRIMO : SI SIT CONTRA FIDEM.

Primò. Si res apparens sit *Deum non decens, contra fidem* et bonos mores, etiam in minimo; contra Ecclesiæ *traditiones* et definitiones, contra unanimem Patrum et Theologorum consensum, visio certò falsa erit. Hoc signum inferiùs de revelationibus fusiùs probabitur.

§ 516.

SECUNDO : SI QUID INDECENS ET IMPUDICUM INCLUDAT.

Secundò. Si visio in suâ formâ aliquid indecens aut *impudicum* contineat, non divina, sed falsa erit. Ita S. Bonaven-

tura, in 7 *Proc. Relig.*, c. 18, docet : « Non videtur prætermittendum quòd quidam decepti a seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosam Genitricem, et non solùm amplexibus et osculis, sed etiam aliis indecentioribus gestibus et actibus ab eis demulceri, ut, sicut spiritus ipsorum interiùs ab ipsis consolatur spiritualiter, ita et caro exteriùs sibi congruo oblectationis sensu sensibiliter demulceatur et carnaliter consoletur : quod non solùm esse falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur. Spiritûs S. visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita et singulariter contra carnales illecebras opponitur : et ubi spiritûs mundities suo jubare resplenduerit, continuò omnes pravæ voluntatis motus evanescere, et velut tenebras, subveniente lumine, disparere necesse est. » Alia inferiùs de revelationibus dabuntur.

§ 517.

TERTIO : SI FORMA SIT DEFORMIS.

Tertiò. Si *forma* corporis apparentis non sit humana, sed *deformis, bestialis*, et figuræ fictitiæ, probabiliter visio Divina non erit : utì enim cum aliis observat Suarez, l. 4 *de Ang.*, c. 35, dæmon nunquam assumit simulacrum corporis humani quoad omnes partes illi simile, sed saltem ex pedibus, alteri animali propriis, discerni potest. Et Delrius l. 2, q. 26, sect. 3, cum Thyræo, *de Appar. Spirit.*, l. 1, c. 9, tenet non modò dæmonem non permitti formam humanam omni ex parte perfectam et speciosam referre, sed nec columbæ, agni, aut oviculæ, quæ sunt Spiritus S., Christi, et Evangelicæ simplicitatis symbola : obstat enim illi Dei voluntas, ut semper aliquid adsit quo ejus impostura detegatur, ne mortales justam ignorantiæ excusationem prætexant.

HOC SIGNUM NON EST INFALLIBILE.

Schol. I. De hoc signo notat P. Reguera, *Th. myst.*, t. 2, p. 666, n. 534, esse levius, nec semper tenere : nam licèt, dum apparet dæmon terrorem incussurus, aut in idololatriam inducturus, figuras deformes et poeticis fictionibus similes induat, tamen cùm Christi, vel Angeli lucis figuram refert, ut talis credatur, et Sanctos etiam decipiat, sicuti reipsà S. Catharina Bononiensis ab eo in specie Christi sibi apparente delusa per quinquennium fuit, in *Act. SS.*, 9 mart., c. 3, opus est ut nullam saltem exteriùs improportionem præ se ferat. Et e converso, licèt boni Angeli communiter speciem formosam juvenis induant, tamen nihil obstat, imò de facto constat, aliter contingere, vel figurando se tanquam animalia symbolica, utì in visionibus Ezechielis et Apocalypseos; vel tanquam senes, pueros, feminas, dum Patrem æternum, puerum Jesum, SS. Deiparam, aliosque Sanctos vel Sanctas repræsentant : imò pulchritudinem seponunt, dum vices animarum purgatorii gerunt.

QUOMODO IN DUBIA APPARITIONE PROCEDENDUM.

Schol. II. Quando dæmon transfigurat se in Angelum lucis, v. g. figurando se Christum in cruce pendentem; si dubium angat an sit Angelus bonus aut malus, non est probandum consilium ut ex abrupto fiant signa contemptûs erga talem spiritum, quicumque sit, v. g. expuere in faciem ejus, etc. : hoc enim esset non probare, sed spernere spiritum, ante probationem, contra præceptum Apostoli, et quidem cum sacrilego contemptu Dei, si fortè sit spiritus Dei. Unde meritò reprehensus Confessarius ille S. Theresiæ fuit, qui initio visionum ejus, de quibus saltem dubitare debuisset, jussit manu signum contemptûs non satis honestum edere; aliud enim foret, si de illusione diabolicâ certò constaret, sicuti B. Jordanus, teste Cantipratano, expuendo in faciem dæmonis illudentis, eum fugavit. Melius et decentius explorandi remedium est ad orationem confugere, et se visionibus cœlestibus indignum humiliter profiteri.

AN DÆMON IN SPECIE CRUCIFIXI APPARENS LICITÈ ALIQUANDO ADORARI POSSIT.

Schol. III. S. Thomas, in 3, d. 9, q. 1, a. 2, quæstiunc. 6, ad 3; S. Bonaventura, ibid., a. 1, q. 6, et universim antiqui, et

cum eis Card. Bona, *de Discr. spirit.*, c. 19, docent nunquam contingere posse ut dæmoni se in speciem crucifixi transfiguranti licitè præstetur adoratio, quia in hac re periculosâ potest quis suspendere assensum, et pro illustratione ad orationem et doctos confugere : admittunt tamen sub expressâ solùm, non verò tacitâ conditione : Si es verus Deus, ego te adoro, adorari posse. P. Vasquez, in 3, d. 108, c. 5, hanc sententiam refutat, tum quia potest alicui nullum dubium occurrere, et ita intervenire error omnino invincibilis ; tum quia illa adoratio, solùm in verum Deum directa, religiosa foret. P. Reguera, *Th. myst.*, p. 670, t. 2, n. 557, putat, independenter etiam a conditione adjectâ fieri aliquando posse ut adoratio hæc et fides præstita culpâ vacet. Si nimirum in exordio apparitionis, nullo occurrente dubio, et quidem sine propriâ culpâ, nec aliquo malo, nec in Spiritûs pravi apparentiâ, nec in ejus dictis detecto, quis deciperetur : sic fortè S. Catharinæ Bononiensi in suâ visione ab initio contigit, quamvis cum aliquâ culpâ præsumptionis præcesserit, et tamdiu illusio duraverit, saltem in progressu venialiter culpabilis fuerit. Nec est cur conditio semper abjicienda sit, eò quòd sit casus insolitus : aliàs enim, dum anima de veritate divinæ apparitionis certa est, hanc conditionem deberet adjungere, quod irreverentiam potiùs argueret. Interim tamen non ita frequenter talis illusio et adoratio inculpabilis erit, utì bene S. Thomas docuit, quia certè Deus hoc dæmoni sine culpâ hominis non permitteret : nam etiam in hoc casu adoratio in hunc spiritum tanquam ministrum sanctum veri Dei, vel tanquam verum Deum tenderet, quod utrumque falsum est, et idololatria vel materialis, si sine culpâ, vel formalis, si cum culpâ fiat. Hinc S. Theresia, in *Fundat.*, c. 8, ait : « Persuasum habeo non permissurum Dominum nostrum, nec potestatem illi facturum, ut talibus figuris quemquam illudat, nisi ob culpam istius, sed ipse potiùs illudatur : dico autem non illudendam animam, si humilitate non careat. »

§ 518.

QUARTO : HIS EXCLUSIS, APPARITIO EX PARTE MATERIÆ DIVINA EST.

Quartò. Ex his sequitur, quòd si in apparitione nihil Deum non decens, nihil contra fidem, bonos mores, traditiones, et definitiones Ecclesiæ, nihil indecens aut impudicum, nihil in formâ deforme deprehendatur, saltem negativè convincitur

ex parte materiæ nihil esse, cur visio et apparitio non sit divina et cœlestis : imò ex omnibus conjunctim exclusis, unum quoddam signum efficax consurgit, positivè moraliter visionis divinæ judicium persuadens, maximè si talis apparitio sit frequens, et nunquam in prædictis deficiens, præsertim si alia signa ex parte personæ et effectuum adhuc explicanda accedant. Talis enim visio non esset diabolica, quæ semper eò tendit, ut mendaciter animas decipiat, et ad malum seducat : nec imaginaria humana, cùm imaginatio suis viribus, sicuti nec intellectus sine lumine fidei supernaturali mysteria illius attingere non possit. Ergo ex parte materiæ divina censenda est.

§ 519.

SIGNA APPARITIONIS FALSÆ EX PARTE PERSONÆ.

Signa visionis et apparitionis non divinæ ex parte *personæ videntis* sunt :

PRIMO : SI SIT ACATHOLICA.

Primò. Si visiones et apparitiones fiant personæ *acatholicæ*. Nam, cum teste Apostolo, *Hebr.* II, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo* : quâ ratione infidelis sic placebit Deo, ut ab eo signa visionum, delicias animarum sibi amicissimarum, recipiat?

SOLVITUR OBJECTIO.

Scholium. Potest quidem in hoc signo fieri aliqua exceptio, utì patet in visionibus Nabuchodonosoris, Balthasaris, et fortè uxoris Pilati, qui verè visionibus Dei sunt admoniti. Verùm hi casus rari non officiunt regulæ morali de opposito, quæ procedit ex plerumque veris. Deinde aliud est, quando hæ visiones fiunt, utì communiter contingit animabus a Deo specialiter dilectis, de quibus hìc sermo est; aliud quando fiunt subinde inimicis, ut a malo deterreantur, et stimulentur ad bonum, utì in casibus adductis.

§ 520.

SECUNDO : SI SIT PECCATRIX.

Secundò. Signum apparitionis non Divinæ est si fiat personæ *peccatrici*, *tepidæ*, aut moribus a specialibus Dei favoribus alienæ. *Nam in malevolam animam non introibit sapientia. Sap.* I, 4. Et de tepidis dicit Deus, *Apoc.* III, 16 : *Quia tepidus* es,.... *incipiam te emovere ex ore meo.* Quippe peccatores sunt inimici Dei, qui tepidos aversatur, adeoque favore visionum divinarum indigni sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Scholium. Dicis : etiam Sancti falsis visionibus illusi fuerunt : sic S. Secundellus, socius S. Friardi, delusus fuit a dæmone, Christum figurante, qui, sub prætextu aliis benefaciendi, relictâ cellulâ insulanâ, ivit ad populos, infirmos sanaturus, quod etiam in nomine Christi præstitit, in *Act. SS.* 1. Aug. Item B. Jordanus sæpiùs delusus est a dæmone, sibi sub specie Christi apparente, ut sub prætextu majoris austeritatis, a victu et lecto etiam ægrotus abstineret, et ad sua ministeria inutilis fieret, utì refert Cantipratanus, in *Act. SS.*, 13 Febr. Et S. Catharina Bononiensis per quinquennium a dæmone in Christum se transfigurante delusa fuit, qui eam sub prætextu propriæ confusionis ad desperationem inducebat. *Resp.* Secundellus plures culpas admisit, quas tamen postea per pœnitentiam delevit, tum quia credidit se sanctum, ex solâ non bene perpensâ fingentis se Christum assertione ; tum quia temerè descivit a suâ vocatione et proposito in cellâ perseverandi ; tum quia inconsulto suo Magistro clam omnia fecit : nec satis potuit fidere sanationibus a se factis, quæ vel a dæmone fieri potuerunt, vel cùm fuerint in nomine Christi, solùm sanatorum, aut suam in Christum fidem probabant. B. Jordanus non fuit immunis ab omni culpâ, sive faciliter credendo illi ficto Christo, sive in non consulendo Priorem, cujus hortatu in lecto decumbebat, ideoque multo fletu obedientiæ se committens cautior effectus est. Idem dicendum de S. Catharinâ Bononiensi, quæ ipsa in opusculo suo fatetur et dolet se causam dedisse ex quâdam præsumptione habitâ de se, quòd a diabolo deciperetur.

§ 521.

TERTIO : SI SIT SUPERBA.

Tertium signum visionis non divinæ est, si in personâ vitium *superbiæ*, quantumvis occultissimum, detegatur, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Jac.* IV, 6: quod ex *Prov.* III, 34, juxta LXX desumptum est, ubi nostra Vulgata legit : « Ipse deludet illusores, » quasi superborum proprium sit devenire in illusos et illudentes.

§ 522.

QUARTO : SI VISIONES DESIDERET.

Quartum signum est quod ex priori sequitur, si persona ejusmodi *visiones petierit* et desideraverit : « Nam, inquit Alvarez de Paz, part. 3, l. 5, c. 19, 20, indicium est superbiæ, aut saltem vanæ curiositatis, vel leves res extraordinarias experiri. » Et S. Bonaventura, Tr. 7, *de Proc. relig.*, c. 20, docet : « Aliis autem videtur securiùs talia non petere, oblata nec citò credere : aliquando etiam oblata velut minùs fructuosa parvi pendere, ut, si vera sint, se habeant indifferenter ad ea; si falsa, non innitantur eis, nec decipiantur. » « Tales visiones, ait idem S. Doctor, vel apparitiones potiùs sunt formidandæ quàm desiderandæ, *Sent. Dist.* 9, art. 1, q. 9. » Et Gerson, *Tr. de prob. spir.*, ait : « Dicatur reverenter cum Petro : Exi a me, Domine, quia peccator sum, quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quia hìc neque quæro, neque accepto, sed repello. Sit in cœlo, non in hac terrâ visio tua : tota merces mea Dominus Deus meus, et sufficit. Quid ad me visionibus tuis in hac vitâ? » Opponet forsitan aliquis ex Apostolo, I *Thessal.* V, jubente : *Nolite spiritum exstinguere.* Si sit ergo visio a Spiritu S. quæ nihilominus repellitur, quid hoc est, nisi Spiritui S. resistere, suam-

que nascentem gratiam suffocare? Sed profectò Spiritus S., qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione quam prædiximus se subtrahet; intrabit potiùs, et in beneplacito suo deducet victor ad excelsa animam hanc in oculis suis vilem, et absque ullâ rugâ fictionis. Et S. Vincentius Ferrerius, *Tr. de vit. spir.*, c. 12, subdit : « Tale namque desiderium non potest reperiri absque radice et fundamento superbiæ et præsumptionis, imò tentationis vel curiositatis erga res divinas, nec sine aliquâ vacillatione et fluctuatione fidei. »

§ 523.

QUINTO : SI SIT ARREPTITIA, VEL DELIRA.

Quintum signum apparitionis non divinæ est si persona sit *arreptitia*, vel a dæmone obsessa, vel *deliriis obnoxia* : licèt enim arreptitii ac deliri, cùm non sint semper mente capti, saltem tunc visionum divinarum sint capaces, communiter tamen id etiam in lucidis intervallis facilè sperari non potest, tum quia facilè dæmon, vel læsâ phantasiâ falsas visiones immiscere posset : tum quia hoc rarò vel nunquam in animabus sanctis, hoc favore a Deo decoratis, experimur.

§ 524.

SEXTO : SI SIT MELANCHOLICA.

Sextum signum saltem levius est, si persona sit nimis *melancholica*, vel alio ejusmodi morbo laboret. Nam in ægrotis et phreneticis, in his qui humore melancholico affecti sunt, in his qui atrâ bile abundant, in his qui vehementibus cogitationibus et affectibus agitantur, facilè contingere potest ut putent se aliqua videre quæ non sunt, et quæ sibi cœlitus demonstrata prædicare consueverunt : uti bene observat Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 20, dicens : « Consideranda corporis constitutio, ex quâ plerumque animi mores pendent.

Etenim facilè decipi possunt, qui parum firmâ valetudine utuntur, qui turbidæ ac vehementis imaginationis sunt, qui atrâ bile abundant, quæ depravare phantasiam solet, variasque imagines turbatis sensibus imprimere, adeo ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre et audire existiment, quæ nec visu nec auditu percipiunt. Ex longâ item inediâ, crebrisque jejuniis, ac immoderatis vigiliis, ex siccato cerebro, dissipatisque spiritibus, inania phantasmata repræsentantur, quibus illusa mens tanquam divinis revelationibus pertinaciter inhæret. »

HOC SIGNUM EST LEVIUS.

Scholium. Hoc signum non immeritò levius et non universale dicitur, utì etiam notat Delrius, l. 4, c. 1, q. 3, s. 2, quia, absolutè loquendo, Deus ad hæc supernaturalia non ligatur mensurâ dispositionum naturalium, cùm, juxta S. Thomam, 2, 2, q. 172, a. 2 : « In effectibus supernaturalibus non præexigit Deus aliquam dispositionem, sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundùm ordinem naturæ. » Scilicet removendo virtute divinâ impedimenta visionis divinæ, et relinquendo ea naturæ et consuetudinis, quæ ad hoc sunt indifferentia. Unde etiam Jeremias, licèt melancholicus, divinas visiones habuit.

§ 525.

SEPTIMO : SI SIT NOVITIA.

Septimum signum item levius visionis non divinæ est si persona sit in viâ spiritûs adhuc *novitia*. Ita Torre, in 2, 2, q. 95, a. 3, *Disp. in* 3ª *classe sign.* Unde S. Ludovicus Bertrandus, narrante Bartholomæo Avignono, in *Vit.*, c. 6, cuidam Novitio, eum de magnâ revelatione habitâ consulenti, dixit : « Siccine revelationibus jam frueris? citò habitum religiosum depones. » Quod etiam paucis post diebus contigit. Et ratio est, quia Novitiorum in vitâ spirituali est exstirpare

vitia et implantare virtutes, priusquam extraordinariis his favoribus perfruantur.

QUOD NON EST UNIVERSALE.

Scholium. Hoc signum iterum non est omnino generale, quia legimus etiam Novitios spiritualibus visionibus jam a Deo dignatos fuisse, utì inter alios de S. Stanislao Kostka narratur, qui sanctitate et favoribus ejusmodi extraordinariis præventus fuit.

§ 526.

OCTAVO : SI SIT PAUPER, DIVES, JUVENIS, SENEX.

Octavum signum, sed etiam levius, est si persona sit *pauper*, vel *dives*, vel *juvenis*, vel nimiùm *senex*. Ita Card. Bona, *Discr. spir.*, c. 20. Nam in paupere timenda est fictio, in divite ambitio, in juvene levitas imaginosa ex nimiâ illius ætatis humiditate, in nimis sene initium aut progressus delirii, ob cerebri debilitatem.

QUOD GENERALITER NON VALET.

Scholium. Hoc signum item generaliter non tenet, quia ex Sacris Litteris constat quòd Samuel a primâ pueritiâ usque ad ultimam senectutem, pauperes Apostoli, David dives, ejusmodi gratiis a Deo ornati fuerint : tum quia etiam *Acta Sanctorum* plura nobis hujusmodi exempla ostendant, utì inter alios de B. Hermanno Josepho in vitâ ejus, in *Act. SS. Ant.*, 7 april. Auctor illi coævus, c. 1, exclamat : « O vera beata pueri innocentis infantia, quæ tam tempestivis revelationibus meruit consolari ! »

§ 527.

NONO : SI SIT FEMINA.

Nonum denique signum apparitionis non divinæ, sed denuò levius et fallibile est, si persona sit sexu *femineo*. De qui-

bus S. Theresia, in *Fundat.*, c. 8, monet : « Simus bene conscii, naturæ debilitatem esse maximam, in feminis sigillatim, atque in istâ orationis viâ magis demonstrari : unde oportet ut non fingamus de re quâvis minimâ subitò esse visionem. » Cùm enim feminæ sint naturæ humidioris, et ex vehementiâ cogitationum et affectuum putent se videre quod cupiunt, et quod ab animi perturbationibus nascitur, quæ in ipsis vehementissimæ sunt, illud a veritate oriri credunt, utì bene perpendunt Valgoner, in *Th. myst.*, q. 3, disp. 5, a. 6; Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 20, n. 4; Delrio, *Disq. mag.*, l. 4, c. 2, a. 3, sect. 3, et latè prosequitur P. Antonius ab Annuntiatione *in Discept. myst. de orat. et contempl.*, tr. 4, q. 2, a. 5.

QUOD TAMEN NON SEMPER TENET.

Scholium. Hoc signum rursus non semper valet : nam non omnes visiones et apparitiones quas feminæ sibi referunt contigisse inter naturales recenseri debent; scimus enim plures, easque supernaturales, contigisse SS. Birgittæ, Catharinæ Senensi, Theresiæ, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Rosæ Peruvianæ, BB. Angelæ de Fulginio, et Catharinæ de Ricciis. Unde Matthæuccius, in *Pract. Theol. Canon. ad caus. Beatif.*, tit. 3, c. 3, a. 2, bene subdit : « Non sunt apparitiones et visiones improbandæ, ex quo mulieribus accidant, » et latè prosequitur Tanner, in *Exam. prud. P. Lud. de Ponte in examinand. Revel. Marinæ de Escobar*, tr. 1, c. 7. Interim tamen accuratum examen requiritur quando de apparitionibus feminis factis agitur. Celebre est exemplum S. Monicæ. Piissima hæc mulier optabat e libidinis cœno Augustinum filium suum educere, et de futuro ejus matrimonio cogitans desiderabat aliquid per visum sibi ostendi : et teste eodem S. August., l. 6 *Conf.*, c. 13, « videbat quædam vana et phantastica, quò cogebat impetus de hac re satagentis spiritûs humani, et narrabat mihi. » Et quamvis subdat : « Non cum fiduciâ, quâ solebat, cùm tu, Deus, demonstrabas ei, sed contemnens ea, » id tamen factum est, ex quo gratiâ discretionis prædita erat, et sciebat quid interesset inter Deum revelantem et animam somniantem : quod non omnibus datum est.

§ 528.

SIGNA VISIONIS DIVINÆ EX PARTE PERSONÆ.

Ex dictis, *signa divinæ apparitionis* et visionis, ex parte personæ, colligi possunt : Si enim 1. persona sit Catholica ; 2. a peccatis etiam levioribus abhorrens; 3. si virtutibus, maximè humilitate, excellat; 4. si visiones non desideraverit iisque se indignam reputet ; 5. si non sit arreptitia, sed sanâ mente prædita, prudens judicium pro visione et apparitione divinâ formari potest, maximè si alia signa leviora ex parte personæ accesserint, scilicet, si nec excessus melancholiæ, nec novitius ejus spiritus, nec paupertas, nec divitiæ, nec juventus, nec senectus, nec sexus aliquam prudentem falsitatis suspicionem excitent. Nam ad divinam Providentiam spectat quòd animam sanctam sibi dilectissimam et amicissimam non permittat continuò a dæmone vel imaginatione suâ illudi, sed ad summum ad tempus, vel rariùs, ad continendam eam in humilitate, vel ad alicujus culpæ commissæ punitionem.

§ 529.

SIGNA VISIONIS NON DIVINÆ EX PARTE EFFECTUUM.

Signa denique visionis, vel apparitionis non divinæ, *ex parte effectuum,* sunt :

PRIMO : SI AD INDECENS VEL IMPUDICUM EXCITET.

Primò. Si visio vel apparitio ad aliquid *indecens* aut *impudicum* excitet, non est divina. Nam, *Jac.* III, 17, dicitur : *Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ et fructibus bonis, non judicans sine simulatione.* Et

S. Bonaventura, in *Proc. Relig.*, 7, c. 18, de visionibus ait: « De his verò, qui aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu illecti fœdantur, nescio quid judicem, nisi quòd potiùs eligo, illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. » Quippe in visionibus divinis, etiam dum per corpora aerea vel imaginaria perfecta sponsæ cum sponso Divino unio figuratur, nihil libidinosum intervenit, uti S. Gertrudis osculo hoc divino dignata, l. 2 *Revel.*, c. 22, testatur, illudque vocat osculum non corporis, sed animæ.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Scholium. Dicis : S. Paulus, II *Cor.* xii, narrans suas visiones et revelationes, addit : « Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. » Et S. Bonaventura, in 7 *Proc. Relig.*, c. 18, ait : « Sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnis fluxûs liquore maculantur : ita etiam excusare nescio, qui tali fluxu in consensu delectantur, qualiscumque eorum intentio videatur. » Et S. Joannes a Cruce, l. 1 *Noct. obs.*, c. 4, inquit : « Accidit sæpe in ipsis exercitus spiritualibus, quin prædicti incipientes cavere possint, excitari et sentiri motus fœdos sensualitatis : atque interdum adhuc ubi spiritus in multâ exercetur oratione, vel in susceptione Sacramentorum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ. » Quod ait, licèt rarò, et in naturâ debilioribus, oriri ex gustu quem tales in spiritu simul et sensu appetunt; sæpiùs autem a dæmone, ut a sanctioribus exercitiis eos removeat. Consonatque S. Theresia, *Ep.* xxxiii, ad suum fratrem, cui consulit, hos motus in oratione quietis contemnere, dicens : « Judico, posse ex hoc nasci, quod cùm tam sit magna delectatio animæ, devenire queat ad excitandum aliqualem motum in parte adhuc naturali, » et utitur exemplo cujusdam, de quo scivit, ex debilitate, fluxu venereo agi, quoties ad sacram Synaxim accedebat : quod etiam de aliquo Monacho narrat Cassianus, *Coll.* xxii, c. 6, cum quo procedit S. Thomas, 2, 2, q. 153, a. 5, imputans hoc versutiæ diaboli, qui æquè visionibus divinis, maximè personarum pulcherrimarum alterius sexûs, sicuti sacrarum imaginum ad impudica tentare posse videtur. *Respondet* ad hæc Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 1, l. 2, c. 21, et Casnedi, d. 6 suæ *Cris.*, sect. 7, sibi non probabile videri

in contemplatione aut communione futurum ejusmodi fluxum inculpabilem, imò Casnedi nec se crediturum ait, licèt patientes jurent: sed vel in se, vel in causâ erunt culpabiles, quatenus eorum phantasia et mens a superbâ lasciviâ excitantur, ne suam culpam agnoscerent. P. Reguera, *Th. myst.*, t. 2, p. 669, n. 546, respondet 1. fieri non posse ut visio Divina per se directè ad libidinem excitet : id quod omnino tenendum contra errores Beguardorum, Illuminatorum et Molinistarum. 2. Ad summum indirectè, vel ob naturæ debilitatem, vel diaboli tentationem, et faciliùs purè concomitanter, non quidem pro tunc temporis, sed continuò postea, talis effectus sequi poterit, scilicet quando sancti affectus perfectè unitivi cum visione cessârunt. Quare S. Paulus minimè pro tempore actuali suarum visionum stimulos carnis sentiebat, sed solùm post illud, nec hoc directè vi illarum. S. Bonaventura distinctionem datam clarè innuit; imò mallet etiam has visiones non habere, si etiam impuræ illecebræ, invito ipso, sequerentur. S. Joannes a Cruce expressè loquitur de concomitantiâ indirectâ, et quidem in solis imperfectis, quam tamen pro casu perfectæ unionis excludit, licèt talis effectus indirectè etiam tempore affectuum spiritualium non vi contemplationis perfectè unitivæ excitatorum, sequi possit. S. Theresia pariter intelligenda est, de casu indirectè contingenti, sive concomitanter, sive postea : nec enim constat fratrem suum hos motus in ipsâ oratione quietis passum fuisse, nec an hæc oratio ad perfectam unionem ascenderit.

§ 530.

SECUNDO : SI EXCITET AD SUPERBIAM.

Secundum signum visionis non divinæ est, si excitet ad *superbiam*, *præsumptionem* et complacentiam in hujusmodi donis, ut sibi tanquam personæ sanctæ factis, et ad contemptum erga alias personas, quibus hæ gratiæ non contingunt. Ita docet Gerson, in *Alphabet.* 19, lit. O : « Est igitur hominibus saluberrimum consilium, contra tales dæmonum illusiones pondus humilitatis observare, se reputare intellectu pariter et affectu indignissimum, qui super alios homines revelationem accipiat, qui præ aliis a Deo mirabiliter visitetur : et si quæ alia præter solitum evenire circa eum contigerit, rejiciat a se cum sancto, humili, verecundoque pudore. De-

putet talia vel læsioni propriæ phantasiæ, et se habere aliquid simile phreneticis, maniacis, aut melancholicis : reformidet, vel caveat, ne propter enormitatem præcedentium peccatorum datus sit in reprobum sensum, ut talibus visionibus seducatur. Si talia sint diaboli machinamenta, seu tentamenta, ex humilitate hujusmodi evanescent, aut, si velit Deus quòd in his exerceatur, non nocebunt. Si verò sit divina revelatio, non ficta humilitas, piè renitens magis præparabit locum ad ipsius susceptionem, et audire merebitur : *Amice, ascende superiùs,* quantò in loco plus infimo recumbere conabitur. » Et B. Angelæ de Fulginio de suis visionibus dubitanti Deus ita dixit : « In hoc cognosce, me esse, qui te alloquor, quod pro eo tempore nec diverti poteris ad aliquod aliud cogitandum, etsi velis, nec inani gloriâ affici, ob id quod accipis. »

§ 531.

TERTIO : SI VISIONES PATRI SPIRITUALI PRO CONSILIO NON REVELET.

Tertium signum visionis non divinæ est, si quis renuat visiones suas *superiori* vel *directori manifestare,* aut eorum judicio vel consilio se submittere. Ita docet S. Bonaventura, in 7 *Proc. Relig.*, c. 20, dicens : « Quærat super his consilium sapientum solùm et paucorum. » Et Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 20, de S. Theresiâ commendat, quòd semper a spiritu sibi apparente audiebat ut communicaret cum viris doctis, et quòd suis Directoribus exactissimè obediebat, et quòd libentiùs cum illis agebat qui erant minùs creduli, et eos diligebat, qui persecutionem sibi inferebant. Et inter cætera signa, quibus visiones S. Birgittæ inter divinas relatæ sunt, Card. Turrecremata, in *Prol. ad direct. revel.*, c. 2, scribit : « Omnia examini, judicio et correctioni Patris spiritualis et aliorum Patrum spiritualium et sapientum Prælatorum Ecclesiæ offerens humiliter submittebat. » Et Gerson, *Alphabet.* 17, lit. X, monet Directores ut tali personæ non subitò

applaudant, sed subinde duriùs cum eâ agant. Et, *de Distinct. vis., sig.* 2, invehitur in eos qui Doctores consulere non curant, et consultos spernunt, dicens : « De talibus pronuntio, quòd citò prolabuntur in omnem dæmonum illusionem, citò impingunt ad lapidem offensionis, quòd cæcâ præcipitatione et nimiâ velocitate rapiuntur : propterea quidquid de revelationibus insolitum pronuntiaverint, habeto suspectum. » Concordant Philomarinus, *de Div. rev.*, tr. 1, c. 3, et Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 2, c. 1.

§ 532.

QUARTO : SI VISIONES SUAS FACILÈ PROPALET.

Quartum signum visionis non divinæ est, si quis facilè aliis *visiones* suas *propalet*. Ita monet Gerson, *de Distinct. vis., sig.* 1 : « Si cognoveris aliquem.... qui in talibus de se narrandis gloriabundus delectetur, scito quoniam illudi meretur, neque magni pendas, si aliquam habuisse revelationem jactanter affirmet. » Et occurrens his, qui, exemplo S. Pauli, suas revelationes propalantis, abutuntur, respondet cum S. Chrysostomo aliud esse quod fit sine suâ vel aliorum necessitate, sed solâ loquacitate, per inanem gloriam : aliud quod fit ex quâdam necessitate, vel petendi consilium, vel audientes ædificandi. Sic B. Virgo, quæ *conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, postea tamen Apostolis, et præsertim S. Lucæ, sacra mysteria sibi soli credita communicavit, ad Ecclesiæ ædificationem : quæ item causa S. Paulum ad hanc propalationem permovit.

§ 533.

QUINTO : SI AD MORTIFICATIONEM NON EXCITET.

Quintum signum est visionis non divinæ, si quis *castigationi* et *mortificationi* carnis *non studeat*. Nam Gravina, in

Lap. Lyd., p. 2, l. 1, c. 17, bene observat : « Insuper discutiendum est an hæc asserta dona et charismata cum mortificatione et cruce sint conjuncta : nam si nec antecedenter, vel concomitanter, vel saltem subsequenter, sint hæc ad invicem connexa, valde suspectæ sunt tales Revelationes et Prophetiæ. Fundamentum : quia hæc dona dantur ad manifestationem Fidei, et utilitatem Ecclesiæ : Fides autem maximè ostenditur super omnia alia signa ex mortificatione et patientiâ christianâ ; his enim maximè crevit Christiana Religio, quibus mundus victus est et proculcatus... Ipse fidei nostræ Auctor Jesus Christus, Apostoli, Doctores Ecclesiæ nihil de ejusmodi visionibus prædicârunt, scripserunt, inculcârunt, sed totam Christiani ædificii basim in charitate, in humilitate, mortificationibus et persecutionibus perferendis constituerunt. »

§ 534.

SEXTO : SI ANIMAM INQUIETAM RELINQUAT.

Sextum signum apparitionis non divinæ est, si animam ab initio suaviter demulceat, in fine verò *perturbatam* et *inquietam relinquat*. Ita docet S. Diadochus, l. *de Perf.*, c. 75, dicens : « Anima, cùm afflatu veri et Sancti Spiritûs cietur, tota extra nebulas dæmonis posita est : rursus verò, cùm a spiritu erroris vehementer inflatur, tota nubibus peccati obtegitur. » Et de Zachariâ Sacerdote, *Luc.* 1, legitur, quòd cùm vidisset juxta aram Templi Angelum, *turbatus est, et timor irruit super eum.* Et B. V. Maria, ab Angelo salutata, *turbata est in sermone ejus.* Item Pastores, Angelo sibi in Nativitate Christi apparente, *timuerunt timore magno.* Sed hi timores statim cessârunt; nam Angelus Zachariæ dixit : *Ne timeas, Zacharia.* Et B. Virgini : *Ne timeas, Maria.* Et Pastoribus : *Nolite timere.* Quod ex S. Athanasio confirmatur, in *Vitâ S. Antonii*, dicentis : « Horum Angelorum apparentium tanta benignitas est, ut si quis pro fragilitate conditionis hu-

manæ miro fuerit eorum fulgore perterritus; omnem continuò ex corde auferant metum... Metus enim non tantùm ex pavore animi, quantùm ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu. Si igitur post timorem horrore conceptum successerit gaudium, et ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium : quia securitas animæ præsentis Majestatis indicium est. » Sequitur S. Thomas, 3 p., q. 30, a. 3, ad 3, Del Rio, *Disq. mag.*, l. 2, q. 26, sect. 3. Et rationem dat Villalpandus, in *Jur. spir. pract.*, l. 1, c. 4 : « Nam cùm consolatio ad animæ interiora fiat, a dæmone non potest præstari : ideo post ejus apparitionem, quantumvis in speciosâ formâ videatur, non consolatio, sed horror solet remanere. »

§ 535.

SEPTIMO : SI AD SIGNUM CRUCIS FUGETUR.

Septimum signum visionis non divinæ, licèt non omnino infallible, est si apparitio ad *signum crucis* factum, ad *invocationem nominis Jesu*, ad ostensionem *SS. Reliquiarum, Agnus Dei et aquæ benedictæ* subitò fugetur. Ita Thyræus, *de App. Spir.*, l. 1, c. 9. Verùm Del Rio, q. 26, observat quòd, licèt, si dæmon in Angelum lucis se transformet, et per prædictas res sacras fugetur, certè non sit Angelus lucis, sed tenebrarum, non rarò tamen inde fugam hic tenebrio non capit, cùm etiam in Crucifixum se quandoque transfiguret.

§ 536.

SIGNA VISIONIS DIVINÆ EX PARTE EFFECTUUM.

Ex his *signa apparitionis Divinæ* colligi ex parte effectuum possunt. Si enim 1. visio ad aliquid indecens et impudicum non excitet; 2. si ad profundam humilitatem per suî contemptum et reverentiam Dei provocet; 3. si anima, etsi reluctans ob suam confusionem, nihilominus pro suâ directione supe-

riori suo vel Magistro spirituali eam exponat, ejusque judicio obedienter se submittat; 4. si de cætero sit tacita, nisi dum jussu Dei, approbante Directore, opus sit, aliquid aliis notum facere; 5. si mortificationi sedulò studeat; 6. si, quamvis in exordio visionum sacrum quemdam timorem experiatur, mox sedetur, et mirâ cum tranquillitate cœlitus instruatur; 7. si ad signum Crucis, etc., cum verâ fide et oratione, non fugiat, prudentissimè ex parte effectuum pro apparitione Divinâ haberi poterit; sic enim benignissimus Deus non permittet ut anima vel ab imaginatione suâ illudatur, vel a dæmone seducatur : nam, utì docet S. Theresia, *Vit.*, c. 25 : « Quando dæmon est, non modò bonos non relinquit effectus, sed potiùs malos.... Quoniam tamen diabolus plures habet seducendi artes, nihil in re istâ est adeo certum, ut certiùs non sit timere, cautè semper incedere, duceque Magistro bene docto, cui nihil non aperiatur : quo posito nullum damnum potest evenire. » Ne autem fortè Magister ipse erret, regulas pro veris a falsis discernendis visionibus, revelationibus et Prophetiis suo loco inferiùs præscribemus.

ADHORTATIO AD BONUM USUM VISIONUM.

Corollarium. Visiones igitur extraordinariæ, si quæ nobis a Deo mittantur, ita acceptandæ sunt, ut non in illis sistamus, sed fructum spiritualem exinde colligamus : ita cum omnibus mysticis hortatur P. Alvarez, t. 3 *de Vitâ spir.*, l. 5, p. 5, c. 10 : « Se ad Domini et Sanctorum amorem afficiat, et quid boni et utile sibi dicatur, quisque sit finis illius revelationis, attendat. An ipsum in tribulatione consolari, an tepidum excitare, an strenuè se gerentem magis ac magis animare, an arrham quamdam futuræ vitæ præbere, an tenerrimum et fidelissimum Domini erga se timorem ostendere.... Postmodum, quandoquidem ad cœlestium conversationem admittitur, curet vitam cœlestem æmulari, et ita vivere, ut modo mortuus, Deo verò vivus sit et appareat, et per omnimodam suî abnegationem magis ac magis ad cœlestia dona se disponat. Sic fiet ut apparitiones istæ et intuitiones rerum divinarum, quæ in illis contingunt, animæ utiles efficiantur. » Utì enim observat S. Joannes a Cruce : « Re sic factâ, sumitur ex his quod Deus intendit et vult, hoc est spiritus devotionis, nec enim ob aliud

finem principalem reliqua donat. » Quodsi ergo in hanc finem animus intendatur, mirum est quantùm ad hoc imagines seu sensibiles, seu spirituales, rerum supernaturalium conferant.

§ 557.

POST VISIONES, LOCUTIONES DIVINÆ EXAMINANDÆ. LOCUTIO DIVINA QUID.

Post visiones et apparitiones, locutiones divinæ examinandæ veniunt, ut nimirùm verè divinæ a non divinis rite discernantur. Est autem *locutio divina*, quando aliquid vel a Deo, vel nomine Dei, dici audimus, sive nihil videndo, sive aliquid extraordinarium simul videndo.

QUOT MODIS NOBIS DEUS LOQUATUR.

Scholium. Deus multifariam, multisque modis, tam intrinsecus quàm extrinsecus, nobiscum loquitur. 1. Loquitur exteriùs tum naturaliter per omnes creaturas, quæ tacitâ voce clamant : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos, Ps.* LXXIX, 3, tum supernaturaliter per verba sua in utroque Testamento, et S. Scripturâ aut traditione nobis transmissa. 2. Loquitur exteriùs per Ecclesiæ suæ Ministros, et pios libros verbum Dei scriptum aut traditum nobis exponentes : nam *qui vos audit, me audit, Luc.* X, 16. 3. Loquitur interiùs tum naturaliter per synderesin et dictamen conscientiæ : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine, Ps.* IV, 7, tum supernaturaliter per actus supernaturales cogitationum indeliberatos, qui fiunt in nobis sine nobis, et excitant ad salutariter credendum et bene operandum, et dicuntur illuminationes supernaturales, vel etiam inspirationes : licèt hoc nomine intelligi soleat affectio movens voluntatem, vel cogitatio ad hanc affectionem inducens. 4. Loquitur subinde Deus ad suos dilectos locutione propriâ, prout in viâ haberi potest, quatenus fit non per præcisam insinuationem aut inspirationem, sed per verba formata et expressa : unde hic modus est extraordinarius, de quo hìc agimus; et prout a visione distinguitur, definitus fuit; et prout detegit aliquid, quod antea latebat, dicitur revelatio; prout verò aliquid futurum revelat, dicitur prophetia : de quibus in sequentibus tractabitur. Hæc eadem extraordinaria locutio vel vocalis, vel imaginaria, vel intellectualis esse potest. De quibus modò agimus.

§ 538.

LOCUTIO DIVINA VOCALIS QUID.

Locutio divina extraordinaria *vocalis* est, quæ fit verbis expressis externo sensu auditûs perceptis.

QUOMODO FIAT.

Scholium. Deus vel se solo, vel ministerio Angelorum, locutionem vocalem facere potest. Nam Deus, prout omnino evidens est, et Angeli, naturæ suæ viribus, vel, si opus sit, Dei auxilio, applicando localiter activa passivis, vel figurato simul corpore humano, alteriusque rationis, vel non figurato, facere possunt ut aer articulatè insonet, eo soni tenore quo volunt, et modo illi omnino simili quo nos homines voces elicimus et verba pronuntiamus. Nec obstat quòd explicari vix possit quomodo spiritus in corpora agant : nam hæc eadem difficultas in animâ nostrâ corpus movente nostros etiam Philosophos adhuc premit.

§ 539.

DEUS SUBINDE PER EXTERNA VERBA VOCALITER CUM HOMINIBUS LOQUITUR.

Deus, subinde, præcipuè cum animabus contemplativis, per *externa verba*, sensu auditûs perceptibilia, *loquitur*. Nam *primò* in Veteri Testamento passim legitur Deum cum Patriarchis et Prophetis et aliis locutum fuisse, petitque sensus obvius ut de locutione externâ, vocali et audibili intelligatur: et licèt sæpe Deus fuerit, aut Angelus nomine Dei in figurâ humanâ, vel aliter, ut simul visibilis, v. g., per nubem, per rubum ardentem, per ignem, in turbine, in sibilo, de Propitiatorio, per Urim et Thumim, subinde tamen sola vox audita esse narratur. Sic, *Gen.* III, 8, de Adamo et Evâ post peccatum dicitur : *Cùm audissent vocem Domini Dei*, etc.,

dixitque Adam : *Vocem tuam audivi.* Item, *Gen.* XXII, 11, de Angelo sacrificium Isaac suspendente dicitur : *Ecce Angelus Domini de cœlo clamavit;* nec Abraham dicitur vidisse, sed audîsse Angelum, vidisse verò arietem. Et, I *Reg.* III, Samuel ter Dominum audîsse narratur, non autem vidisse. In Novo etiam Testamento idem observamus, *Matth.* III, 17, baptizato Domino : *Ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus.* Et, XVII, 5, in Transfiguratione : *Ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus.* Et, *Joan.* XII, 28, Christo clarificari petente : *Venit vox de cœlo : et clarificavi, et iterum clarificabo.* Item, *Luc.* I, 28, in B. Virginis annuntiatione : *Ingressus Angelus ad eam dixit.* Et, II, 10, Angelus cum pastoribus locutus est, et facta est cum illo multitudo militiæ cœlestis, *laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo.* Et, *Act.* IX, 4, in conversione Sauli : *Cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule,* etc. Præterea quot verba D. N. Jesus Christus in vitâ suâ protulit, tot Dei loquentis verba fuerunt; imò utî notat Thyræus, l. 2 *de Appar. Div.*, c. 18, tantùm in Christo fuerunt verba, quibus Deus, ceu instrumento sibi conjuncto, utebatur. Quod verò hodiedum Deus ad dilectos suos adhuc subinde vocaliter loqui dignetur, et Actis Sanctorum et causis Canonizationis eorum apparet, quas nonnisi temerarius in dubium vocare potest. 2° Probatur ex PP. S. Dionysius, c. 4 *de Cœli hier.*, docet Deum Angelis uti ad illuminandas animas sanctas humano modo per apparitiones sensibiles, visui et auditui accommodatas, quod in lege Moysi per Angelos traditâ exemplificat. S. Cyprianus, vel alius, *de Card. oper., in prol.*, ait : « Qui circa ipsum Deum sunt Angelici spiritus, licèt invisibilis naturæ sint, in legationibus tamen suis se auditu manifestant et visu. » S. Augustinus, l. 16 *de Civ.*, c. 6, tres Dei ad extrà loquentis modos assignat, et in tertio illum, quod loquitur *corporalibus vocibus corporis sensui,* collocat. Ita etiam docent S. Gregorius, l. 28 *Mor.*, c. 2; S. Thomas, 2, 2, q. 174, a. 1, ad 3; S. Bonaventura, in 7 *Proc. Relig.*, c. 19; et S. Bernardus, *Serm.* 41 *in Cant.* Item V. Blosius, *Inst. spir.*, c. 8, dicens : « Aliquando per verba...

perdiscunt veritatem.» Et S. Joannes a Cruce, in *Asc. ad mont.*, l. 2, c. 27, dicit de revelationibus divinis : « Aliquando solis fiunt verbis. » 3° Ratio est benignissima Dei voluntas, de quâ non ex ratione, sed testimoniis S. Scripturæ et Patrum, nobis constat, utì modò probatum est, præsertim cùm nulla in hac locutione divinâ vocali sit indecentia, nec implicantia.

LOCUTIONES DIVINÆ AN SINT PROPRIÈ TALES.

Schol. I. Locutiones hæ, etsi sint reales, et ab imaginariis distinctæ, præsertim si ab omnibus circumstantibus audiantur, non tamen sunt tales cum omni proprietate : nam neque strictè et philosophicè loquendo sunt locutio divina, quia Deus per quæcumque verba exteriùs prolata, ut per sua verba, formaliter non loquitur (si verba Christi in propriâ suâ humanâ naturâ prolata excipias); nec sunt locutio angelica, quia verba materialia non possunt esse Angelo propria; nec sunt locutio humana, quia nequit loqui formaliter ut homo, qui non est reipsà homo, cùm locutio hominis sit actio humana vitalis et rationalis, quæ principium vitale non præcisè assistens sed informans requirit. Quia tamen hæc locutio divina vel angelica externa constat vero sono, verè articulato, verè humanæ articulationi simillimo, verè cum intentione loquentis, illud significandi, quod sonat; ideo æquivalenter satis propriè vocatur locutio, quâ Deus, vel Angelus, mentem suam quasi humano modo hominibus exprimunt.

AN LOCUTIONES HÆ SINT PERSONALES.

Schol. II. Locutio divina vocalis plerumque fit ministerio Angelorum, utì de visionibus sensibilibus dictum fuit, § 496, schol. 1, sqq. Qui Angeli modò nomine Dei, modò nomine proprio, cum hominibus loqui vocaliter possunt, subinde quidem per vires naturales; sæpiùs tamen cùm locutiones hæ aliquid verè divinum important, ut a Deo elevati. Quare locutiones divinæ vocales tum in Veteri, tum in Novo Testamento reales communiter ita explicantur (exceptis tamen locutionibus a Christo factis in suâ humanitate quamdiu mortalis erat, vel etiam quamdiu immortalis post suam Resurrectionem; in posterum enim rarò personaliter præsens loquitur) ut Angeli loquantur cum hominibus, vel ut eos nomine proprio missi a Deo instruant, vel ut vices Dei, modo ut Trini,

vel ut alicujus ex divinis Personis, vel ut Christi tanquam præsentis gerant, et nobiscum nomine Dei loquantur : sicuti etiam frequenter Beatissimæ Virginis aut alicujus Sancti vices gerunt, et loquuntur.

UNDE COGNOSCATUR ANGELUM NOMINE DEI LOQUI.

Schol. III. Ut cognoscatur an Angelus nomine Dei, an verò proprio nomine loquatur, circumstantiæ attendendæ sunt : si enim dicat : *Hæc dicit Dominus*, aut quid simile, planum est Angelum loqui ut præcisum nuntium : si verò dicat : *Ego sum Dominus*, aut aliud quid simile, quod soli Deo convenire potest, nomine Dei loquitur. Quòd si verò nulla adsint signa, ex quibus constet an Deus, vel SS. Deipara, vel Angelus, vel Beatus in personâ propriâ aut nomine proprio loquatur, an non, nihil de hoc curandum est, sed solùm, an ex signis sit doctrina Deo digna, sive deinde per Deum ipsum, sive per suum nuntium, suo vel illius nomine proponatur.

DÆMON ETIAM HOMINI SUBINDE LOQUI POTEST.

Schol. IV. Etiam dæmon, qui veluti Dei simia divina æmulatur, verba humanis similia formare potest : licèt enim sæpe in hac re Angeli mali potiùs quàm boni a Deo coerceantur, et impediantur ab his quæ naturaliter possunt, et supernaturaliter nunquam juventur : Deo tamen ob justas causas id permittente, hæc et plura alia in nostram perniciem diabolus facere potest, ita ut non solùm fictitiè et apparenter, sed reipsà sonos excitet, qui voces humanas imitentur, utì tradit Thyræus, *de Loc. infest.*, c. 20.

§ 540.

LOCUTIO IMAGINARIA QUID.

Altera locutio divina est *imaginaria*, quæ fit verbis solâ maginatione, sive in vigiliâ, sive in somnio perceptis.

QUOMODO FIAT.

Scholium. Locutio imaginaria nec strictè constat verbis, nec voce, nec sono, et tantùm æquivalenter in aliquo vero sensu est

locutio. Nec locutio divina est purè imaginaria, quin aliquid locutionis intellectualis immisceatur. Unde bene notat Thyræus, *de Appar. div.*, l. 3, c. 1. « Non idcirco vocatur imaginaria apparitio atque locutio quòd omnis occupatio sit imaginationis : occupatur hìc quoque sæpe intellectus; quinimo ipsam hæc operam intellectui præstat. Nomen igitur hìc habet a primâ et præcipuâ impressione, quam Deus homini affert, cùm se suaque vult hominibus innotescere : prima hæc in imaginationem fit, non in sensum exteriorem, non in intellectum. Porrò locutio imaginaria potest fieri vel a solo Deo, imprimendo phantasmata, quæ sine voce et verbis externis eadem repræsentent ac si reverâ externè prolata et audita fuissent; vel saltem per Angelos, qui licet phantasmata non imprimant, humores tamen et spiritus vitales ita commovere possunt, ut phantasia per sensum auditûs se excitari et ordinatè percipere, et proinde intellectus illud cognoscere valeat. Sanè hic modus locutionis imaginariæ nec a modernis nostris philosophis omnino explicari poterit, utpote in quo ipse S. Augustinus, l. 12, *de Gen. ad litt.*, c. 30, quasi manu palpans procedit.

§ 541.

DEUS SUBINDE PER IMAGINARIAM LOCUTIONEM LOQUITUR.

Deus quandoque, maximè cum animabus contemplativis, non verbis externis, sed internis, et *per solam imaginationem* perceptibilibus *loquitur*. Nam 1° *Num.* xii, 6, dicit Deus : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Quod utique fit per locutionem imaginariam : nam in somnio præcipuè vim suam imaginatio exerit. Accedunt exempla S. Scripturæ. Sic, *Gen.* i, 21, fuit sopor quem immisit Dominus in Adam, et in quo eum de arcanis mysteriis instruxit. *Gen.* xxviii, 13, Jacob dormienti Dominus innixus scalæ locutus est. III *Reg.* iii, 5, locutus est Dominus cum Salomone per somnium. *Matth.* i, 20, et ii, 13 et 19, primò, secundò et tertiò Angelus in somnio Joseph apparuit, et Domini mandata intimavit. Et *Act.* xvi, 9, similiter in somnio Paulus admonitus fuit. Accedunt etiam locutiones factæ vel in extasi, uti Petro, *Act.* x, 13, et Joanni in suâ Apocalypsi, et ordinariè Prophetis; vel sine

extasi vigilantibus, utì videtur accidisse Zachariæ, 1, 9, unde Thyræus, *de Appar. div.*, l. 3, c. 3, de locutionibus imaginariis inquit : « Extra somnum quoque plurimas accidisse, dubium non est : et fortassis, quæ Prophetis acciderunt, plerasque in imaginariarum numero reponimus, quamvis de omnibus judicium ferre sit difficile. » De iis verò, quæ in somnio acciderunt, videri potest Bened. Pererius, l. 1 in *Dan.* 2° Prob. ex PP. S. Cyprianus, *de Card. oper. in prol.*, ait : « Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus, quæ efferri non sufficis, ut dubitare non possis, quia juxta te est, imò intra te, qui sollicitat. » S. Augustinus, l. 16 *de Civ.*, c. 6, secundum modum locutionis divinæ ponit, prout distinguitur ab intellectuali, quo Deus loquitur per mutabilem creaturam *spiritualibus imaginibus nostro spiritui*, id est imaginariè. S. Thomas, 2, 2, q. 174, a. 3, inquit altiorem esse gradum Prophetiæ, « quando Propheta non solùm videt signa verborum, vel factorum, sed etiam videt in vigilando vel in dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem : quia per hoc ostenditur quòd mens Prophetæ magis appropinquat ad causam revelantem. » 3° Ratio iterum ex solâ Dei voluntate, amicos suos summè diligentis, petenda est.

QUOMODO IMAGINARIA LOCUTIO AB EXTERNA DISCERNATUR.

Schol. I. Locutio imaginaria ab externâ locutione facilè distinguitur, quando imaginaria datur absque ullâ externâ, ut sæpe contingit. Sed locutio externa dari nequit absque internâ, quia sensus externus sine cooperatione sensûs interni, seu phantasiæ aut imaginationis operari nequit : dicitur tamen externa locutio potiùs quàm imaginaria, propter præcipuam impressionem. Econtra locutio reducitur ad imaginariam potiùs quàm ad externam, quando, licèt in externo sensu fiat, totum tamen præstigiosum est, sine ullo objecto reverà exteriùs posito.

QUOMODO ANGELI AD LOCUTIONEM IMAGINARIAM CONCURRANT.

Schol. II. Ad locutionem imaginariam plerumque concurrunt Angeli, vel nomine proprio, vel nomine Dei loquentes, et semper

ut ministri ipsius, et quidem concurrunt coefficientes, saltem quatenus applicando activa passivis naturaliter aliquid coefficere possunt : lumen tamen propheticum supernaturale, vel species infusæ etiam per accidens tales, v. g. species colorum in cæco a nativitate, a solo Deo fiunt, non verò ab Angelis : nequidem dispositivè, aut, eo modo, quo circa species acquisitas, vel de novo per sensus habendas, vel habitas, excitandas et coordinandas proportionatè ad finem revelationis faciendæ, Angeli se gerere possunt, utì docet S. Thomas, 1 p., q. III, a. 3; loquor autem de coefficientiâ naturali : nam loquendo de Angelis tanquam ministris supernaturaliter et miraculosè elevabilibus ad coefficiendum, certum est fieri posse : licèt certum non sit an S. Angeli subinde phantasmata virtute supernaturali per se efficiant, ut P. Suarez, l. 6 *de Ang.*, c. 16, n. 9, observat. Dæmon etiam applicando activa passivis, in quantùm hoc naturæ vires non excedit, imaginariè loqui potest; imò sæpiùs, quæ putantur exteriùs dicta, nonnisi phantasticè et præstigiosè dicta erunt, utì phreneticis et somniantibus contingit : et arte dæmonis facillimè fingi potest.

LOCUTIONES IMAGINARIÆ VIGILANTIBUS FIUNT.

Schol. III. Locutiones divinæ imaginariæ possunt fieri vigilantibus, imò constitutis in contemplatione et perfectis frequenter fiunt. Sed de illis notat S. Theresia, *Vit.* c. 1 : I. Tales locutiones non contingere, durante brevi tempore strictæ unionis actualis, sed durante raptu, extasi, vel excessu spiritûs. II. Antequam anima in gradu contemplationis multùm profecerit, facilè his internis locutionibus seduci potest, et ipsa S. Theresia de se testatur, se nonnisi semel hac locutione recreatam fuisse, antequam ad orationem unionis devenisset. III. Anima seduci potest non solùm a dæmone, sed etiam a seipsâ, dum putat interiùs sibi aliquid a Deo dici, quod ipsa vehementer apprehendit, et secum loquitur, maximè si Deo aliquid enixiùs et cum propensione ad partem determinatam commendet. IV. Potest tamen vera locutio divina a phantasticâ discerni, præsertim si quis divinam expertus fuerit : nam phantastica quasi arte propriâ, valde jejunè, confusè, cum incertitudine et more somniantis aut deliri procedit : quibus phantasticis locutionibus personæ debilis imaginationis et melancholicæ potissimùm sunt expositæ, quæ proinde leniter suadendæ sunt ut talia non curent, utpote deceptioni facilè obnoxia : sed insistant vitæ activæ cum humilitate, et orationi vocali potiùs quàm purè mentali.

Schol. IV. Locutiones hæ imaginariæ frequenter etiam fiunt dormientibus, non purè somnio quiescentibus, non omni sensu impedito, sed solis sensibus externis, laborante tamen et agente phantasiâ, vel imaginatione; non casu, nec temerè, nec vitio naturæ, nec diaboli tentatoris astu, sed a Deo vel Angelo, excitato et directo somnio. De his locutionibus notandum : I. Quòd si verè sint divinæ, minimè possint fieri a dæmone, saltem quatenus supernaturales sunt. II. Etiam quatenus naturales sunt, non videntur posse a dæmone fieri; hoc enim foret, dæmonem homines illuminare, et ad Deum ordinare, quod ob suam perversitatem in eum cadere nequit, ut S. Thomas, 1 p., q. 109, a. 3, docet. Et multò minùs hoc nomine Dei vel ut minister jubentis facere potest. III. Si hæ locutiones sint falsæ, possunt quidem a dæmone fieri, ut Ministro Dei, non tamen ut Dei jubentis, sed purè permittentis. Confirmat hæc S. Gregorius, l. 4 *Dial.*, c. 48, ubi sex somniorum modos distinguit : vel enim fiunt 1. a ventris plenitudine; vel 2. a ventris inanitate; vel 3. ab illusione, juxta illud, *Eccl.* xxxiv, 7: *Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in eis.* Vel 4. a cogitatione simul et illusione, dum scilicet illusio in somniis excitatur secundùm vitiosas in vigiliâ cogitationes, juxta illud *Eccl.* v, 2 : *Multas curas sequuntur somnia.* Vel 5. a revelatione, utì in somniis utriusque Josephi; vel 6. a cogitatione simul et revelatione, dum cogitationi vigilantis correspondet revelatio somniantis, utì Nabuchodonosori Daniel dixit. Et denique S. Doctor concludit : « Sancti autem viri inter illusiones ac revelationes ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. »

§ 542.

LOCUTIO INTELLECTUALIS QUID.

Denique subinde Deus cum animabus præsertim contemplativis, verbis purè intellectualibus, sive locutione independente a sensibus externis loquitur. Est proinde *locutio purè intellectualis* illa quæ fit verbis solùm intelligibiliter perceptis,

independenter a sensu externo auditûs et interno phantasiæ, seu imaginationis.

LOCUTIO INTELLECTUALIS EXPLICATUR.

Schol. I. Præter modum auditu auris verba articulata percipiendi, dantur alii modi verba faciendi et percipiendi, et universaliter capiendi sensibilia vel insensibilia. Sic in ipsis sensibus externis sensibilia aliter percipit auris audiendo, et oculus videndo. Item in sensibus internis phantasia sic imaginatur quasi audiat, et aliter imaginatur quasi videat, et ita quasi audit et videt, et quidem suo modo perfectiùs quàm sensus externi : quia ad plura et etiam absentia se extendit, quin tamen interiùs audiat et videat, prout per alios sensus exteriùs contingit. Denique etiam intellectu nostro quasi audimus, loquimur et videmus longè perfectiùs, alio tamen modo quàm sensibili, etiam dum sensibilia percipimus, vel insensibilia adinstar sensibilium : nam juxta S. Augustinum, l. 15 *de Trin.*, c. 10 : « Etsi verba non sonent, in corde suo, dicit utique, qui cogitat. » Bene autem distinguendus est modus cognoscendi quasi audiendo, a modo cognoscendi quasi videndo : quod ita explicat Ludovicus a Ponte, tr. 1 *Duc. spir.*, c. 22 : « Intellectus simul est auditus et visus animæ; auditus est quatenus a Deo accipit instructionem, attenditque quid sibi dicatur; visus est quatenus illud intelligit assequitur.

AN ET QUOMODO FIAT.

Schol. II. Potest fieri ex specialissimo privilegio, ut Deus animæ purè intellectualiter loquatur, independenter a speciebus rerum sensibilium acquisitis, vel per accidens infusis, et consequenter a phantasmatibus. Potest enim hæc locutio fieri per species per se infusas, sicuti cognoscere potest anima separata, vel conjuncta, post resurrectionem, et anima Christi, quando simul fuit viator et comprehensor : et talem locutionem sibi factam esse testatur S. Theresia, in *Vit.*, c. 27, quando donata est visione intellectuali humanitatis Christi ad se loquentis, de quâ ait : « Est adeò cœlestis loquela, ut ægrè possit humanitus capi, quantumvis enitamur, nisi Dominus edoceat experimento. Infundit Dominus quod vult capi ab animâ, in istius intimum, et illud ibi repræsentat sine imagine, formâve verborum, sed adinstar prædictæ visionis.... Quod mihi videtur, est, velle Dominum omnibus modis animam istam habere

aliqualem notitiam rei hujus, ut peragitur in cœlo : mihi enim videtur, sicut ibi mutua fit sine locutione intellectio conceptuum (de quo asserit se cœlitùs in extasi edoctam fuisse), similiter hìc sese intelligunt Deus et anima, tantùm volente Majestate suâ ut hæc intelligat, absque alio artificio, quo significent quali sese hi duo amici amore prosequantur. Quemadmodum in humanis, si duæ personæ se multùm diligunt, et bono pollent intellectu, adhuc absque signis, soloque intuitu videntur sese capere. » Ex quo prudenter Magister spiritûs locutionem purè intellectualem ab imaginariâ discernere poterit : si enim interroget quâ formâ Christum, Angelum, vel alium loquentem discipulus viderit, et ille dicat, se illum sine omni formâ sensibili, vel simili sensibili vidisse, aut audivisse, visio et locutio purè intellectualis erit : quam nec Angelus bonus, nec malus, sed solus Deus principaliter causare potest, utì de visione purè intellectuali dictum est.

QUOTUPLEX SIT LOCUTIO INTELLECTUALIS.

Schol. III. S. Joannes a Cruce, l. 2 *Ascens. in mont.*, c. 28 et 32, triplicem locutionem purè intellectualem assignat : 1. Eam quæ fit per verba successiva, quæ anima semel a Spiritu S. per verba intellectualia excitata mutuo quasi colloquio prosequitur. 2. Illam quæ fit per verba formalia, quæ anima, quasi præcisè audit, perspicuè percipit, et quæ eam uno, paucis, vel multis verbis conspicuis continuatis instruunt. 3. Eam quæ fit per verba substantialia, quæ non sunt præcisè instructiva, sed operativa, et faciunt quæ dicunt, et falsitati non facilè sunt obnoxia. Item locutio intellectualis clara multiplex esse potest. 1. Ratione suî, ob clariorem modum loquendi, vel luminis, vel gradûs contemplationis, in quo anima versatur. 2. Ratione materiæ, quæ vel sensibilis, utì humanitas Christi ; vel spiritualis, utì Dei vel Angeli esse potest.

QUOMODO DISCERNATUR.

Schol. IV. Locutio purè intellectualis, licèt independenter ab omni operatione imaginationis et sensuum externorum fiat, non tamen hanc operationem ita excludit, ut eam concomitari non possit. Unde fit ut independentia illa difficulter, et vix nisi per experientiam operantis discernatur, et quidem clariori superno lumine illustretur. Locutio autem purè spiritualiter facta verbis externis intelligibilibus aliis explicari non potest, nisi eam imaginaria vel externa comitetur aut subsequatur, utì de visione purè intellectuali notatum fuit.

§ 545.

DEUS SUBINDE LOCUTIONE PURÈ INTELLECTUALI PERFECTIS LOQUITUR.

Deus, quandoque ex speciali privilegio cum animabus perfectis et contemplativis *purè intellectualiter loquitur*. Ita 1° colligitur ex S. Scripturâ, II *Reg.* XXIII, 2, ubi S. David, exponens modum suæ Prophetiæ, ait : *Spiritus Domini locutus est per me.* Et, v. 4 : *Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat.* Id est, juxta expositionem Lyrani, « visione spirituali instruxit me, absque visione imaginariâ. » Exempla hujus locutionis in Moyse et S. Paulo, § 516, relata sunt. 2° Prob. ex PP. S. Augustinus, l. 15 *de Trin.*, c. 15, ait : « Non quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideo non sunt etiam visiones, exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt. Foris enim cùm per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio, intus autem cùm cogitamus, utrumque unum est. » Quas locutiones cordis magis explicat S. Doctor, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 26, dicens : « Videt per speciem, non per ænigmata, quantùm ea capere mens humana potest, secundùm assumentis Dei gratiam, ut os ad os loquatur, quem dignum tali Deus colloquio fecerit, non os corporis, sed mentis. » Pro quo exemplum Moysis et S. Pauli adducit. S. Gregorius, l. *Mor.* XXVIII, c. 2, ait : « Cùm per semetipsum loquitur Deus, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur. Sine strepitu sermo est, qui et auditum aperit, et habere sonitum nescit.... Spiritum enim Dei quasi quædam nobis verba dicere, est occultâ vi ea quæ agenda sunt intimare, et cor hominis ignarum, non adhibitis strepitu et tarditate sermonis, peritum repentè de absconditis reddere. » Accedunt testimonia S. Theresiæ, *Vit.*, c. 27, et S. Joannes a Cruce, in *Ascens. ad mont.*, c. 28, § 542, schol. 2 et 3, et alia, § 516, allegata. 3° Ratio est, præter voluntatem Dei, quia non implicat elevari mentem hominis in hac vitâ supernaturaliter,

ex speciali privilegio, a modo regulari cognoscendi dependenter a phantasmatibus, ad cognoscendum sine illis, per species infusas supernaturales : ergo non est cur admitti non debeat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Scholium. Dicis 1 : S. Thomas, l. c., expressè cum omnibus Philosophis et Theologis docet quòd illustratio divini radii in hac vitâ non fit sine velaminibus phantasmatum : quia connaturale est homini secundùm statum præsentis vitæ, ut non intelligat sine phantasmate. Quandoque tamen sufficiunt phantasmata, quæ communi modo a sensibus abstrahuntur, nec exigitur aliqua visio imaginaria divinitus procurata. Et sic dicitur revelatio prophetica fieri sine imaginariâ visione. Ubi Cajetanus notat : « Manifestè habes, quòd, quantumcumque sit excellens intellectualis visio prophetica absque imaginariâ visione, nunquam tamen est sine phantasmatum ministerio.» Respondeo : S. Thomas solùm loquitur de modo ordinario, non verò extraordinario per speciale privilegium; unde dicit : « Quia connaturale est; » utì ipse Cajetanus observat : « Nec extendas hæc ad raptum Pauli et Moysis : quoniam non loquimur de hujusmodi singularibus, sed de propheticis visionibus regulariter. » II. Idem S. Thomas, 1 p., q. 84, a. 7, docet : « Impossibile est intellectum secundùm præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata. » Respondet S. Doctorem non loqui de impossibilitate metaphysicâ, sed physicâ, quæ supernaturaliter et miraculosè tolli potest.

§ 544.

SIGNA LOCUTIONIS DIVINÆ EX PARTE MATERIÆ.

Porrò ut locutiones verè divinæ a falsis *distinguantur*, cautione maximâ opus est, et ad certa *signa* imprimis attendere oportet, quibus hæ ab illis discernantur, quæ eadem sunt ac illa, quæ pro discernendis visionibus veris a falsis, § 524, sqq., assignata sunt. Et imprimis se tenere possunt ex *parte materiæ* ipsarum locutionum; scilicet : 1. Ut nihil Deo indignum, contra fidem et bonos mores, etiam in minimo, contra

traditiones et definitiones Ecclesiæ, contra unanimem Patrum et Theologorum consensum contineant, § 525. 2. Ut nihil impudicum præferant, § 526. Unde bene monet S. Theresia, in *Castell. mans.* VI, c. 3 : « De nullâ tali locutione contra S. Scripturam, etc., majorem habeatis rationem, quàm si ab ipsomet dæmonio audiretis. » *Vid.* § 464.

§ 545.

SIGNA LOCUTIONIS DIVINÆ EX PARTE PERSONÆ.

Signa locutionis divinæ, ex *parte personæ* cui fit, sunt : 1. Si persona sit devota catholica. 2. Si non sit peccatrix, non tepida, nec moribus a specialibus Dei favoribus aliena. 3. Si nullo modo sit superba, sed verè humilis. 4. Si ejusmodi locutiones divinas non petierit aut desideraverit. 5. Si non sit arreptitia, aut a dæmone obsessa, vel deliriis obnoxia. 6. Si non sit melancholica, aut alio morbo laborans. 7. Si in viâ spiritûs jam multùm profecerit. 8. Si non sit pauper, vel dives, aut juvenis, vel nimiùm senex. 9. Si non sit femina levis, et facilè credula.

§ 546.

SIGNA EX PARTE EFFECTUUM.

Signa locutionis divinæ, *ex parte effectuum* subsequentium sunt : 1. Si locutio ad nihil indecens aut impudicum excitet. 2. Si in superbiam, vanam complacentiam aut præsumptionem non attollat. 3. Si quis locutiones has suo Directori humiliter manifestet, ejusque judicio et consilio libenter se submittat. 4. Si quis has locutiones palàm non propalet. 5. Si mortificationem carnis post se trahant. 6. Si ab initio terreant, postea verò quietem relinquant. Iis signis S. Theresia, in *Castell. mans.* VI, c. 3, de locutionibus divinis agens, se-

quentia addit : 1. Si locutionem statim effectus sequatur. Sic in casu desolationis uno solo Domini verbo : *Noli anxiari*, anima subitâ quiete et luce perfunditur meliùs quàm si ab omnibus mundi litteratis consolationem quæreret. Sic in casu dubietatis de suo spiritu, dum Confessarius et alii decernunt esse spiritum diaboli, solo illo verbo : *Ego sum, noli timere*, anima manet secura, nec ab ullo perturbari potest. Sic in casu alicujus gravis negotii, dum anima anxia de effectu angitur, si audiat : *Quieta esto, prosperè omnia fient*, subitò quietatur, et certa redditur. Secundum signum est magna quædam quies in animâ manens, cum recollectione devotâ et pacificâ, et cum propensione ad laudes Dei. Tertium signum est, quòd hæc verba longo tempore, vel etiam nunquam memoriâ evellantur, nullâ habitâ ratione dictorum hominum, utut gravium et litteratorum, et quantumvis interim omnia in oppositum vergere videantur. His tamen non obstantibus, si res sit gravis, quam ipsa persona exsequi debet, vel si sit de negotiis ab aliis personis dependentibus, eadem S. Theresia enixè commendat ne quis aliquid facere cogitet, vel faciat, sine consilio Confessarii docti, prudentis, et servi Dei : siquidem hoc etiam vult Deus, qui etiam talem Confessarium illuminabit, et tandem faciet ut consentiat, quando efficaciter vult. Unde concludit : « Facere contra quod dico, et aliquem duci per judicium proprium in rebus hujusmodi periculosissimum duco. »

ADHORTATIO AD AUDIENDAS LOCUTIONES DIVINAS.

Corollarium. Audiamus igitur, quid loquatur in nobis Dominus Deus, *Psal.* LXXXIV, 9. Et licèt locutiones Dei extraordinarias hucusque explicatas inordinatè desiderare non debeamus, quod temerarium sæpe foret, ad illas tamen nos non indispositos reddamus per spiritûs ad inutilia distractionem, imaginationi laxè indulgendo, ut pro suo fatuo ingenio phantasmata quælibet coacervet : per auris obstructionem passionum et vitiorum intemperie, per garrulitatem et fugam silentii : sed insistamus mortificationi, fugiamus ab omni curiositate ac tumultu animum distrahente, imponamus phantasiæ modum, non recedamus a præsentiâ Dei per

fidem, præsertim tempore orationis, et si beneplacitum illi fuerit, audiemus vocem ejus. Maximè verò locutiones Dei ordinarias seu inspirationes attentis auribus excipiamus; nam utì S. Bernardus, *Serm. de Div.,* vehementer hortatur : « Quantæ temeritatis, imò quantæ insaniæ est, si fortè, dum alloquitur nos Dominus Majestatis, nos insensati avertamus aurem, et ad nescio quas ineptias convertamur?... Propterea obsecro vos, dilectissimi, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem. » Nec audiamus solùm, sed executioni insuper inspirationes ejus demus : *Simus factores verbi, et non auditores tantùm, fallentes nosmetipsos, Jac.* 1, 22. In his, monet iterum S. Bernardus, *Serm.* 24 *de Div.* : « Atque hujusmodi persevera in talibus jugiter exercere, donec jam dicat spiritus ut requiescas a laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter, ac suaviter soporaberis, donec veniat hora, cùm omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Sed quò? alii quidem in judicium, alii verò in vitam æternam. »

§ 547.

LOCUTIO DIVINA ALIQUID OCCULTUM DETEGENS DICITUR REVELATIO. — REVELATIO QUID.

Locutio divina, quæ aliquid detegit, quod antea latebat, dicitur *Revelatio divina,* quæ est illustratio alicujus personæ privatæ, quâ Deus illi aliquid occultum præteritum, absens vel præsens manifestat, eamque instruit, vel ad suam, vel ad aliorum salutem.

EXPLICATUR.

Schol. I. Revelatio, prout hìc sumitur, restringitur ad eas locutiones divinas, quibus non solùm ex parte modi, sed etiam ex parte materiæ occulta et naturaliter non attingibilia Deus, quibus vult, aperit et revelat. Unde etiam P. Suarez, *prol.* 3 *de Grat.,* c. 5, hanc revelationem ad gratiam gratìs datam fidei reducit : nam quoties fit, vel frequentiùs propter aliquam communem Ecclesiæ utilitatem conceditur; quare ratione materiæ et specialis revelationis, est quædam manifestatio spiritûs ad utilitatem, adeoque

inter gratias gratis datas recenseri potest, et per hoc a revelatione, quæ propriè est actus fidei theologicæ, et ad gratias gratum facientes spectat, adeoque primariò ad propriam uniuscujusque utilitatem ordinatur, distinguitur. Differt autem revelatio divina a visione divinâ, tum quia revelatio procedit per viam locutionis quæ auditur, visio verò per viam rei quæ conspicitur; tum quia revelatio audita, se solâ potest sufficere, ut res perfectè manifestetur; secùs verò sola visio, nisi accedat locutoria revelatio.

REVELATIO QUOTUPLEX.

Schol. II. Revelationes 1. Aliæ sunt canonicæ, quæ habentur in S. Scripturâ, vel Traditione, et ab Ecclesiâ ut de fide credendæ sunt propositæ; de quibus hìc non agitur : aliæ verò, de quibus modò sermo est, sunt privatæ, quæ fiunt alicui personæ in particulari, sive id quod revelatur, in bonum commune Ecclesiæ cedat, sive non. 2. Revelationes privatæ triplicis generis esse possunt, scilicet, *divinæ* et *cœlestes*, quas modò definivimus; *dæmoniacæ* et *naturales*, de quibus in sequentibus tractabimus : ubi illud notandum, quòd revelationes ad solam manifestationem occultorum, tum præteritorum, tum absentium, tum præsentium omnino latentium restringamus, ut eam a Prophetiâ, quæ ad futura se extendit, distinguamus, de quâ postea sermo erit.

§ 548.

DANTUR REVELATIONES DIVINÆ PRIVATÆ.

Revelationes divinæ et cœlestes *privatæ* aliquæ semper *a Deo factæ sunt*, et aliquibus personis Ecclesiæ privatim subinde adhuc *fiunt*. Prob. 1° ex S. Scripturâ, quæ ejusmodi privatas revelationes jam ab initio nascentis Ecclesiæ a Deo factas refert. Sic testatur S. Paulus, I *Cor.* XIV, ubi, juxta observationem Estii, loquitur de *dono Prophetiæ*, quod non in id solum consistebat, ut quis futura prædiceret, sed etiam ex inspiratione divinâ cognosceret et proferret occulta quædam, sive illa futura essent, sive essent Scripturarum difficilium et obscurarum, maximè propheticarum, explanationes, sive alia quædam ad christianam doctrinam illustrandam aut pietatem

promovendam pertinentia. Nam his saltem modis Prophetæ usi fuerunt, de quibus, *Act.* XIII, 1, dicitur: *Erant in Ecclesiâ Antiochenâ Prophetæ et Doctores, in quibus Barnabas et Simon.* Tales filiæ Philippi *Virgines Prophetantes,* uti dicitur, *Act.* XXI. 9, Talis et ipse eorum pater, quando locum Isaiæ exposuit Eunuchο Candacis Reginæ, *Act.* VIII. De hoc etiam prophetandi modo, seu revelationibus divinis privatis circa occulta quædam mysteria, loquitur S. Paulus, *Thess.* V, 20, dicens : *Prophetias nolite spernere.* Et quod etiam de his revelationibus privatis loquatur, I *Cor.* XIV, patet ex eo quòd, v. 3, dicat taliter prophetantem loqui, *ad ædificationem, exhortationem et consolationem,* nullâ factâ mentione prædictionis futurorum. Et, v. 30, ait : *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Et, v. 26, dixerat : *Cùm convenitis, unusquisque* (*id est alius*) *vestrûm Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet;* id est revelationem occultorum mysteriorum. Confirmantur hæc pro omnibus subsequentibus Ecclesiæ sæculis ex Tridentino, sess. 6, c. 12, definiente : « Nisi ex speciali revelatione sciri non potest quos Deus elegerit. » Et, c. 16, nullum infallibili certitudine præsumere posse se in bono perseveraturum : « Nisi hoc ex speciali revelatione didicerit. » Ergo privatam revelationem de secreto prædestinationis mysterio dari posse supponit, et consequenter etiam de aliis veritatibus minoris momenti. Item Gelasius Papa, c. *S. Rom. Ecclesia,* d. 15, novellas etiam revelationes non rejiciendas censuit, sed probandas. Et Pius Papa, c. *Nosse vos, de Cons.,* d. 2, ex quâdam revelatione Hermeti factâ roborat quòd Pascha die Dominicâ celebrari debeat. Et Gravina, in *Lap. Lyd.,* l. 1, c. 2, per omnia sæcula ex Historiâ ecclesiasticâ ejusmodi privatas revelationes et Prophetias contigisse invictè ostendit. Exstant denique revelationes B. Hildegardis, B. Lutgardis, B. Angelæ filiæ Regis Bohemiæ, SS. Gertrudis, Birgittæ, Theresiæ, de quibus videri potest Larrea, p. 1 *Decis. Granat.,* dec. ult., *de Revel.,* n. 5. Et latè prosequitur Theophilus Raynaudus, in *Heter. spirit.,* t. 15, punct. 5. 2° Probatur ex PP. S. Justinus, *Dial. in Tryph.,* ait de fidelibus sui tem-

poris : « Qui etiam pro se quisque, ut digni sunt, dona accipiunt per nomen Christi illuminati, atque hic quidem accipit intelligentiæ spiritum.... Quidam præcognitionis, » id est, revelationis et prophetiæ. S. Gregorius totos quatuor *libros Dial.* replet miris visionibus, revelationibus et prophetiis. S. Thomas, explicans illud Joan. xv, 14 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis*, ait : « Hìc ponit veræ amicitiæ signum ex parte suâ.... Quòd amicus amico suo cordis secreta revelat. » Unde bene concludit Ven. Blosius, in *Monili spirit.* « Præmonendus lector est, ne perversum quorumdam hominum judicium sequatur, qui, revelationes ac visiones divinas seu vanissima somnia contemnendo, se parùm spirituales et humiles esse ostendunt. Neque enim parvi pendendæ sunt revelationes divinitus exhibitæ, quibus Ecclesia Dei mirificè illuminatur. » 3° Ratio est, tum quia ipsæ revelationes canonicæ, antequam per Scriptores Canonicos publicarentur, et ab Ecclesiâ in Canonem redigerentur, privatæ erant ; tum quia etiam in ipsâ S. Scripturâ plurimæ revelationes habentur de rebus, nec universalibus, nec ad cultum Dei spectantibus, sed privatis et humanis, temporalibus et minimis, v. g. de cane Tobiæ : quæ tamen omnes revelationes verè divinæ sunt.

HÆRESIS LUTHERANORUM.

Schol. I. Centuriatores Magdeburgenses, privatarum revelationum extra Canonicos libros vagantium hostes infensissimi, eas penitus eliminare conantur, et Melanchton eas inter fabulas et superstitiones enumerat. At Gravina, in *Lap. Lyd.*, adversùs eos ostendit frustrà alios hæreticos id ipsum tentâsse, et quasdam privatas revelationes a multis impostoribus fuisse confictas, nonnullas tamen ex Historiâ ecclesiasticâ desumptas esse admittendas, earumque donum subsecutis temporibus perseverâsse, ac id solum bene perpendendum esse, quænam privatæ revelationes verè ad Deum referri possint ; quæque per visiones et plerumque per locutiones, vel sensibiles, vel imaginarias, aut intellectuales fiant ; de quibus in antecedentibus egimus.

Schol. II. Privatæ revelationi divinæ firmiter assentiri debet is cui facta est. Arauxo tamen putat, *Decis. mor.*, tr. 3, q. 23, eum nec posse, nec debere credere fide catholicâ : quia in ambitu objecti formalis illius non continetur, sed ex alio speciali lumine supernaturali, vel fidei particularis, vel Prophetiæ, vel discretionis spirituum procedit. Verùm eidem revelationi credendum esse fide theologicâ docet Card. Gotti, *Th.*, t. 10, q. 1, dub. 3, § 2, sive revelatio respiciat bonum commune, sive privatum : quia prima veritas revelans est ratio assentiendi. Et Joannes Salas, 1, 2, tom. 1, tr. 8, disp. un., sect. 5, putat sufficere probabilitatem revelationis, ut quis ei credat, et ei actiones suas conformet : adeoque Sacerdos probabiliter judicans sibi revelatum esse, ut matrimonium contraheret, hac dispensatione divinâ probabili, ineundo matrimonium, uti posset. Hurtado verò, *Resol. mor.*, tr. 5, c. 6, eamdem sufficientiam admittit, si revelatio tendat ad bonum faciendum, vel malum vitandum, non verò, si aliquod præceptum solvat : quo in sensu etiam locutus videtur Savonarola, in *Comp. Revel.* Joannem Salas acriter impugnat Torre, in 2, 2, q. 95, a. 3, disp. 2, affirmans ejus sententiam jussu SS. Inquisitionis expunctam fuisse. Evidentia ergo divinæ revelationis requiritur, ut quis ei credat, præcipuè, si contra præceptum Dei aut Ecclesiæ aliquid reveletur. Quare Propheta Dei, III *Reg.* xiii, occisus est a leone : quia contra certam divinam revelationem sibi factam, ne comederet in Bethel, voluit ibidem comedere, secutus alterius Prophetæ probabilem revelationem, utì docet Tostatus, q. 15. Quinimo proscripta dici potest a Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 9, decernente nos non posse fide supernaturali credere nos esse gratiam consecutos, licèt hoc ex probabili propositione, quòd simus contriti, eruatur : et ab Innocentio XI, damnante sequentem propositionem 25 : « Assensus fidei supernaturalis stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet ne non sit locutus Deus. » Quod verò attinet ad alios, quibus privata revelatio immediatè non fit, Card. Lugo, *de Fid.*, disp. 1, sect. 11, docet eum ad quem illa dirigitur debere illi credere, si illi cum sufficientibus motivis proponatur : quia Deus illi saltem mediatè loquitur; alios verò non debere credere, et si credant, eorum assensum non esse fidei catholicæ aut divinæ, quia non resolvitur immediatè in ipsam præteritam revelationem factam personæ privatæ, cùm non constet nisi ex solâ narratione referentis : neque

in revelationem mediatam, quia non dirigitur ad illos, nec Deus cum illis loquitur : resolvitur ergo in solum testimonium humanum referentis, et deficit objectum formale fidei divinæ.

AN PRIVATÆ REVELATIONES APPROBATÆ SINT CREDENDÆ.

Schol. III. Privatis revelationibus etiam a Sede Apostolicâ approbatis, v. g., B. Hildegardis, et SS. Birgittæ et Catharinæ Senensis, non debet nec potest a nobis adhiberi assensus Fidei Catholicæ, sed humanæ juxta regulas prudentiæ, secundùm quas illæ sunt probabiles et piè credibiles, utì docet Canus, *de Loc. Theol.*, l. 12, c. 3, cui addi potest Card. a Turrecrematâ, qui in approbatione librorum revelationum S. Birgittæ ait : « Se nullum eorum piè et modestè intellectum reperisse S. Scripturæ et SS. Patrum adversum sententiis, adeoque posse legi in Ecclesiâ ex modo, quo aliorum Doctorum libri, et Sanctorum historiæ et legendæ licentiantur legi fidelibus. » Hinc sequitur unumquemque, salvâ Fide Catholicâ, posse prædictis revelationibus assensum non præbere, modestè tamen, rationabiliter, et citra contemptum. Porro laudatus Card. Turrecremata per illa verba : *piè et modestè intellectum*, fortè respexit ea quæ in citatis revelationibus de malis Sacerdotibus dicuntur, scilicet l. 4, c. 132 : « Quòd perdiderunt clavem; » et l. 7, c. 7 : « Quòd conficiunt corpus Christi, qui non sunt hæretici, quamvis aliàs sint pleni multis aliis peccatis. » Hæc enim benignâ indigent interpretatione, id est malis Sacerdotibus jure prohiberi administrationem Sacramentorum, et hæreticis exercitium consecrandi, utì explicat Durandus, ad cit. capit.

AN INTER REVELATIONES APPROBATAS APOCRYPHÆ DENTUR.

Schol. IV. Inter revelationes approbatas nonnullæ apocryphæ irrepserunt : nam omissis aliis, quæ inter approbatas non recensentur, utì eæ quæ dicuntur Pauli, Thomæ, Stephani, quæ sine dubio apocryphæ sunt, utì ostendit Joannes de Ragusio, in *orat. habitâ in Conc. Basil.*, apocrypha censetur revelatio B. Coletæ de tribus maritis S. Annæ, utì probat Canisius, l. 1 *de B. Virg.*, c. 4. Apocrypha quoque declarata fuit revelatio quæ a S. Michaele et Elisabeth facta asseritur S. Birgittæ, utì probat Card. Albitius, *de Inconst. in fide*, part. 1, c. 40, n. 130; et Card. Gotti, *de Ver. Eccl.*, t. 1, c. 3, § 7, inter apocryphas recenset eam quæ inter revelationes S. Catharinæ Senensis de Conceptione B. Virginis in

peccato originali circumfertur. Gerson, in *Exam. Doctr.*, p. 2, cons. 3, refert Gregorium XI morti proximum adstantes monuisse, « ut caverent a viris et mulieribus loquentibus visiones sui capitis : quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio se traxerat, et Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Jesus. » Spondanus, *ad an. Christ.* 1378, putat hìc Gregorium ad suasiones Petri Aragonii, et SS. Birgittæ, et Catharinæ Senensis allusisse : verùm Natalis Alexander, in *Vitâ Greg.*, hanc narrationem Gersonis falsam esse existimat : quia in primâ ejus vitâ, ab auctore coævo scriptâ, non habetur, et Gregorius ipse spiritum S. Catharinæ probavit, dum occultum suum votum de petendà urbe divinitùs cognovit; imò nequidem Gerson S. Birgittam nominavit, neque S. Catharinam, quam proinde impius Apostata Marcus Antonius de Dominis immeritò, impudentissimè traducit; contra quem Arauxo, *Decis. mor.*, tr. 3, q. 23, probat Gregorium in translatione Sedis deceptum non fuisse, cùm ad eam teneretur; eam causam schismatis non fuisse, et ipsum schisma a S. Catharinâ prædictum fuisse.

DANTUR ETIAM REVELATIONES, QUÆ A SANCTIS DIVINÆ PUTANTUR ET NON SUNT.

Schol. V. Contingere potest ut aliquis Sanctus ex anticipatis opinionibus aut ideis aliquid sibi a Deo revelatum esse putet, quod revelatum non est. Ita sentit Hurtado, *Resol. mor.*, tr. 5, c. 6, et affert revelationem S. Birgittæ, quòd Christus, cùm flagellaretur et crucifigeretur, verenda velamine obtexerit. Nam Menochius, *de Republ. Hebr.*, l. 6, c. 2; Tostatus, *Paradoxo* v, c. 42; Salmeron, t. 10, tr. 35, eos qui flagellabantur et in crucem agebantur scribunt flagellatos et crucifigendos hoc facere consuevisse, atque ex eorum præconceptâ opinione illam revelationem ortam esse vel oriri potuisse putat Hurtado, licèt plures SS. Patres, quos refert et sequitur P. Suarez, t. 2, in 3 p., disp. 36, sect. 4, contrarium teneant. Idem de revelatione S. Catharinæ Senensis circa B. Virginis conceptionem in peccato originali asserit P. Lancisius, *Opusc.*, t. 2, pag. 49, et Bollandiani, ad diem 25 maii, in *Parergon S. M. Magd. de Pazz.*, probant raptus esse posse substantiâ divinos, sed in circumstantiis ad species naturaliter perceptas conformatos : et afferunt SS. mulierum revelationes, in quibus Christus modò tribus, modò quatuor clavis crucifixus apparuit. Item aliàs, in quibus S. Hieronymus leone comitatus, aut S. Jacobus Apostolus peregrinationis insignibus indutus apparuit : nam putant a Deo

quidem processisse ferventissimas illas meditationes Christi, et pios illos affectus erga SS. Hieronymum et Jacobum, sed Spiritum S. noluisse ulteriorem historiarum veritatem patefacere; nam S. Hieronymus ob rugitum suum contra hæreticos cum leone, et S. Jacobus ob peregrinationes ad Compostellam, sub specie peregrinantis depingitur. Et Cornelius Curtius, lib. *de Clavis Dom.*, ostendit quatuor hos clavos fuisse, non obstante quòd in corde, B. Claræ de Montefalco tres tantùm videantur, et ait: « An, quia diva illa talem de Crucifixo meditationem instituit, statues talem quoque crucifixionem fuisse ? Non arbitror, si sensu tantùm communi non cares. Hæc instrumenta non ad Christi passionem demonstrandam, sed ad ferventem Claræ amorem posteris declarandum cælata sunt. »

§ 549.

REVELATIONES DÆMONIACÆ QUID.

Præter revelationes divinas et cœlestes, aliæ sunt *dæmoniacæ*, quæ a dæmone procedunt, cùm dæmon non modò mala, sed etiam quandoque nonnulla bona revelat, ut vel incautos decipiat, vel a majori bono avertat, vel ad malum impellat.

QUOMODO FIANT.

Scholium. Dæmon revelationes fingere potest, vel exteriùs, voce aliquâ sensibili, quam facilè formare potest, vel solam, vel simul cum corpore assumpto, ut et videatur et loquatur, vel interiùs commovendo humores et spiritus, seu succum nerveum, quibus in phantasiâ excitentur species, seu ideæ, ac phantasmata, ac actus intellectuales objecti alicujus occulti. Et quidem dæmon subinde utitur corpore verè tali et naturali, in quo format artificiosam locutionem, utì communiter censetur usus fuisse corpore ac linguâ serpentis in colloquio cum Hevâ. Subinde corpus aereum, vel ex aliâ materiâ efformat, ut in illo verba faciat, quo modo fecit, Christum tentans, subinde facit hoc solùm præstigiosè, alterando sensus externos per deductionem alicujus humoris, cum spiritibus et speciebus, ad illorum organa, ut quis videatur sibi videre aut audire quæ non sunt, ita certus ut jurare posset : qualiter fieri censentur multæ, quæ de sagis narrantur. Denique frequenter re-

velationes dæmoniacæ fiunt in vi phantasiæ, sive sensibus externis vigilantibus, sive somno aut morboso raptu ligatis, utì modò explicatum est ex S. Thomâ, 1 p., q. 3, a. 3 et 4.

§ 550.

REVELATIONES DÆMONIACÆ FIERI POSSUNT.

Revelationes dæmoniacæ opere diaboli *fictæ* subinde *contingere possunt.* Prob. 1° ex S. Scripturâ, II *Cor.* II, 14: *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Ergo sicuti Angeli lucis, vel per illos Deus, revelationibus homines illuminant in bonum, sic Angeli tenebrarum, transfigurantes se in Angelos lucis, fictis revelationibus homines ad malum seducunt. Plura de dæmoniacis revelationibus collegerunt Larrea, part. 1 *Decis. Granat.*, dec. ult.; Del Rio, *Disq. mag.*, sect. 2, et Philomarinus, *de Div. revel.*, tr. 1, c. 2. Inter quas recenseri possunt quæ ab hæreticis, tum antiquis, tum recentioribus, tanquam sibi factæ, narrantur, nisi potiùs inter ipsorum mendacia sint ascribendæ. Celebres illæ sunt quas protulerunt Cerinthus, Montanus, et ejus Prophetissa; necnon Lutherus, Carlostadius, Thomas Münzerus, Anabaptistæ, etc. 2° Prob. ex PP. S. Antiochus, *Hom.* LXXXIV, narrat de quodam Monacho: « Qui multifariis revelationibus diaboli, et in somniis illusus, ad Judaismum delapsus est, et carnis circumcisionem. » S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 13, docet: « Discretio sanè difficillima est, cùm Spiritus malignus quasi tranquilliùs agit, ac sine aliquâ vexatione corporis, assumpto humano spiritu, dicit quod potest; quando etiam vera dicit, et utilia prædicat, transfigurans se, sicut scriptum est, in Angelum lucis, ad hoc, ut, cùm illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. » S. Thomas, in II *Cor.* II, 14, ait: « Notandum autem est quòd Satanas transfigurat se aliquando visibiliter, sicut B. Martino, ut deciperet eum, et hoc modo multos decepit.... Aliquando autem transfigurat se invisibiliter, et hoc, quando ea, quæ in se mala sunt, facit appa-

rere bona, pervertendo sensus hominis, et inflammando concupiscentiam. Harpius, l. 3, *Theol. Myst.*, ait : « Angelus Satanæ se transformans in Angelum lucis, ad deceptionem insipientium, incautorum vel elatorum, qui pleni sunt vanitate et vacui charitate, lumen quoddam phantasticum infundit intrinsecus, a quo se sentiunt veluti sacco penitùs obvolutos. Et quia semper ad tales novitates et revelationes aspirant, in hoc lumine multa mirabiliaque per imagines phantasticas percipiunt.... advertens ergo Satanas misellum fatuum vanis visionibus delectari, vices multiplicat, visiones ingeminat, ut infelicem illudat, donec tandem immissionibus frivolis ingesta veraciter asserere et pertinaciter defendere non formidet, simul cum meritorum suorum fructibus in barathrum serpentinæ seductionis et maledictionis ruiturus in æternum. » *Tertiò.* Ratio est ex S. Thomâ, 2, 2, q. 95, a. 4, dicente : « Dæmon enim, qui intendit perditionem hominum ex hujusmodi suis responsis (seu revelationibus occultorum) etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quòd ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid quod sit saluti humanæ nocivum. »

QUÆNAM OCCULTA DÆMON REVELARE POTEST.

Scholium. Dæmon occulta per se, utî secreta cordium et occultas hominum cogitationes nec cognoscere, nec revelare potest, licèt illas ex effectibus externis subinde per actum exteriorem, utî per immutationem vultûs, et a medico per arteriæ pulsum conjectantur. Per accidens verò occulta, ratione loci vel temporis, scire et revelare potest : sic dæmon præterita omnia memoriâ retinere potest, quæ vel alienâ relatione percepit, vel coram eo gesta fuerunt : potest etiam res præsentes occultas scire, quæ actu externo proditæ sunt, putà secreta furta, et similia, quæ hominum cognitionem fugiunt : potest etiam incredibili celeritate ea, quæ in remotis regionibus geruntur, tam subitò denuntiare, ut diu ante prædicta ab ignaris putentur, utî probant Delrio, *Disq. mag.*, l. 4, c. 2; Thyræus, *de Appar. intell.*, l. 4, c. 13, et alii.

§ 551.

REVELATIO NATURALIS QUID.

Tertia species revelationum est *revelatio naturalis*, quæ originem habet a causâ naturali, ab atræ videlicet bilis abundantiâ, a corporis inediâ, a nimiis vigiliis, a cerebro læso, a turbidâ et plus æquo vehementi imaginatione.

REVELATIO NATURALIS FIERI POTEST IN SOMNIIS.

Schol. I. Revelationes naturales de occultis, saltem veræ existimatæ, fieri possunt in somniis; quippe, præter somnia divina et dæmoniaca, naturalia dantur, et sicuti a Deo, et suo modo a dæmone immitti possunt, ita etiam a causis merè naturalibus, et vario motu et dispositione spirituum vitalium et humorum oriri in somnio possunt, in quibus quis somniat, se videre quæ non videt, vel audire occulta quæ non audit, maximè si somniis naturalibus accedant somnia animalia aut moralia, quæ ex vehementi cogitatione aut appetitione alicujus rei oriuntur : sic enim naturaliter et facilè continget, ut qui ex nimiâ curiositate cupit scire aliqua occulta, mox in somniis ea videre vel audire sibi videatur. Quare, si etiam verè subinde aliquid in somniis reveletur, merè casuale erit; quò spectat ille casus singularis a S. Augustino, l. *de Curâ pro mort.*, c. 2, relatus, ubi de quodam suo discipulo in Africâ commorante refert, quòd ab eodem Augustino, tunc Mediolani degente, in somnio solutionem veram dubii de aliquo loco Ciceronis, de quo angebatur, acceperit.

REVELATIO NATURALIS IN VIGILIA FIERI POTEST.

Schol. II. Naturaliter etiam fieri potest, ut aliquid non dormientes, sed vel mente non sanâ vigiles, et integris sensibus, aut arreptitii, et suî non compotes, occulta revelent, sed vel falsò, vel merè casualiter : nam ejusmodi homines plerumque dicunt ea quæ nesciunt, et cùm sint admodum loquaces, mirum non est quòd, juxta illud adagium : *qui multa jacit tela*, etc., scopum aliquando feriant, sed merè casualiter. Quod verò Cardanus refert, aliquem valde melancholicum, cùm esset Italus, et neque per

somnium germanicam linguam calleret, germanicè locutum fuisse, negandum esse videtur, cùm Zacchias, l. 4 *Quæst. medic. leg.*, t. 1, q. 5, et Fracastorius, l. 2 *de Intell.*, testentur, nunquam se in talibus linguæ peregrinæ perfectionem, sed confusam solummodo loquacitatem deprehendisse.

REVELATIO NATURALIS EX DEBILITATE SENSUS ET COMPLEXIONIS ORIRI POTEST.

Schol. III. Sufficit etiam quandoque sensus, aut complexio debilis, ut quis videatur sibi videre quæ non videt, aut audire quæ non audit, utì Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 2, l. 1, c. 2, variis exemplis probat. Aristoteles etiam, l. 3 *Meteor.*, c. 4, narrat, de Antiphoronte, qui ob visûs debilitatem, dum ambulabat, semper videbat imaginem suî ipsius oppositam, et ante se ambulantem. Organo auditûs patiente immania nos audire experimur : imaginatio nihil non phantasticè nos sentire facit : ut alia taceam, quæ in amentibus et maniacis observantur, et quæ Zacchias, l. 2, t. 1, q. 3, percurrit. Ad rem etiam facit, quod S. Franciscus Salesius, l. 2, ep. 24, de quâdam suâ cognatâ refert, quæ per menses quatuordecim per solam imaginationem se esse gravidam firmissimè existimavit. Tractabat autem ibi S. Præsul, de quâdam bonâ Moniali, cujus tamen multitudo revelationum tanquam solùm imaginariarum sibi suspecta erat, et subdit : « Bene potest fieri ut malignus spiritus partem habeat aliquam in illusionibus istiusmodi; at equidem potiùs credo illum sinere imaginationem operari, non ultra quàm per simplices suggestiones cooperando. »

REVELATIO IMAGINARIA EX INDISCRETIS MORTIFICATIONIBUS ORIRI POTEST.

Schol. IV. Revelationes tales imaginariæ etiam ex indiscretis pœnitentiæ operibus oriri possunt, quibus imaginatio languescens nihil non confingit : quam circumstantiam attendendam esse monet Gerson, *de Dis. revel.*, sign. 2 : « Morbos enim affert incurabiles ex læsione cerebri et rationis perturbatione; quo fit, ut per maniam, aut furias, aut cæteras passiones melancholicas sic perfundantur, et intimè radicentur phantasmata interiùs reservata in cerebro, quod esse reputantur verè res extrinsecus apparentes, et audire se putat homo videre, vel tangere, quod nullo sensu percipitur. » Exempla profert de insanientibus vel ex toto, vel in certâ materiâ; et observat de magicis traditionibus : « Plurima ibidem observanda proponi super immoderatis jejuniis et aliis, non ad

aliud quàm ad sensûs et rationis perturbationem, quo fit ut etiam plerumque talibus dediti cadant in insaniam, et vultûs oculorumque horrorem terrificum patiantur. » Id quod ex S. Hieronymo, *Ep. 4 ad Rust.*, confirmat : « Sunt qui humore cellarum, immoderatisque jejuniis, tædio solitudinis ac nimiâ lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, et hypocriticis magis fomentis quàm nostris monitis indigent. »

REVELATIO IMAGINARIA EX INDISCRETA ORATIONE ORIRI POTEST.

Schol. V. Revelationes imaginariæ, juxta Del Rio, *Disq. mag.*, l. 4, c. 1, q. 3, sect. 2, quandoque etiam ex indiscretione in orando, maximè per otiosam et indispositam contemplationem, oriri possunt; nam inter hujusmodi illusorum scopulos : « Alter est valetudinis debilitatio, et cerebri læsio, non in mulierculis tantùm, sed etiam in viris, aliàs non levibus, nec insipientibus, sed dulci hoc et venenato otiosæ contemplationis, ab omni voluntatis cooperatione vel intellectûs adminiculo remotæ et infructuosæ ipsorum corporeorum sensuum titillatorii influxûs poculo ebriis. » Tale pseudocontemplationis genus facilè imaginariis revelationibus abundabit. Unde S. Theresia, *Mans.* VI, c. 3, ejusmodi melancholicis et debilis imaginationis personis ait : « Oportet his subtrahere orationem, et, quantùm fieri queat, inducere ad non curandas tales locutiones : quia solet diabolus ex his ita infirmis animabus proficere, si non in damnum ipsarum, saltem ad nocendum aliis. » Et quidem his imaginariis revelationibus feminæ sunt obnoxiæ, et somnia sibi somniant : quia, ut ait Del Rio, « abundant passionibus acribus et vehementibus; quare quod a passione natum, id a veritate profectum putant : sunt etiam feminæ naturæ humidioris et viscosioris; humidum verò facilè commovetur, et varias figuras recipit, ægriùs autem ac seriùs a motu cessat, ideo mulieres citiùs imaginantur, sed viri minùs pertinaciter imaginationes fovent; cùmque illæ minùs ratione polleant, minùs etiam prudentiæ habeant, procliviùs est dæmoni eas similitudine falsâ et apparente decipere. »

COROLLARIA.

Schol. VI. Ex his sequitur 1. Quando imaginationes naturales et imaginariæ tribui possunt soli physicæ debilitati, non est cur statim tribuantur extraordinariæ dæmonis seductioni. 2. Non quidem desistet dæmon ex his imaginariis revelationibus malum

per hanc debilitatem et suas tentationes elicere, sed non omnia a Deo illi permittuntur, præsertim extraordinaria. 3. Revelationes imaginariæ non statim adscribendæ sunt amentiæ formali, quæ libertatem tollat, ne aliàs omnia a tali personâ facta aut credita amentiæ inculpatæ tribuantur.

§ 552.

REVELATIONES NATURALES IMAGINARIÆ DARI POSSUNT.

Ex modò dictis apparet, sæpe ejusmodi *revelationes naturales* et *imaginarias* in explicatis paulò ante circumstantiis *contingere posse,* quæ tamen vel omnino non, vel merè casualiter aliqua occulta manifestent. Prob. ex S. Scripturâ, in quâ docemur contemnere somnia, ut vana, imò ut noxia, si velimus ex iis occulta manifestare, nisi fortè sint divina, *Eccli.* XXXIV, 1, sqq. : *Vana spes et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes.* Et : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.* Et : *Hoc secundum hoc visio somniorum : ante faciem hominis similitudo hominis.* Id est, somnium est, ut facies hominis in speculo repræsentata similis rei, in re nihil. Et : *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur.* Ex quibus omnibus clarè patet revelationes imaginarias dari posse, quæ tamen vanæ et contemnendæ sunt. 2° Patet ex PP. S. Augustinus, toto ferè l. 12 *de Gen. ad litt.*, plura de hac re tractat, et, c. 12, ostendit, non solùm interventu mali vel boni cujusdam spiritûs, sed etiam vel nimiâ cogitationis intentione, vel vi morbi, utì in phreneticis, corporalium rerum imagines percipi, quasi res ipsæ essent : « Ita ut simul cernatur, et homo aliquis præsens oculis, et absens alius spiritu tanquam oculis; nam experti sumus sic affectos, et cum eis locutos qui verè aderant, et cum eis qui non aderant. » Cujus rei exemplum affert, c. 17, de quodam, qui febriens, et tanquam in phrenesi, utì fortè reipsâ erat, licèt ob hoc dæmonium habere putaretur, absentia multa videbat et nuntiabat, quæ vera

esse inveniebantur. Et, c. 18, licèt fateatur ignotas sibi esse hujus rei causas, ait tamen tam parùm de eâ quàm de somniis et fictionibus voluntariis dubitandum esse, et subdit : « Ego verò multò ampliùs admiror, multòque magis stupeo, quantâ celeritate ac facilitate in se anima fabricet imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit, quàm somniantium, vel etiam in exstasi visiones. » S. Thomas, 2, 2, q. 171, a 5, docet, etiam Prophetas subinde discernere non posse an per spiritum proprium cogitent. S. Bonaventura, in 7 *Proc. Rel.*, c. 19, docet plures in revelationibus seduci, « putantes spiritum esse quod proprius sensus finxerit. » S. Theresia, in *Castell. mans.* VI, c. 3, ait : « Aliquoties, quin et multoties potest esse vehemens quædam apprehensio, maximè in personis debilis imaginationis, aut melancholicis, notabili inquam melancholiâ : de quo duplici personarum genere, ut opinor, nulla est ratio habenda, quantumvis dicant videre, audire, ac intelligere.... Nec prodest dicere illis, esse melancholiam ; nunquam enim finem facient, jurejurando attestantes, videre se, audire se hoc, et illud; ita enim putant. » 3° Ratio patet ex dictis, quia revelationes naturales tum in somniis, tum in vigiliâ fieri; item ex debilitate sensûs et complexionis, ex indiscretis mortificationibus, et ex indiscretâ oratione oriri possunt.

REVELATIONES SCIENTER CONFICTÆ DANTUR.

Scholium. Aliquoties, nec admodum rarò, revelationes scienter sunt confictæ, et purum putumque mendacium, utî probat pluribus exemplis Lauræa, *de Revelat.*, et Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 1, l. 1, c. 1, ubi tamen notandum quòd licèt revelationes scienter mendaces retribuantur dæmoni tanquam tentatori, non tamen sint opus illius tanquam auctoris eas extraordinario modo fingentis. Item magnum discrimen est inter revelationes ex ignorantiâ culpabili fallaces, et ex malitiâ mendaces ; nam illæ illusos faciunt, hæ illudentes; istæ deteriores faciunt, illæ difficiliùs curabiles : non tamen facilè præsumendum quod deterius est, scilicet, fictam esse revelationem nisi ex vehementibus indiciis appareat.

§ 553.

SIGNA REVELATIONIS DIVINÆ EX PARTE MATERIÆ SUNT, PRIMO : SI NON SIT CONTRA FIDEM.

Jam nunc ad *signa* progrediendum est, quibus revelationes divinæ, seu cœlestes et veræ, a dæmoniacis, imaginariis et falsis discerni queant; quæ denuò, vel ex parte materiæ revelatæ, vel ex parte personæ cui fit revelatio, vel ex parte effectuum subsequentium attendi possunt. *Signa ergo ex parte materiæ* revelationis divinæ sunt : *Primò*, Si res revelata cum *Sacris Litteris*, cum divinis et apostolicis *traditionibus*, cum bonis *moribus* et definitionibus Ecclesiæ consentiat, non quòd hic consensus statim revelationem esse divinam et cœlestem evincat, sed quòd statim ac aliquid in revelatione apparet, quod prædictis adversatur, inter mendacia et dæmonis illusiones rejicienda sit : Apostolus enim, *Gal.* I, inquit, quodsi Angelus de cœlo nobis evangelizet, præter id quod accepimus, anathema sit. Et idem Thessalonicensibus, II *Thess.* II, 15 : *Tenete traditiones quas didicistis.* Et ad Hebræos XIII, 9 : *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.* Idem quoque dicendum, si revelatio unanimi SS. Patrum et Theologorum Scholasticorum sententiæ adversetur : nam unanimis SS. Patrum sententia est infallibilis in materiâ fidei : et quando Theologi Scholastici summo consensu aliquam doctrinam ex principiis fidei deducunt, eis contradicere saltem hæresi proximum foret. Unanimis verò Patrum consensus intelligendus est moraliter, id est ferè omnium, utì Card. Perronius, in *Resp. ad Reg. Angel.*, exponit.

QUID DE REVELATIONIBUS IN REBUS CONTRA COMMUNEM THEOLOGORUM SENTENTIAM NECDUM DEFINITIS, ET DISPENSATIONIBUS DICENDUM.

Scholium. Revelationes illæ, in quibus aliquid revelatum asseritur, quod quidem non unanimi, sed communi Patrum et Theologorum sententiæ adversatur, novitatemque continet, et in quibus

aliquid quod adhuc est sub judicio Ecclesiæ, et in quibus quis asserit sibi a Deo dispensatum esse in lege communi, naturali aut ecclesiasticâ, cautè examinandæ sunt. Hurtado, *de Vitiis generant. susp. in fide,* tr. 5, c. 6, § 14, et Del Rio, *Disq. mag.*, l. 4, c. 1, q. 7, sect. 4, docent non rejiciendam tanquam diabolicam, sed severè examinandam esse illam revelationem, quæ non quidem unanimi, sed tamen communi Patrum et Theologorum sententiæ repugnat, cùm piè et prudenter intellectum suis quoque probatis auctoribus et rationibus non absurdis stabiliatur. Et Matthæuccius, in *Practicâ Theologo-Canon.*, tit. 3, c. 3, art. 3, n. 6, contendit falsas vel dolosas non esse censendas revelationes adstruentes mysterium, vel aliquam circumstantiam etiam de Christo vel Beatissimâ Virgine expressè non declaratam per S. Scripturam, Traditiones, vel Sedis Apostolicæ definitiones, aut in scriptis Patrum non contentam, adeòque non repugnare quin alicui particulari personæ aliquid reveletur, quod adhuc est sub judicio Ecclesiæ. Quodsi dicatur in his revelationibus contineri novam doctrinam, respondet cavendam esse novitatem illam, quæ aliam fidem aut vivendi regulam præscribit, aut dissolvit christianam disciplinam, aut nocet animarum saluti. P. Joannes Cordesius Ossorius S. J., in suo voto super revelationibus servæ Dei Mariæ a Jesu de Agredâ, idem sentit. Econtra Arauxo, q. 23, et Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, c. 5, censent rejiciendas esse revelationes de re quæ adhuc est sub opinione. Denique veræ possunt esse revelationes, in quibus Deus dispensâsse dicitur in lege communi, sive naturali, sive ecclesiasticâ : Deus enim Abrahamo concessit ut filium suum occideret. His tamen publica fides non esset adhibenda nisi miraculo aut S. Scripturæ testimonio firmaretur, utì definit Innocentius III, c. *Cum ex injuncto, de Hær.*, quod latè probat Torre, in 2, 2, q. 95, a. 3, disp. 2, *assert.* 3. Profectò rejectæ fuerunt nonnullæ privatæ revelationes alicujus Eremitæ Angli contra electionem Urbani VI, allatæ, utpote nullo miraculo vel S. Scripturæ testimonio suffultæ, apud Balutium, t. 2 *Vitæ pap.*, et Raynaudum, ad an. 1386.

§ 554.

SECUNDO : SI AD MALUM NON PROVOCET.

Secundò. Si revelatio *malum* aut bonum *impediens majus bonum*, vel *malis admixtum, suadeat*, divina non erit. Nam

Christus, *Matth.* VII, docens attendere a falsis Prophetis qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, utitur similitudine arboris, quæ si malos fructus facit, mala erit, et pro regulâ tradit, v. 16 : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ergo si revelatio vel mala suadeat, vel majus bonum impediat, vel bonis mala misceat, nec bona nec a Deo erit. Nec obstat, quòd fortè omnia, quæ suggerit diabolus, vel hypocrita, bona sint : quia hoc moraliter fieri non potest, ut observat Maldonatus in hunc locum, ut diu sub ovinâ pelle lateat, quin aliquando delitescens lupus appareat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Scholium. Dicis I. : in S. Scripturâ videntur aliqua inspirata et revelata esse a Deo de re intrinsecè malâ, *Gen.* XXII, 2, quando Deus jussit Abrahamo immolare filium suum; *Exod.* III, 22, ut Israelitæ spoliarent Ægyptios; *Osee* I, 2, ut Propheta faceret filios fornicarios; II *Reg.* XX, ut Prophetam suus socius percuteret. Item Samson, *Jud.* XVI, 30, concussis columnis cum Philistæis obiit; et, *Mach.* VI, 46, Eleazar sub elephante regio cum hostibus ex instinctu Dei se occidit. Resp. : Deus, ex justis causis transferendo suum mortis et vitæ dominium in homines, tanquam executores, fecit ut Abraham sine parricidio posset filium occidere : vel solam etiam obedientiam tentavit; ut Israelitæ spoliarent Ægyptios, maxime cùm ob tyrannicam ablationem bonorum propriorum jus ad eorum bona habuerint; ut Osee sine fornicatione uteretur alienâ muliere, vel potiùs meretricem in uxorem acciperet; ut socius Prophetam adinstar chirurgi vulneraret; ut Samson et Eleazar indirectè more militum in bello se occiderent. II. S. Apollonia ex instinctu Spiritûs S. in rogum seipsam conjecit. Abbas Mucius jussu senioris Monachi filiolum suum in flumen projecisset, nisi a præmissis fratribus impeditus fuisset, et hac suâ obedientiâ se opus Abrahæ implevisse seniori revelatum est, teste Cassiano, l. 4 *Inst.*, c. 27. Item in vitis PP., l. 5 *Libell.*, n. 14, aliud simile factum narratur; et n. 18, aliud de projiciente ex obedientiâ filium suum in furnum accensum, et, l. 4, c. 11, de projiciente se ex obedientiâ in clibanum ignis, qui ambo per miraculum e flammis illæsi evaserunt. Resp. : Hæc omnia processerunt ex motione Spiritûs S. extraordinariâ, qui vitæ necisque Dominus est, ad probandam nonnullorum obedientiam ex speciali divino instinctu, utì miraculum illæsionis eorum comprobavit.

§ 555.

TERTIO : SI REVELATIONES INTER SE NON SINT CONTRARIÆ.

Tertiò. Si revelationes sint inter se *contrariæ* et *contradictoriæ,* pro divinis haberi non possunt. Nam spiritus veritatis, *qui docet omnem veritatem*, sibi ipsi contradicere non potest, *Joan.* XVI, 12 : adeoque nisi tales revelationes inter se conciliari possint, vel una præ alterâ careat exceptionibus, nihil probant, et judicium, seu assensus meliùs suspenditur de revelatione divinâ, cùm potiùs sit instinctus inferior, vel existimatio ex propriâ inclinatione, aut præconceptâ opinione.

§ 556.

QUARTO : SI REVELATIONES NON SINT NIMIS MULTÆ.

Quartò. Si revelationes sint *nimis multæ,* suspectæ esse possunt : quæ enim sunt adeo extraordinaria, etiam rara sunt. Unde S. Franciscus Salesius, l. 2, ep. 23, et cum eo Card. Bona, *de Discret. spirit.*, c. 20, n. 5, de quâdam feminâ, virtutum exercitio utcumque deditâ, quæ multis revelationibus abundabat, hoc judicium tulit : « Quantùm ad istius visiones, revelationes et prædictiones, sunt mihi admodum suspectæ, utpote inutiles, vanæ, ac nullius dignæ considerationis : quoniam unâ ex parte sunt adeo frequentes, ut vel sola frequentia et multitudo reddat illas suspicione dignas. » Et S. Theresia, in 9 *ex Monitis spirit.*, dicitur apparuisse Catharinæ a Jesu, et inter alia monita Provinciali referenda hoc posuit : « Ut nihil scribatur revelationis, neque rei hujus habeatur ulla ratio : licèt enim veritas sit, multas esse veras, attamen scitur etiam, non paucas esse falsas et mendaces, estque improbus labor desudare in eruendo veritatem ex centum mendaciis. »

HOC SIGNUM NON EST UNIVERSALE.

Scholium. Multitudo revelationum non semper est signum falsitatis earum, utì patet ab exemplo Prophetarum majorum, S. Birgittæ et aliorum. Ideo bene S. Salesius ex solâ hac multitudine aliqualem solùm suspicionem cepit. Nec S. Theresia illud monitum dedit, nisi modificatum ad circumstantias, quando incipiebat prævalere abusus, Provinciali applaudente, revelationes nimio in pretio habendi. Neque Gerson ejusmodi revelationes absolutè et semper contemnendas esse censuit, sed eas solùm in suspicionem vocat, ut abusus exinde orituros præoccupet.

§ 557.

QUINTO : SI NON SINT DE VANIS ET INUTILIBUS.

Quintò. Revelationes de rebus *inutilibus, frivolis et vanis,* admodum suspectæ sunt : quia non decet Deum loqui nisi gravia et utilia. Quare etiam S. Salesius, l. c., eas tanquam suspectas habet. Et Gerson, *de Dist. vis.*, signo 4 monet, licèt quæ revelantur aliquando non sint palàm S. Scripturæ, aut omnipotentiæ Dei contraria : « Sunt nihilominus refellenda tanquam inania et fatua, et divinæ sapientiæ incongrua, nec testimonio veritatis legitimè firmata, sed aliunde pertracta : quemadmodum si quis diceret, sibi esse revelatum quòd totus mundus movebitur cras motu recto, quòd unus Angelus annihilabitur, et postmodum recreabitur, non adducendo aliam utilitatem. » Potest tamen dari revelatio de rebus in se levibus, dummodo, saltem respectivè, ad aliquid utile conducant, ut in exemplo vulgari canis Tobiæ ac motu caudæ ipsius apparet : in quo nec ipse Gerson contrarius est.

§ 558.

SEXTO : SI REVELATA NATURALITER COGNOSCI NON POSSINT.

Sextò. Revelationes, quæ sunt *de rebus aliàs ratione hu-*

manâ cognoscibilibus, vel quæ *ingenio diaboli sciri possunt*, aliquando suspicione non carent, quia non videtur adesse semper sufficiens ratio, cur a Deo specialiter revelentur. Possunt tamen a Deo esse : nam multa ejusmodi de rebus aliàs scibilibus in S. Scripturâ occurrunt.

§ 559.

SEPTIMO : SI NON SINT CIRCA STATUM ANIMÆ VIVORUM, AUT MORTUORUM.

Septimò. Revelationes de *statu viventium in peccato mortali*, vel *mortuorum in inferno, aut in purgatorio*, sæpe suspectæ esse possunt, nisi alia signa evidentiora suspicionem excludant : quia tales revelationes, præter alia inconvenientia, periculum delinquendi contra charitatem afferunt : quia tamen hæc etiam utiliter, non contra, sed juxta charitatem revelari possunt, utì ex *Dialogis* S. Gregorii et *Actis Sanctorum* apparet, hoc signum pro universali accipiendum non est, et suspicio falsi ab aliis signis certioribus simul concurrentibus elidi potest.

§ 560.

OCTAVO : SI NON SINT DE REBUS RARO REVELARI SOLITIS.

Octavò. Revelationes de rebus et *arcanis rarò revelabilibus*, utì de prædestinatione, confirmatione in gratiâ etc., præjudicio omni non carent et cautè examinandæ sunt : utì enim notat S. Salesius, l. 2, ep. 23 : « Aliâ ex parte afferunt manifestationes quarumdam rerum, quas rarò Deus declarat, ut sunt securitas salutis æternæ, confirmatio in gratiâ, gradus sanctitatis plurium personarum, et centum res aliæ ejusdem furfuris, quæ ad nihil deserviunt. » Interim tamen quia prædestinatio, status gratiæ et perseverantia juxta Tridentinum,

sess. 6, c. 12, revelari possunt, absolutè de illis privatæ revelationes dari possunt, utì etiam ex *Actis Sanctorum* apparet.

§ 561.

NONO : SI EA SOLUM, QUÆ VIDENTUR DEUM DECERE, NON REVELENTUR.

Nonò. Revelationes, in quibus aliquid revelatur *S. Scripturæ aut Patribus nullatenus consonum* et a quâdam tantùm decentiâ deductum, periculis plenæ sunt. Ita monet Gerson, in *Ep. de suscept. humanit. Christi*, ubi ait : « Decima nona veritas : Christus si asseritur aliquid ad extrà facere debere, quia decet eum sic facere, fallitur id asserens; quia præsupponit quod est æquè plus ignotum : ut si quis ita paralogizet : Christus potuit communicare Matri suæ quòd gloriosâ et consummatâ felicitate nasceretur, et hoc decuit eum facere, quia decuit eum Matrem honorare : ergo sic fecit. Constat quòd conclusio est hæreticalis, et tamen præmissæ assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis.... Christus si perquiratur a talibus, cur honoravit Matrem suam in gratiis istis, et non in aliis omnibus, quibus poterat? Respondeas, quis es homo, ut investiges sensum Domini? quis es, ut præsumas dicere : Cur ita facis? Ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, et terminis suis contenta sit. »

§ 562.

SIGNA REVELATIONIS DIVINÆ EX PARTE PERSONÆ.

Signa revelationis divinæ *ex parte personæ* cui fiunt, eadem sunt, quæ in superioribus, de visionibus et apparitionibus tractantes, assignavimus, a n. 519 ad 528.

REVELATIONES FEMINARUM DILIGENTIUS EXAMINANDÆ SUNT.

Scholium. Revelationes feminarum diligentissimè examinandas esse monet Benedictus XIV, *de Serv. Dei Beat.*, t. 3, c. ult., non quasi sexui femineo revelationes divinæ negandæ sint, cùm fortè plures ex iis quàm ex viris eas expertæ sint, utì innuit S. Theresia, *Vit.*, c. ult., ex testimonio S. Petri de Alcantara : et probat S. Thomas, 2, 2, q. 82, a. 3, ad 3, ex eo, « quòd scientia, et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quòd homo consideret de seipso, et ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quòd hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediant, et in simplicibus et mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam, et quamcumque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur. » Verùm ex hoc non sequitur, quòd major diligentia in revelationibus feminarum quàm virorum examinandis adhibenda non sit, ob debilem sexum, et illusionibus magis obnoxium, utì inter alios notat Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 2, l. 1, c. 2.

§ 563.

SIGNA REVELATIONIS DIVINÆ EX PARTE EFFECTUUM.

Signa revelationis divinæ *ex parte effectuum* subsequentium jam etiam allata sunt, a § 529 ad 536 cùm de Visionibus et Apparitionibus ageretur.

ADHORTATIO AD BONUM REVELATIONUM USUM.

Corollarium. Quamdiu anima humilis corde fuerit, secura in revelationibus procedet. Hoc quippe privilegium veræ humilitatis est, infallibiliter teneri a Deo, ne cadat, et illuminari, ne seducatur, imò ipsas, si quæ sint, illusiones in animæ utilitatem convertere. Nam, *Eccli.* III, 20, dicitur : *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Unde bene monet Gerson, *de Dist. revel.*, sign. 4 : « Monitiones omnes intrinsecæ, omnes instinctus vehementes, omnis revelatio, omne miraculum, omnis amor exstaticus, omnis contemplatio, omnis raptus, omnis denique nostra interior exteriorve operatio, si humilitas præcedit,

et comitetur, et sequatur, si nihil eam perimens misceatur, crede mihi, signum habent, quòd a Deo sunt, nec falleris. » Quòd si igitur anima aliquod tangatur typho superbiæ, quam ultro admittit, hoc unum sufficit, ut in revelationibus affatim periclitetur; utì enim notat S. Theresia, in *Fundat.*, c. 8 : « Si Dominus noster ob suam bonitatem vult se repræsentare alicui animæ, ut hæc illum magis cognoscat et amet, vel aperire illi aliquod secretum suum, vel singularibus eamdem deliciis ac beneficiis cumulare, illa tamen, ut dixi, exinde, unde confundi debuerat et agnoscere quàm parum sua vilitas talia mereatur, subitò se sanctam æstimat, putans ob aliquod servitium suum hoc retribui, clarum est, bonum grande, quod inde reportare posset, araneæ more, convertere in malum. »

§ 564.

REVELATIO FUTURORUM DICITUR PROPHETIA. — PROPHETIA QUID.

Revelatio, per quam futura manifestantur, dicitur *Prophetia*, quæ proinde est futurorum prænognitio : juxta illud, I *Petri* I, 10 : *De quâ salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt.*

PROPHETIA PROPRIÈ EST DE FUTURIS.

Schol. I. Prophetia subinde in S. Scripturâ etiam extenditur ad præterita, utì *Joan.* IV, 19, ubi mulier Samaritana Christi sibi dicenti quòd quinque viros habuerit : dixit : *Propheta es tu.* Nonnunquam est de præsentibus occultis; nam, *Luc.* VII, 39, Pharisæus intrà se dicebat de Christo : *Hic, si esset Propheta, sciret quæ et qualis est mulier quæ tangit eum.* Interim S. Thomas, 2, 2, q. 171, a. 3. Prophetiam propriè vult esse de futuris, quod probat auctoritate S. Gregorii, in *Ezech.*, idemque latè prosequitur Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, *de Vis. Proph.*, c. 25, quos et nos hìc sequimur.

PROPHETIA COGNITIONEM ET MANIFESTATIONEM INCLUDIT.

Schol. II. Prophetia consistit in cognitione et cognitorum manifestatione. Sed Card. Lauræa, in 3 *Sent.*, t. 4, d. 19, a. 9, ostendit manifestationem præcellere cognitionem, cùm gratiæ gratis

datæ sint manifestationes spiritûs in aliorum utilitatem. Item juxta S. Thomam, l. c., a. 2, ad Prophetiam requiritur lumen supernaturale. Unde cognitio Prophetarum ex parte Dei continet quodammodo divinam et increatam actionem, quæ *revelatio* seu *locutio* Dei appellatur; ex parte Prophetæ verò, quatenus ab ejus intellectu vitaliter elicitur, dicitur juxta diversum modum revelandi vel *visio*, vel *auditio*.

QUOMODO FIAT REVELATIO PROPHETICA.

Schol. III. Ut Propheta cognoscat, opus est ut ejus intellectui repræsententur ea quæ debet cognoscere et manifestare; quæ quidem repræsentatio fit vel sensibiliter per sensus externos, vel imaginariè per sensum internum; vel omnino independenter a quocumque sensu, et est repræsentatio purè intellectualis, qui tertius gradus Prophetiæ est perfectissimus, in quo nulla est cum sensu communicatio; medius verò est, qui dependet a sensu interno; infimus, qui a sensibus externis oritur. Utî jam alibi de Visionibus et Locutionibus fusiùs ostensum fuit, ubi etiam notatum est, hos gradus distingui, non quatenus, secundùm aliquem eorum, cognitio Prophetæ consistit in solâ sensatione externâ; semper enim debet pertingere ad intellectum; sed quia in supremo cognitio non oritur a sensibus, neque ab illis dependet, utî in aliis duobus.

PROPHETICA REVELATIO FIT PER ANGELOS.

Schol. IV. Prophetica revelatio fit per Angelos : sic, *Gen.* xvi, Angelus loquitur ad Agar; *Gen.* xix, Angeli Lot alloquuntur; *Gen.* xxvi, 4, Angelus loquitur ad Abraham : *Multiplicabo semen tuum; Luc.* i, 19, Angelus apparuit Zachariæ dicens : *Missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.* Et multa alia collegit Olivarius, *Tr. de Prophetiâ.* Divinam tamen dicendam esse docet S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 2, cùm Angeli illuminationes et revelationes divinas tanquam Dei ministri ad homines deferant. Sed Card. Lauræa, l. c., § 2, ait non repugnare ut Deus ipse per se Prophetæ loquatur, ostendens ei quæ manifestare debet, juxta illud, *Is.* vi, 8 : *Audivi vocem Domini dicentis : Vade, et dices populo huic.* Admittit tamen Deum regulariter Prophetas allocutum esse, et nunc alios alloqui per Angelos. Vide quæ de hac re in superioribus, de Visionibus et Locutionibus dicta sunt.

PROPHETIA QUOTUPLEX.

Schol. V. Prophetia ex parte luminis dividitur in *perfectam*, per quam cognoscitur res revelata, revelatio, et Deum esse qui revelat; et in *imperfectam;* per quam non ita certò cognoscitur veritas, neque a quo fiat revelatio, et utrùm spiritus propheticus, an proprius loquatur, et hæc dicitur *instinctus propheticus*, cui falsum subesse potest. Ex parte objecti cogniti dividitur in Prophetiam *comminationis*, per quam Deus revelat aliqua futura conditionata in decretis suo modo conditionatis, quæ per alia decreta absoluta impediri possunt; unde sensus revelationis non est quòd talia absolutè erunt, sed solùm quod erunt, quantùm est ex vi causarum ad eam determinatarum, in quo includitur hæc conditio: nisi desuper impediantur : quamvis Prophetæ sæpe hanc conditionem non explicent, sed videantur loqui absolutè. Alia est Prophetia *præscientiæ*, per quam Deus revelat futura dependentia a libero arbitrio creato, quæ videt præsentia in æternitate. Alia est Prophetia *prædestinationis*, cùm revelat quæ ipse duntaxat facturus est, cernitque præsentia in æternitate et decretis absolutis. Ex parte medii, seu specierum, quibus revelata repræsentantur, dividitur Prophetia in *intellectualem*, *imaginariam et sensibilem*, seu corporalem. Ex parte modi cognitionis Prophetia dividitur in eam quæ fit *absque alienatione a sensibus*, quæ nomen commune Prophetiæ retinet, et in eam quæ fit *cum tali alienatione* et dicitur *Raptus*, de quo inferiùs. Quæ omnia fusè explicant Salmanticenses, t. 3, n. 173, et Torreblanca, *de Magiâ*, l. 1, c. 1, *de Proph.* Et præter has divinas et veras Prophetias, dantur etiam fictæ et existimatæ Prophetiæ, fictæ per diabolum, existimatæ per imaginationem propriam, quæ non absolutè, sed pseudoprophetiæ sunt.

SUBJECTUM PROPHETIÆ.

Schol. VI. Subjectum Prophetiæ sunt Angeli boni, dæmones, viri, mulieres, pueri, Ethnici : neque in homine, ut sit prophetiæ subjectum, vel aliqua naturalis dispositio vel morum probitas requiritur, licèt hæc Prophetæ multùm conferant. Angelus quidem futura libera et contingentia cognoscere nequit, utì contra Durandum docent Theologi. Nihilominus fit Propheta, si illi Deus hæc revelet. Nec quidquam obstat, quin Deus possit utì dæmone ut futura manifestet. Et quod attinet ad mulieres, pueros et Gentiles, Maria, soror Moysis, Anna, Samuelis mater, Elisabeth, mater

S. Joannis, Prophetissæ fuerunt ; Samuel et Daniel, adhuc pueri, Prophetiâ claruerunt ; Balaam Gentilis inter alia adventum Messiæ, vastationem Assyriæ et Palestinæ prædixit, *Num.* XXIV, utì latè probat Gotti, *de Ver. Relig.*, c. 3, etc. Item S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 6, ut suadeat Ethnicos esse capaces Prophetiæ, utitur exemplo *Sibyllarum*, quas, licèt gentiles, in præmium virginitatis dono Prophetiæ insignitas fuisse putat S. Hieronymus, l. 1 *Adv. Jovin.* Antiqui Patres et Auctores Ecclesiastici laudant earum oracula, utì videri potest apud Nat. Alexandrum, *Hist. Eccl.*, sæc. 1. Casaubonus et Blondellus earum veritati quidem refragantur ; sed Eudemon, l. 1 *pro Baronio*, Joannes Caserius, apud Huetium, in *Demonst Evang.*, 9, § 10, et ex Sectariis, Isaac Vossius, l. *de Sybill. orac.*, eos strenuè refutant. Exstant quidem Sibyllarum carmina a multis sæculis interpolata ; sed hoc non officit, quominus multa, præsertim quæ a Patribus laudantur, genuina sint.

AD PROPHETIAM NON REQUIRITUR NATURALIS DISPOSITIO, NEC MORUM PROBITAS.

Schol. VII. Quod spectat ad naturalem dispositionem ad prophetandum, S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 3 et 4, docet Deum posse animam in creatione disponere ad prophetiam, eique conferre gratiam prophetandi. Quare Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, *de Vis. Proph.*, negat dispositionem naturalem requiri ad Prophetiam, nisi quantùm ad usum, quod etiam desumitur ex S. Gregorio, *Hom.* 30 *in Evang.*, ubi ait : « Implet Spiritus S. citharœdum puerum, et Psalmistam facit pastorem armentorum, et sycomoros vellicantem Prophetam facit. » Et Card. Lauræa, d. 19, hoc ipsum ex eo infert, quòd Deus Prophetiam hominibus omnis sexûs et ætatis communicaverit. Pro usu tamen Prophetiæ requiruntur intellectus et sensus interni, et aliquis externus, cùm ea sit manifestatio spiritûs in utilitatem aliorum. Unde Deus ad manifestanda futura vel occulta nunquam usus est irrationali aut mortuâ creaturâ, licèt usus sit semel asinâ, ut Balaam corriperet, *Num.* 22. Interim S. Thomas, l. c., ex S. Hieronymo, *super Matth.*, ait usum Prophetiæ impediri posse per naturalem indispositionem, licèt hæc virtute divinâ removeri possit. Quoad morum bonitatem, idem S. Thomas, l. c., ait Prophetiæ donum per se non requirere conjunctionem cum Deo per charitatem, adeoque etiam peccatoribus aliquando communicari : addit Prophetiam dari, et pertinere ad intellectum, et in utilitatem Ecclesiæ, sicut dantur aliæ gratiæ gratis datæ, et aliquem ob morum malitiam impediri posse ne prophetet,

quia elevatio mentis requisita ob vehementiam passionum deficere potest : quæ omnia confirmantur, c. *Multæ*, c. 1, q. 1, ubi dicitur : « Prophetia, quæ in malis hominibus etiam fieri solet. » D. Calmet, in *Prol. ad Proph.*, narrat : Rabbinorum sententiam fuisse, quòd spiritus Prophetiæ tantùm resederit super homines sapientiâ, divitiis et potentiâ præstantes, gratiam verò Prophetiæ retulisse ad indolem, studium, et similia quos idcirco strenuè redarguit. Notum est quantùm res Galliæ sub Carolo VII juverit Joanna Darcia, Aurelianensis puella dicta; sed quomodo factum sit, ut virgini rusticæ commissa sit cura ducendi exercitum, explicari nequit, nisi ad spiritum propheticum referatur, quo præditam fuisse solidis fundamentis censuerunt Theologi et Doctores Parisienses. Indubitatum quoque est eam bonis moribus claruisse, utì ostendit Spondanus ad an. 1430; cùmque de ejus sanctitate necdum actum sit, infertur Prophetiæ donum a sanctitate sejunctum esse posse.

PROPHETIA NON DATUR IN HABITU.

Schol. VIII. Nullus purus homo (adeoque excipitur Christus ratione unionis hypostaticæ) habuit cognitionem propheticam in habitu vel potestate suâ, ita ut quamcumque rem occultam cognoscere, et de eâ pro libitu prophetare posset, ut patet IV *Reg.* IV, 27, ubi Elisæus dixit : *Dominus celavit a me.* Et Prophetæ communiter sic incipiunt : *Factum est verbum Domini*, etc. Quod idem probant S. Thomas, 2, 2, q. 172, a. 2, et D. Calmet, *Prol. ad Proph.*

§ 565.

SPIRITUS PROPHETIÆ FUIT SEMPER IN ECCLESIA.

Fuit semper a temporibus Apostolorum *in Ecclesiâ*, ac perseveravit in posterum *spiritus Prophetiæ.* Prob. 1° ex S. Scripturâ, ubi S. Apostolus, I *Cor.* XII, 28, ait : *Deum in Ecclesiâ dedisse, primùm Apostolos, deinde Prophetas.* Et v. 10, inter gratias gratis datas datur *alii Prophetia.* Et ex I *Cor.* XIV, et *Eph.* IV, apertè patet multos fuisse in primitivâ Ecclesiâ Prophetas. Unde, dum, *Matth.* XI, 13, dicitur : *Omnes Prophetæ et Lex, usque ad Joannem, prophetaverunt,* intelligendum est quòd Legis et Prophetarum ordo cessaverit in Joanne per adimpletionem, non verò per destructionem. 2° Patet ex

PP. Sæculo IIº S. Justinus, *Dial. in Tryph.*, ait : « Apud nos hucusque etiam prophetica exstant dona : unde et vos intelligere debetis, quæ olim in genère vestro fuêre esse in nos translata. » S. Irenæus in exitu sæculi IIˢ, l. 2 *Adv. hær.*, c. 57, inter gratias gratìs datas tunc inter fideles frequentes inquit : « Alii et præscientiam habent futurorum, et visiones et dictiones propheticas. » S. Augustinus, sæculo IVº, l. 2 *Contra advers. Leg. et Proph.*, ait : « Nesciens (est) eos Prophetas illic commemoratos esse ab Apostolo, I *Cor.* XII, 28, qui post Christi adventum fuerunt. » S. Hieronymus, in *Matth.* XI, 13, illud : *Omnes Prophetæ*, etc., exponit : « Non quòd post Joannem excludat Prophetas, sed Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt esse venturum, Joannes venisse ostenderet. » S. Thomas, 2, 2, q. 174, a. 6, ad 3, docet : « Singulis temporibus non defuerunt aliqui Prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam Fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem. » Item in actis Canonizationis SS. Petri de Alcantara, Xaverii, Paschalis de Baylon, etc. In causâ quoque S. Pii V ritè probatum est ipsum divinitus rescivisse diem et horam victoriæ a christianis ad Echinadas insulas contra Turcas obtentæ. Et in causâ S. Catharinæ Bononiensis constitit eam prædixisse Hannibalem Bentivolium de Philippo duce Mediolanensi triumphaturum, et Constantinopolim in manus Turcarum casuram, prout etiam cecidit. 3º Ratio est : Prophetia est una ex potissimis et antiquissimis gratiis gratìs datis, quâ Deus maximè usus est ad fidem stabiliendam, utì ait Suarez, *de Fide prol.*, III, et signum et nota veræ Ecclesiæ, utì probant Bellarminus, l. 4 *de Eccl.*, c. 15, et Bozius, l. 6 *de Sign. Eccl.* Sicut enim Christus, *Marc.* ult. promittit Ecclesiæ donum miraculorum, ita etiam, *Joel* II, juxta expositionem S. Petri, *Act.* II, promittit donum Prophetiæ : Ergo donum Prophetiæ hodiedum in Ecclesiâ perseverat.

PROPHETIA DIVINA EST INFALLIBILIS.

Scholium. Prophetia strictè talis divina est infallibilis veritatis,

quia divinæ revelationi infallibili innititur. Unde excludenda est hæresis Apellis, qui apud Castro, l. 9 *Hæres.*, 1, docuit Prophetas etiam sacros falsas docuisse, et inter se contraria, quæ insolentissima est blasphemia contra Deum ipsum insurgens, qui locutus est per Prophetas suos juxta illud, *Luc.* I, 70 : *Sicut locutus est per os Sanctorum qui a sæculo sunt Prophetarum ejus.*

§ 566.

DANTUR ETIAM PSEUDOPROPHETIÆ IMAGINARIÆ.

Dæmon etiam, divinæ gloriæ æmulator, sæpe *fictas Prophetias et oracula fundere* et edere *consuevit.* Prob. 1° ex S. Scripturâ. *Deut.* XVIII, 11, inter abominationes Chananæorum, a quibus Deus populo suo cavere jussit, hæc habetur, ne in illo inveniatur *qui Pythones consulat, nec divinos.* Et *Lev.* XX, 27 : *Vir, sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur.* Et *Is.* VIII, 19, increpatur consilium impiarum, qui dicebant Israelitis in conflictu positis : *Quærite a Pythonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis.* Accedunt exempla, I *Reg.* XXVIII, 7, ubi Saul jam reprobus, in magno belli conflictu, videns se ab omni oraculo Dei derelictum, dixit : *Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam.* Item IV *Reg.* I, 2, impius Ochozias ex casu de loco sublimi ægrotans dixit servis suis : *Ite, consulite Beelzebuth deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate meâ hac.* Et *Act.* XVI, 16, dicitur S. Paulo cum socio occurrisse puellam *habentem spiritum pythonicum.* Et de Prophetis a dæmone illusis manifestè patet, III *Reg.* XXII, 22, ubi Deo permittente dixit unus de malignis spiritibus : *Ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*, et dæmonem ex antris vel statuis responsa dedisse pluribus ostendit Villalpandus, t. 1, p. 1, *in Ezech.*, c. 2. 2° Patet ex PP., quos per singula sæcula collegit Gravina, in *Lap. Lyd.*, t. 1, c. 6. Inter quos Tertullianus, in *Apol. contr. Gent.*, c. 22, ait : « Æmulantur dæmones divinitatem, dum furantur divinationem. » S. Cyprianus,

l. *de Idol. van.*, inquit : « Hi ergo Spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt : hi afflatu suo vatum pectora inspirant.... Oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt, nam et falluntur et fallunt. » Similiter Origenes, *in Num., hom.* 16; Minutius Felix, in *Octav.*, post. med.; Arnobius, l. 8 *Contr. gent.;* Clemens Alex., in *Admon. ad gent.;* S. Gregorius Naz., or. 1, *ad Eunom.;* S. Hieronymus, in c. 23 *Jer.;* Lactantius, l. 2, *Div. Inst.*, c. 15; et Eusebius Cæsar, l. 5 *de Præp. Evang.*, c. 4, ex confessione Plutarchi convincit, dæmones consuevisse in statuis oracula dare, et ex confessione Porphyrii, c. 1 et 8, oracula post Christum defecisse : id quod tamen non omnino admittit P. Graveson, *de Myster. et ann. Christi*, diss. 8. Testatur tamen S. Athanasius, l. *de Incarn. Verbi*, n. 46, dicens : « Quando apud Græcos et ubique gentium oracula cessaverunt, et in nihilum redacta sunt, nisi cùm usque ad terram sese manifestavit Dominus? Et, in *Vit. S. Anton.*, n. 33, habet : « Hæc gentilitatis fuere principia, his præsagatorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula, quæ adventu D. N. Jesu Christi indicto sibi silentio obmutuerunt, suosque perdidêre captivos. » Et S. Augustinus, l. *de Divinat. dæm.*, c. 6 et 7, probat ipsa oracula, præsertim dæmonem Serapidis, futuram ipsorum stragem juxta veram Sophoniæ II, 11, Prophetiam dissimulare non potuisse. Quod idem docet S. Thomas, 2, 2, q. 94, a. 1. Et S. Bonaventura, in 7 *Proc. Rel.*, c. 18, dolet quòd vaticiniis a spiritu erroris procedentibus usque ad fastidium repleti simus. 3° Ratio est quia dæmon ex superbiâ luciferianâ ut Deus æstimari et coli ambit : quod per viam divinationis et pseudoprophetiarum non rarò a sceleratis hominibus obtinet.

QUOMODO DÆMON SUAS PSEUDOPROPHETIAS EDAT.

Scholium. Certum est non posse dæmonem vi suâ naturali futura contingentia libera prædicere, utpote quod soli Deo competit, *Is.* XLI, 23 : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Licèt ea in causis suis certò vel conjecturaliter

cognoscere possit, prout hæ causæ vel necessariæ, vel contingentes fuerint. Interim tamen, quando dæmon etiam non certò attingit scientiâ suâ futura, solet tamen prædicere illa ut certa : cùm enim sit mendax, de veritate non est sollicitus, cùmque sit superbus et malignus, eò solùm intendit, ut pro divino vel Deo habeatur, et vanâ credulitate animas perdat. Ne verò in falsitate deprehensus a magis cordatis contemnatur, solet prædictiones suas vel mussitando non satis perceptibiliter, vel utendo verbis ambiguis et ænigmaticis, ad quemlibet effectum accommodare, utì observatum est in celebrioribus veterum oraculis : et ut animas eò faciliùs seducat, subinde etiam plura sancta revelare et prophetizare non veretur. Respectu somniantium dæmon nonnisi per imaginarias visiones et locutiones, divinationes suggerere potest ; non potest tamen mortuum suscitare verè, sed solùm apparenter aut præstigiosè, vel in illo loqui, utì in statuis aut aliis rebus inanimatis. Item proprium est divinatorum diabolicorum, ut nonnisi extra se rapti, et nihil eorum capientes quæ dicunt, divinare soleant, sicut fit in energumenis, cum hoc solo discrimine, quòd in his sæpe dæmones nec curent, nec permittantur futura prædicere : quæ omnia ex dictis Patrum paulò ante citatis colliguntur, et de iis videri potest Pignatelli, *Consultat.*, 81 et sqq.

§ 567.

DANTUR ETIAM PSEUDOPROPHETIÆ IMAGINARIÆ.

Subinde etiam *revelationes divinatoriæ*, tantùm *imaginariæ* existimatæ, et pseudoprophetiæ *contingere possunt*. Prob. 1° ex S. Scripturâ. Sic Ezechiel XIII, 3, contra pseudoprophetas Israel, prophetantes de corde suo, clamat : *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* Et 7 : *Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : Ait Dominus, cùm ego non sim locutus.* Similiter, a v. 17, adversùs pseudoprophetissas, de corde suo prophetantes, vana videntes, et divinationes divinantes, invehitur. Id quod Cornelius a Lapide de iis exponit qui sequuntur id quod suggerit et inspirat non Deus, sed phantasia, humana cogitatio, appetitus et concupiscentia, idque venditant pro Dei oraculis. Tales etiam fuerunt illi

pseudoprophetæ Judææ, de quibus, *Thren.* II, 14, dicitur : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta : viderunt tibi assumptiones falsas et ejectiones.* Id est, juxta Sanctium, « quæ humana potiùs cogitatio, et mens omnino cæca fundebat : » Denique multoties a Deo in S. Scripturâ, *Lev.* XIX, 26 ; *Deut.* XVIII, 10; II *Paralip.* XXXIII, 6; *Jerem.* XXIX, 8, divinationes per somnia prohibentur, quæ sunt pseudoprophetiæ imaginariæ. 2° Patet ex PP. S. Augustinus, l. 12 *de Gen. ad litt.*, c. 17, narrat de quodam puero ægrotante, qui perturbatâ phantasiâ aliqua prædixit. S. Gregorius, *Hom.* 1, *in Ezech.*, etiam de veris Prophetis ait : « Sciendum, quòd aliquando Prophetæ Sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, et se hæc spiritu prophetiæ dicere suspicantur. » Quod exemplo Prophetæ Nathan confirmat. Cui etiam S. Thomas, 2, 2, q. 171, a. 5, suffragatur. 3° Ratio est quia vel in somniis vel in vigiliâ aliqua apprehendi seu imaginari possunt, quæ aliquos futuros effectus significent : quia verò cum suâ causâ nullam necessariam connexionem habent, ideo vel solùm casualiter subinde reipsà eveniunt, vel ferè semper nonnisi falsa prænuntiant.

ANIMÆ HUMANÆ NULLA INDITA EST VIS FUTURA PRÆSCIENDI.

Scholium. Nonnulli ex philosophis divinandi munus animæ adscripserunt, quasi illa ex suis principiis vim quamdam adjunctam haberet, futura præsciendi. Nonnulli etiam docuerunt animam a sensibus expeditam, ut in somno præsertim, et in moribundis, mirabilia sentire et non rarò loqui futura, quæ vera esse eventus subsequens comprobavit : quod idem ad melancholicos extendunt. Verùm hi sufficienter ex præcedentibus refutantur, imò ipsi etiam philosophi christiani efficaciter probant hominis animæ nullam inditam fuisse facultatem futura cognoscendi, tum quia futura libera nec in se, nec in suis causis existunt; sed a voluntate et decreto Dei nobis incognito dependent : tum quia illius necdum species exstant, ut ita futura libera a solo Deo, non verò ab homine cognosci possint : unde rectè Philostratus subdit : « Omnis divinandi ars naturæ metas excedit, et humanæ menti nullo modo pervia est, cùm ad hujusmodi ascensum impossibile sit ut feratur, nisi dictante Deo, aut dæmone plerumque falsa suggerente, licèt

aliquando vera, ut stultos arctiùs irretiat. » Admittunt quidem Philosophi aliquem solertissimum et rerum usu expertum posse, ex causis aliquo modo manifestis, vel non omnino occultis, judicium de venturis proferre, et explicant quomodo id possint melancholici, aut morientes, quin tamen inde inferatur insitam esse animæ facultatem prædicendi futura, aut eorum cognitionem soli Deo non esse reservatam : de quo legi possunt Valesius, in *Sacr. Philos.*, c. 30, et Zacchias, *Quæst. medico-leg.*, l. 4, q. 5, a. 1. Equidem S. Gregorius, l. 4 *Dial.*, c. 26, ait : « Ipsa aliquando animarum vis subtilitate quâdam suâ aliquid prævidet. » Et in eodem et sequenti capite quosdam casus proponit, quibus ostendit moribundos aliquando futura prænovisse et prædixisse. Quod ipsum Plato, in *Apol.*, jam antea docuerat; et Cicero, l. 1 *de Divinat.*, inquit : « Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Possidonius, quo affert Rhodium quemdam morientem sex æquales nominâsse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. » Imò Plato et Aristoteles majorem divinandi dispositionem fatuis, stupidis et melancholicis attribuerunt. Sed hæc de divinationibus cum suis causis naturalibus connexionem habentibus bene explicat de la Torre, in 2, 2, q. 95, a. 1, disc. 2, dicens : « Non abnuimus esse quosdam homines magis dispositos ad divinandum, id est, ad prædicendos eventus naturales ex agnitione suarum causarum naturalium, cum quibus habent naturalem commixtionem. Nam sicut bruta divinatione naturali magis pollent quàm homines, utpote a quibus solent homines signa eventuum naturalium desumere : pisces quidem nautis incautis tempestates præmonstrare, aves agricolis, armenta bubulcis, pecora pastoribus; nam datus est brutis instinctus quidam naturæ pro prudentiâ : sic inter homines, fatuis, et rudibus, ac amentibus, data est divinatio naturalis pro prudentiâ. Causa hujus est, quia sicut bruta majorem habent affinitatem cum causis corporalibus, sic, inter homines, ii qui fatui et stupidi sunt parùm dissident a brutis in suis actionibus. De moribundis dicimus, si divinant quæ per naturam scire non possunt, ea prænoscunt et prænuntiant, Deo illustrante eorum mentes divinitus, et hoc est quod loco citato probat Gregorius, adductis tribus aut quatuor exemplis. Sic legitur Jacob egisse, c. 41, jam morti appropinquans, et Moyses, *Deut.* xxxiii. At verò si morituri prædicunt futura, quæ certas causas naturales habent, id faciunt quia aliquando, eâ horâ impeditis sensuum motibus, mens ad intrà colligitur, et meliùs ac exactiùs contemplatur : quia variis multiplicibus motibus sensuum neque perturbatur, neque distrahitur. »

§ 568.

SIGNA VERÆ PROPHETIÆ EX PARTE MATERIÆ.

PRIMO : NON SIT CONTRA VERITATEM ET PIETATEM CHRISTIANAM.

Signa, quibus veræ Prophetiæ a pseudoprophetiis distingui valeant, iterum vel ex parte materiæ, vel personæ prophetantis, vel effectuum subsequentium desumi possunt. Et quidem *ex parte materiæ. Primò* perpendendum est an ea cum veritate et pietate christianâ fuerint conformia quæ prophetantur, juxta dicta, § 553.

§ 569.

SECUNDO : SI NON SIT CIRCA RES CURIOSAS ET INUTILES.

Secundò. Prædictiones *vanitatum,* insaniarum falsarum, *curiosarum* et rerum inutilium verum Prophetam non decent. Nam, *Is.* XLVIII, 17 : *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus docens te utilia, gubernans te in viâ quâ ambulas.* Et I *Cor.* XIV, 3, dicitur : *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem.*

UNDE PROPHETIS PASSIM SINE DISCRETIONE NON CREDENDUM.

Scholium. Cajetanus, 2, 2, q. 174, q. 6, ostendit, dicenti se esse Prophetam non esse credendum in rebus publicis, quales sunt prædicare, celebrare, sententias in judicio ferre, nisi miraculo aut speciali S. Scripturæ testimonio missionem suam confirmet, c. *Cùm ex injuncto, de Hæret.* Eumdem verò posse audiri a privatis personis, si earum privatos actus dirigat juxta universales Ecclesiæ regulas, juxta illud, I *Thessal.*, 19 : *Prophetias nolite spernere;* aliter, si malum et regulis Ecclesiæ difforme suadeat.

§ 570.

TERTIO : SI VERA OCCULTA CERTO ET NON CONJECTURALITER PRÆDICANTUR.

Tertiò. Ponderandum, an quæ prædicta sunt reverà *humanam cognitionem latuerint,* utì futura contingentia : et an prædicens conjecturalem eorum scientiam habere potuerit; an dubitando, adhibitis verbis : *Fortè, poterit esse,* futura revelaverit; aut prædicendo, pro dictorum confirmatione, humanis ratiociniis usus fuerit. Nam utì D. Calmet, *Proleg. in Proph.,* a. 4, ait : « Ad prophetiam spectat, res prorsus latentes apertâ quâdam, certâque fide revelare, quanquam alioquin nullam habeant cum causis secundis ac naturalibus conjunctionem. Nihil enim contra naturæ leges audet astronomus, si futuram solis eclipsin; nihil philosophus, si pendentem a causis sibi exploratis effectum prædixerit. Verùm si Vatem prædicentem audiamus fortuitum quemdam effectum ex causis liberis et in utramque partem dispositis pendentem, id autem pluribus ante sæculis ab illo revelatum constet : si ortum hominis, cujus ipse nomen, victorias, res gerendas, obitumque prænuntiaverit : si prodigium aliquod præsentis temporis circumstantiis prorsus repugnans; nihil ego tunc humani suspicor, sed omnia ad Deum duxerim referenda. » Et Scacchus, *de Not. Sanct.,* sect. 8, c. 2, inter alias, sequentes circumstantias assignat : « Si prædictioni additæ fuerint particulæ *fortè,* etc., et aliæ hujus modi, quæ formidinem de opposito subindicant, etc. Quæ verò conjecturaliter prædicuntur ex antecedentibus, vel similibus, etc., vel rationibus formatis per aliquem discursum ex antecedentibus et consequentibus, cuncta conjecturalem cognitionem fuisse subindicant, non autem spiritum propheticum. »

§ 571.

QUARTO : SI PROPHETA VATICINIA SUA CERTO COGNOSCAT.

Quartò. Attendendum, an *Propheta* verè, si non omnia, saltem aliqua *cognoverit* eorum *quæ prophetavit;* docet enim S. Thomas, 2, 2, q. 173, a. 4, mentem in revelatione propheticâ diversimodè a Spiritu S. moveri : quando autem aliquis cognoscit se a Spiritu S. moveri, ad aliquid verbo vel facto significandum, hoc propriè pertinere ad Prophetiam, et quando non cognoscit, tunc esse instinctum propheticum.

§ 572.

QUINTO : SI PRÆDICTUM EVENERIT.

Quintò. Ut tutum de verâ Prophetiâ feratur judicium, advertendum, *an futurum contingens prædictum evenerit.* Ita desumitur ex *Deut.* XVIII, 21 et 22, ubi Deus ita loquitur : ***Si tacitâ cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quòd in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit : hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.***

EXCIPIUNTUR PROPHETIÆ COMMINATORIÆ ET CONDITIONATÆ.

Schol. I. Hæc regula nonnullas admittit limitationes. *Prima* est, si Prophetia non fuerit absoluta, sed comminativa et conditionata, vera est ac divina, licèt non acciderit quod Propheta prædixerat; hæc enim profertur a Prophetis juxta leges divinæ Justitiæ, attentis præsentibus circumstantiis, et hominum demeritis, quibus immutatis, Deus avertit quod fuerat prædictum. Exempla suppeditant Jonas prædicens Ninivitis eversionem, et Isaias prænuntians Regi Ezechiæ, lethaliter decumbenti, mortem : quorum neutrum

evenit, sublatis culpis ac mutatis circumstantiis a quibus prædictio pendebat. Id quod Deus ipse declarat, *Jer.* XVIII, 7 et 8, dicens : *Repente loquar adversùm gentem, et adversùs Regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversùs eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* De his Prophetiis comminatoriis et conditionatis agit S. Thomas, 2, 2, q. 171, a. 6, ad 2, et Cajetanus, 2, 2, q. 173, a. 4, ubi docet Prophetam, cui aliquid revelatur futurum in causis illis, evidenter illud in iisdem cognoscere, sed non oportere quòd sciat an actu eventurum sit, et quantum est ex vi illius propheticæ cognitionis, ambiguum remanere in ejus mente, an illud sit futurum, necne : et ad verum Prophetam sufficere quòd cognoscat evidenter se prophetare de illo quod sibi revelatum est, licèt cætera non cognoscat.

ITEM PROPHETIÆ NON RITE EXPLICATÆ.

Schol. II. *Secundò.* Non repugnat revelationem veram esse et a Deo, et falsam esse ejus explicationem ab homine, eam aliter quàm Deus intelligit interpretante. Idcircò « etiam veri Prophetæ, inquit S. Thomas, 2, 2, q. 173, a. 4, non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus S. intendit.» Profectò S. Bernardus, teste Othone, l. 1 *de Fide*, c. 34, a Ludovico juniore, Francorum Rege, consultus, auctoritate Eugenii Papæ suffultus, multas Christianas nationes, prædicando, ad sacram expeditionem Jerosolymitanam excitavit : sed in hac victi Christiani milites justo Dei judicio interierunt. Quapropter S. Bernardus, quem priùs Galliæ et Germaniæ populi tanquam Apostolum et Prophetam venerabantur, postea ut impostor et pseudopropheta traductus fuit. Porrò ipse reposuit, l. 2 *de Cons.*, se non temerè in hoc opere cucurrisse, sed jubente Deo, et miraculis ejus prædicationem confirmante. Vera itaque fuit revelatio et Prophetia, sed ab hominibus non intellecta : hi enim gloriam, divitias et regni Jerosolymitani receptionem sibi proposuerant, sed Deus æternam eorum, qui in illâ expeditione pro fide et Ecclesiâ mortui sunt, salutem intendit, uti S. Bernardo aperuit Joannes, Casemarii Venerabilis Abbas, ep. 333, inter *Ep. S. Bern.* Hoc exemplo in re præsenti utitur Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 17, eoque Gravina, in *Lap. Lyd.*, p. 2, l. 2, c. 4, vindicat Prophetiam S. Vincentii de fine mundi et Antichristo imminente, quam jubente Christo, et illum in visione sanante, suscepit; imò super hac re Salmanticæ concionando suscitavit mortuum in testem, quòd ille idem esset Apocalypticus Angelus qui Judicium promulgabat,

Apoc. XIV; cùmque delatus esset ad Papam, libellum defensorium ei misit, et prædicare perrexit, quin hucusque Judicium extremum apparuerit. Verùm S. Vincentius, jubente Deo, solùm prædicavit extremum judicii diem citò affuturum, et in suo libello solas rationes attulit, quibus movebatur ut probabiliter hoc ostenderet. Et quod Salmanticæ contigit, tantùm ex traditione constat, et S. Vincentium solùm symbolicè dictum Angelum se fuisse probat, quod non tam fuit prophetare quàm prædicare cum SS. Patribus et ipso S. Paulo, *Philip.* IV, 5 : *Dominus prope est.*

ITEM EXCIPITUR INSTINCTUS PROPHETICUS.

SCHOL. III. *Tertiò.* Quia Prophetia non datur per modum habitûs, § 564, schol. 8, ideo potest contingere, ut quæ a vero alioquin Prophetâ prædicta sunt, non vera reperiantur, quòd ipse videlicet putaverit se ex revelatione divinâ aliqua prædicere, licèt instinctu tantùm prophetico vaticinatus fuerit : Otho enim, non admodum favere solitus S. Bernardo, l. *de Gest. Friderici*, c. 20, ut infelicem exitum memoratæ expeditionis excuset, inter alia inquit, Prophetarum spiritum non semper subesse Prophetis. Quod etiam docet S. Gregorius, l. 2 *Dial.*, c. 21, dicens : « Prophetiæ spiritus mentes Prophetarum non semper irradiat. » Quem S. Thomas, 2, 2, q. 171, a. 5, sequitur.

NONNULLA HIS EXCEPTIONIBUS ADDENDA.

SCHOL. IV. Hucusque dicta vera quidem sunt, sed ne in discernendis veris a falsis Prophetiis, maximè in discussione causarum Beatificationis et Canonizationis ambigendi occasio subrepat, Benedictus XIV, t. 3, c. 47, n. 10, sequentia addit. *Primò.* Prophetiæ comminativæ et conditionatæ non respiciunt res præteritas aut præsentes, sed tantùm futuras, quæ ab hominum meritis vel demeritis pendent, utì explicat Thyræus, *de Appar.*, l. 4, c. 14. Docet verò Camus, *de Loc. Theol.*, l. 2, c. 4, Prophetias comminativas mutatis moribus, mutari posse, bene cognovisse Prophetas : ob eam enim causam Jonas nolebat Ninive subversionem prænuntiare, quòd Divinam putabat misericordiam Ninivitis pœnitentibus esse flectendam. Thyræus verò, l. c., vult non omnes Prophetas cognoscere absolutam Dei voluntatem in rebus ab hominum meritis pendentibus. Nihilominus in causis præsertim Beatificationis non erit habenda ratio Prophetiæ comminativæ, nisi ostendatur Dei servum cognovisse indolem et exitum Prophetiæ : alioquin enim

errori facilè via aperiri posset, utì ostendit Gravina, *Lap. Lyd.*, l. 2, c. 23. *Secundò*, quod spectat ad Prophetias, in quibus Propheta rem juxta Dei mentem non intelligit adeoque eventus prædictioni non respondet, ne quid erroris subrepat, eæ non admittendæ videntur, nisi Deus subsecutis miraculis eas illustraverit, utì explicat Thyræus, *de Appar.*, l. 4, c. 18. Ita contigisse in Prophetiâ S. Bernardi, de memoratâ expeditione, ex ejus vitâ a Gaufrido monacho scriptâ, l. 3, c. 4, colligitur. *Tertiò*. In instinctu prophetico, cui eventus non respondet, ut quis excusetur, et verè prophetans habeatur, opus est ut constet de ejus correctione, quâ, juxta S. Gregorium, *super Ezech.*, c. 17, veri a falsis Prophetis distinguuntur. Nathan enim Propheta, postquam Davidi templum Domini ædificare cogitanti, II *Reg.* VII, 3, dixit : *Vade*, *fac quia Dominus tecum est :* eâdem nocte, jubente Domino, reversus nuntiavit illi templum a filio ædificandum fore. Utì pluribus Cajetanus, 2, 2, q. 171, a. 5, prosequitur. Alia signa veræ Prophetiæ, in antecedentibus de visionibus, locutionibus et revelationibus allata sunt.

§ 573.

SIGNA VERÆ PROPHETIÆ EX PARTE PERSONÆ.

PRIMO : SANCTITAS MORUM.

Signa veræ Prophetiæ *ex parte personæ* prophetantis eadem sunt, quæ de visionibus, locutionibus et revelationibus assignavimus, inter quæ nonnulla hìc paulò fusiùs explicanda sunt. *Primò*. « Propheticæ prædictionis ex parte personæ prædicentis notæ et signa sunt *pietas*, et *sanctitatis fama* certa, saltem ex moribus. Inter quæ signa præcipuum locum tenet terrenorum bonorum et divitiarum contemptus, honorum et dignitatum fuga. » Ita Scacchus, *de Not. sanctit.*, sect. 8, c. 2. Quippe jam olim in Republicâ Hebræorum nihil augustius fuit quàm Prophetarum dignitas : « Ipsi eis erant philosophi, ipsi Sapientes, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis ac pietatis, » ait S. Augustinus, l. *de Civit.* XVIII, c. 14. Lucri amor, et auri sacra fames eos absque dubio non invasit, cùm a cogendis divitiis animum adeo habuerint alienum, ut ex

amore muneris sui obeundi quandoque necessariorum pro vitæ sustentatione obliti fuerint, et si aliqui secus se gesserunt, Pseudoprophetis adscripti sunt, de quibus Michæas III, 3, ait : *Comederunt carnem populi pellem eorum desuper excoriârunt, qui in pecuniâ divinant, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant* (id est indicant) *super eum prælium.*

§ 574.

SECUNDO : MENS SANA ET PACATA.

Secundò. Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 17, ex parte personæ prophetantis hoc signum affert : « Falsi Prophetæ mente commotâ loquuntur, quia dæmonis impetum, a quo impelluntur, ferre non possunt. At qui a Deo aguntur, *placidè, humiliter et modestè* proferunt. » Id quod confirmat auctoritate S. Chrysostomi, *Hom.* 29 *in* I *Cor.*, dicentis : « Proprium est falsi Prophetæ, emotæ esse mentis, vim pati, ac necessitate pelli, trahi, raptari tanquam furentem : verus autem Propheta non sic; sed cum mente sobriâ, ac cum modestâ et temperante constitutione, et sciens quæ loquitur, dicit omnia. » Sanè mentis et sensuum impotes erant Sacerdotes et feminæ sacris deorum initiati, nec loquendi quidem liberam habebant facultatem, sed tanquam mera automata agebantur. Veri autem in Lege Dei Prophetæ quietum et placidum Spiritûs S. illapsum recipiebant, suî compotes erant, in tranquillo et sereno mentis culmine manebant : debitâ in Deum observantiâ inducti loquebantur, et Spiritûs S. ductum sequebantur, utì pluribus exponit Calmet, in cit. *Prol. ad Proph.*, c. 3.

§ 575.

SIGNA VERÆ PROPHETIÆ EX PARTE EFFECTUUM.

Denique *signa* veræ Prophetiæ *ex parte effectuum* subsequentium eadem assignari possunt, quæ pro discernendis

veris a falsis visionibus, locutionibus et revelationibus in prioribus tradita fuerunt.

§ 576.

REGULÆ DISCRETIONIS PRO VISIONIBUS ETC.

PRIMO : NON OMNES VISIONES STATIM REJICIENDÆ.

Ex omnibus hucusque dictis nonnullæ *Regulæ discretionis* pro Magistro spirituali erui possunt, quibus juxta perpensa signa, circa visiones, locutiones, revelationes, etiam Prophetias veras a falsis sive in seipso, sive in alio prudenter discernere valeat. Unde sit.

Prima Regula : *Visiones*, locutiones, revelationes et prophetiæ, vel ex solo earum nomine, vel ratione personarum, vel ratione talis materiæ, *universaliter non sunt rejiciendæ*. Nam S. Theresia meritò miratur quòd nonnullos Confessarios « non tam terreat audire a pœnitente dæmonem sibi repræsentare, plurimo tentandi genere, blasphemias et inepta quædam ac inhonesta, quàm scandalizentur, si a pœnitente dicatur se vidisse, vel sibi locutum esse Angelum, vel apparuisse Jesum Christum D. N. in cruce. » Rationes hujus Regulæ videre licet, a § 496 et sqq., ubi de visionum, locutionum, revelationum, et prophetiarum existentiâ actum fuit.

§ 577.

SECUNDO : NON OMNES PASSIM REVELATIONES ADMITTENDÆ.

Secunda Regula : *Neque* per aliud extremum, seu ex *falsâ pietate*, seu ex vanâ curiositate *assentiendum* est *quibuslibet* sine discretione privatis *revelationibus* etc., utpote quæ, ex dictis, etiam a dæmone, vel humanâ imaginatione oriri possunt.

§ 578.

TERTIO : VERITATEM REVELATIONIS ALIQUIS IN SEIPSO PER DONUM DISCRETIONIS SPIRITUUM COGNOSCERE POTEST.

Tertia Regula : Potest quis subinde in se ipso veram revelationem a falsâ discernere per *gratiam gratis datam discretionis spirituum*, per quam quis claro, et quasi prophetico lumine infallibiliter de veritate revelationis certificatur, ob quædam signa credibilitatis, potissimùm spiritualia, quæ a Mysticis reducuntur ad quemdam experimentalem modum spiritualem videndi, quasi tangendi, et dulcissimo sapore gustandi, quo deprehenditur loquentem non alium quàm Deum esse posse. Ita docet Gerson, *de Dist. vision.*, sign. 4 : « Quæris quid agit donum quod discretionem spirituum appellamus ? Agit equidem, ut sapore quodam intimo et illuminatione quâdam experimentali sentiat homo differentias inter veras revelationes et deceptorias illusiones. » Et concludit, mirum non esse, non posse regulam universalem et doctrinam certam et infallibilem tradi super hac materiâ de discretione spirituum, aut de revelationum veritate, cùm ista res plus in experientiâ, et conditionum particularium, quæ infinitæ sunt, concursu, quàm in arte versetur.

NON TAMEN SINE CONSILIO ALIENO.

Scholium. Ex hac notâ Gerson prudenter monet, neminem soli suæ putatæ revelationi fidere debere, contempto alieno consilio, quo vel maximè in re adeo difficili indiget : imò suspendendum esse assensum, si materia revelata aliquid contra leges communes vel rarò a Deo dispensabiles contineat, usque dum clarissimis signis illustretur.

§ 579.

QUARTO : DISCRETIO FIERI POTEST PER INSTINCTUM DIVINUM.

Quarta Regula : Discretio veræ revelationis a falsâ subinde in ipso, cui fit, potest fieri, *per quemdam instinctum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur,* utì ait S. Thomas, 2, 2, q. 171, a. 5, quo se ad aliquid agendum vel dicendum a Deo moveri infallibiliter cognoscunt. Hinc S. Augustinus, l. 1 *de Civit.*, c. 26, ait, meritò ut sanctas feminas ab Ecclesiâ celebrari, quæ pudicitiæ servandæ gratiâ in flumen se projecerunt, dummodo constet hoc jussu Dei fecisse : « Sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere. » Subdit autem : « Qui ergo audit non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemnere : tantummodo videat utrùm divina jussio nullo nutet incerto. »

SED DENUÒ CUM CONSILIO PRUDENTIS.

Scholium. Cùm ille alieno consilio indigeat, qui, spiritu discretionis, per lumen propheticum, de suâ revelatione et sensu illius, sine omni formidine, certus redditur, si nimirum hoc consilium expetere possit; ex modo dictis, multò magis indiget, si per lumen solius inferioris instinctûs, præsertim non sine omni formidine se a Deo expressè moveri cogitet, et adhuc multò magis, si de hoc ipso maneat dubius, vel tantùm judicium probabile ferre possit. Quid autem facere debeat, si alienum capere non possit, paulò inferiùs dicetur.

§ 580.

QUINTO : REVELATIO VERA IN ALIO PER DISCRETIONEM SPIRITUUM COGNOSCITUR.

Quinta Regula : Vera revelatio a falsâ in alio subinde sufficienter discerni potest per *gratiam gratis datam discretionis*

spirituum : illa quippe primariò pro aliis datur, et discretio, quam quis de seipso facit, subordinari debet discretioni faciendæ per alios de illius revelatione. Ideoque bene ait S. Chrysostomus, *Hom.* XXIX, in illud I *Cor.* XII : *Alii discretio spirituum*, dicens : « Quid hoc significat? Cognitionem, quisnam spiritualis sit, quis non, quis Propheta, et quis deceptor. » Notat autem Gerson, *de Prob. spir.*, sub init., hoc in aliis non haberi per experimentalem illam certitudinem, quam nonnulli in seipsis habent, § 578 : « Quia nemo cognoscit infallibili certitudine ea quæ per solam experimentalem notitiam, vel sentimentum interius et sensus agunt in alterius animo. » Debet ergo quasi prophetica cognitio et revelatio secreti cordium esse hæc discretio, et certificari vel per revelationem, vel per evidentiam in attestante, vel per claram cordis cogitationum intuitionem.

UNDE QUIS DE HAC DISCRETIONE HABITA CERTIORETUR.

Scholium. Ut constet aliquem habere dictam gratiam discretionis spirituum, pro cognoscendis veris revelationibus in aliis, ad signa, quibus revelatio vera a falsâ discernenda est, recurrendum est, § 553, sqq., cùm hæc discretio sit quædam species revelationis : et vix poterit judicium certum de hac gratiâ habitâ formari, nisi quando res aliunde tractu temporis notoria redditur. Et quia hæc gratia non est habitualis, sed actualis, et non semper quoad omnia adest, hinc personæ eam subinde habentis officium est, vel aliquando assensum suspendere, vel minùs obstinato judicio sententiam dicere, nisi implorato et obtento pleno divino lumine præventa sit.

§ 581.

SEXTO : DISCRETIO HÆC FIERI POTEST PER INSTINCTUM.

Sexta Regula : In defectu discretionis spirituum per infallibilis judicii lumen, pro discernendâ verâ revelatione in aliis, alius *quidam instinctus inferioris conditionis* aliquando sufficere potest. Sicut enim potest quis a Deo instrui de seipso,

§ 579, ita et de alio ad ejus directionem. Quod declarat S. Bonaventura, in *Proc.* 7 *Rel.*, c. 19, dicens : « Est et alius modus revelationis per Spiritum S., cùm homo ex Dei inspiratione orat Deum pro aliâ speciali causâ, vel propriâ, vel alienâ, et per affectum devotionis intelligit se exauditum in hac petitione. Ergo orans Director pro divino lumine ad discretionem Spiritûs in alienâ personâ, illuminari poterit per instinctum, qui pro judicio prudenti, de approbando vel reprobando ejus Spiritu valde conducat, et ad donum consilii pertineat, quod prudentiam perficit, et in instinctu Spiritûs S. fundatur.

QUI DIVINUS ERIT.

Scholium. Licèt hæc discretio per solum instinctum non sit ex parte motivi infallibilis, sicuti illa, quæ fit propheticè, sed tantùm ex signis prudentiâ morali simul cum speciali lumine consideratis, hoc tamen sufficit, ut in casu, quo moralis certitudo non fallit, reverà pro instinctu divino habeatur, maximè si fallibilitas motivi per discretionem doctrinalem adjuvetur.

§ 582.

SEPTIMO : DISCRETIO FIERI POTEST PER DISCRETIONEM DOCTRINALEM.

Septima Regula : Defectus doni discretionis spiritûs, vel specialis instinctûs pro discernendis veris revelationibus, suppleri potest per *discretionem doctrinalem.* Ita docet Richardus Victorin., *de Præp. ad contempl.*, c. 67, dicens : « Multa quidem de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis ratiocinio : verumtamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientiæ magisterio. Post omnes sequi oportet, qui de omnibus judicare debet. «Et Delrio, *Disq. mag.*, l. 4, c. 1, q. 3, ait : « Tertius modus discernendi spiritus, quem vocant doctrinalem, est per diligentem et piam S. Scripturæ tractationem, quæ regulas præbet falsos Prophetas a veris discernendi : lectio

quoque SS. Patrum et Historiæ Ecclesiasticæ multùm confert.... His si adjungatur observatio virorum spiritualium et experientiæ : et in ambiguis obscurisque consulantur viri docti et pii, et in viâ salutis longè progressi, in militiâ verò contra dæmonum astus exercitati, veteranique, sperandum est, posse deceptiones sic sentiri et vitari. » Utì enim observat Suarez, prol. 3, *de Grat.*, c. 5 : « Non exspectanda semper est specialis gratia gratìs data : hanc enim non promisit Deus omnibus, nec semper illam præbet, sed quibus et quando vult, et nihilominus omnes possunt cum morali et practicâ certitudine prudenter dijudicare, et discernere inter hos spiritus.... Aliàs non moneret S. Joannes: ***Probate spiritus,*** etc.»

QUOMODO HÆC FACIENDA SIT.

Scholium. Igitur, ut in aliis revelationes veræ a falsis discernantur : I. Attendendum est ad signa ex parte materiæ, personæ et effectuum, quæ in superioribus de visionibus, locutionibus, revelationibus et prophetiis assignata sunt. Notat tamen Gerson, *de Prob. spir.*, fallere unum signum, vel pauca, nisi plura in unum conglobentur : et quò plura in bonam partem convenerint, eò certior res erit. Prout ergo ex horum signorum collatione, vel certitudo fallibilis, vel infallibilis, aut mera probabilitas major, minor, aut æqualis, aut sola ratio dubitandi vel suspicandi colligitur, ferendum est prudenter judicium aut certum, aut probabile, aut suspiciosum, aut omnino suspendendum. Guadalupe, *Th. myst.*, t. 3, c. 9, vult suspendi judicium, quando solùm probabile ferri potest. II. Si doctrinam utilem, ad bonum non impeditivum majoris boni invitantem, contineat, parum aut nihil laborandum, an sit propria revelatio, sed suspenso, vel facto judicio probabiliori a Directore, discipulo solùm commendetur doctrina, tanquam a bonâ inspiratione habita. III. Si revelatio sit prophetica de futuro eventu contingenti, judicio suspenso, et suspenso etiam relicto discipulo, eventum exspectare congruum erit, ac tandem ad preces pro bono exitu, si hoc materia postulet, eum adhortari. IV. Si revelatio dirigatur ad aliquid faciendum, et illud regulare sit, præscindendo a revelationis proprietate, nisi omnino certa sit, et eam manifestare expediat, juxta regulas severiores prudentiæ ad praxin, vel non, deducenda erit. V. Si revelatio sit contra præceptum, aut dispensans in eo, docet Benedictus XIV, *de Beatif.*, l. 3, c. ult.,

n. 13 : « Non sufficit probabilitas, sed requiritur certitudo (in 2ª edit., *evidentia*) divinæ revelationis : et eò magis, si in materiâ revelatâ aliquid contineatur contra præceptum Dei aut Ecclesiæ. » Id quod jam alibi, § 553, schol., paulò fusiùs notatum et explicatum fuit.

§ 583.

OCTAVO : AUTHENTICA DISCRETIO HABETUR A JUDICIO ECCLESIÆ.

Octava Regula : *Discretio authentica* revelationis, quando hæc est necessaria, cum debitâ certitudine *ex judicio Ecclesiæ* haberi poterit. Authentica quippe discretio illa dicitur, quæ fit judicio Ecclesiæ per suos ministros secundùm ordinem hierarchicum. Hanc Gerson, *de Prob. spir.*, sub init., discretionem officialem vocat, utpote ex officio hierarchico et spirituali dono concessam ; quæ ultra preces, prudentiam et doctrinam includit etiam varia experimenta suî et aliorum, et solet a Deo maximè illis concedi, quibus ratione officii aut dignitatis animarum cura incumbit : nisi enim esset hæc providentia Dei regens Ecclesiam suam in ordine ad fidem et mores per suum in terris Vicarium Papam, Episcopos et Doctores etc., Ecclesia non esset columna et firmamentum veritatis, I *Tim.* III, 15, nec Spiritus S. docere pergeret in illâ omnem veritatem, *Joan.* XVI, 13, nec immunis foret a prævalentiâ portarum inferi, *Matth.* XVI, 18. Unde S. Thomas, *Quodlib.* 9, a. 16, docet : « Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus, per inquisitionem vitæ et attestationem miraculorum, et præcipuè per instinctum Spiritûs S. qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, » quare sicuti in ordine ad canonizationem examinantur et approbantur miracula, ita et revelationes, cùm non minùs miraculum, ceu virtualis Dei locutio, quàm revelatio, ceu formalis Dei locutio, sit attestatio sanctitatis et gloriæ alicujus servi Dei ; et de facto sine alio miraculo in vi solius revelationis Ecclesia non semel, saltem olim, processit ad

Sanctorum canonizationem, ad festorum celebrationem, ad reliquiarum cultum, et similia, utì bene probat in causâ canonizationis S. Aloysii Gonzagæ Postulator, a pag. 166 sui scripti.

QUÆ RATIO REVELATIONUM HABEATUR IN CAUSIS CANONIZATIONIS.

Schol. I. Quæ ratio habeatur de revelationibus ab Ecclesiâ, in ordine ad Beatificationem et Canonizationem, egregiè tradit Benedictus XIV, cit. opere, l. 2, c. 32, ubi, n. 10, habet, prævìè per Revisores eas solùm examinari quantùm ad doctrinam, an non sint fortè fidei et moribus contrariæ, reservato Promotori fidei ulteriori examine qualitatis, dum de virtutibus agitur. N. 11, notât approbationem earum ordinariè non dari, nisi solùm permissivam, non verò positivam, cùm ad communem utilitatem approbatio permissiva, seu negativa, quæ faciliùs et certiùs haberi potest, de eo quòd nihil contra fidem et mores contineant, sed potiùs utilem doctrinam, sufficiat quidquid sit, an revelationes illæ strictæ tales fuerint. N. 12 ostendit in utroque judicio prævio et principali solùm agi communiter de revelationibus in genere, prout virtutes in gradu heroico illustrant, et in genere solùm decernitur, animam habuisse gratiam Prophetiæ, discretionis spiritum, etc., quia cùm istæ gratiæ non sint habituales, sed actuales, sufficit aliquoties, licèt non semper, verè tales in actu fuisse; subinde tamen ad instantiam Postulatorum de approbatione alicujus particularis revelationis agitur, et tunc visio aut prædictio approbatur quidem in particulari, non tamen integrum volumen revelationum, nisi modo dicto generico.

QUID DE ILLIS CENSENDUM.

Schol. II. Factâ igitur discretione juxta præmissas regulas, revelationes, vel piè credendæ, vel suspenso judicio transmittendæ sunt, juxta decisionem Ecclesiæ, vel privatas regulas prudentiæ. Ubi bene notandum decretum Urbani VIII, qui, a. 1625, statuit revelationes, miracula et alia hujusmodi beneficia, in vitis Sanctorum relata, nullo modo approbata censeri, nisi juxta decretum Leonis X, in *Conc. Lateran.*, sess. 10, publicentur cum præmisso examine a Sanctâ Sede, vel urgente necessitate ab Episcopo, de quo plura videri possunt apud Benedictum XIV, *de Beatif.*, l. 2, c. 11, n. 7, 8, 9, post Baldellum, l. 3 *Th. moral.*, d. 13, ubi, n. 21,

notanda declaratio, quâ idem Urbanus, 5 jul. an. 1631, indulsit, posse præfatos libros edi, sed *cum protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesiâ, sed fides tantùm sit penes auctorem,* et hæc est praxis inconcussa, ita ut opera ipsa sic edita, inquit citatus Benedictus XIV, n. 13, semel et iterum de novo, in ordine ad beatificationem et canonizationem, revideantur : et quando post has revisiones datur approbatio permissiva, solùm permittitur ut præfatæ revelationes ad fidelium instructionem et utilitatem post maturum examen edantur, quibus quidem non debetur fidei Catholicæ assensus; sunt tamen piè credibiles.

ADHORTATIO AD BONUM USUM PROPHETIARUM.

Corollarium. Teneamus ergo illam a S. Paulo et S. Joanne præscriptam regulam, Ecclesiæ praxi roboratam, ut non spernamus in genere privatas Prophetias et revelationes, sed probemus, et post jam probatas, quod in illis bonum est teneamus. Sequamur regulam S. Thomæ, *de Verit.,* q. 12, a. 2, ubi ex eo, quòd, I *Cor.* xii, *donum Prophetiæ* detur ad utilitatem Ecclesiæ, infert : « Unde omnia illa, quorum cognitio potest esse utilis ad salutem, sunt materia Prophetiæ, sive sint præterita, sive futura, sive æterna, sive necessaria, sive contingentia.» Mirum autem erit, si quis putet ea potiùs, quorum cognitio non pertinet ad mysteria, quàm quæ pertinent, et ea, de quibus non disputatur, quàm de quibus disputatur, esse utilia ad salutem et revelabilia. Quid utilius, quàm de mysteriis nostræ fidei cogitare? quòd si vel disputare ac opinari circa incerta de his mysteriis ad salutem conducere potest, quare privatam revelationem de iis factam inutilem habeamus, per quam tamen devotio foveri potest? Sequatur Magister spiritualis in hujusmodi rebus exemplum Jacob, *Gen.* xxxvii, 10, ubi, cùm Joseph sincero animo patri et fratribus visum a se de sole, lunâ et stellis, se adorantibus, propheticum somnium narraret, *increpavit eum pater suus,* et fratres quidem ob hoc invidebant ei; *pater verò rem tacitus considerabat.* Ecce Joseph cùm soli patri in secreto visionem suam revelare debuisset, palàm coram fratribus hoc fecit; unde invidia orta est : sicque fiet, si hodie revelationes præterquam Patri spirituali secretò manifestentur. Pater verò in puero meritò exprobravit, quod jam in pueritia revelationibus se dignum putaret, easque palàm parùm humiliter narraret : nihilo tamen minùs, consideratis filii innocentiâ et morum candore, rem tacitus considerabat. Eodem modo se prudentes Patres spirituales gerant.

§ 584.

EXTASIS QUID.

Visiones, locutiones, revelationes et Prophetias frequenter comitantur extases et raptus. Est autem *extasis* in genere, juxta S. Augustinum, l. 2, *ad Simplic.*, q. 1, *mentis alienatio a sensibus corporis.*

CUJUS NATURA EXPLICATUR.

Scholium. *Extasin* ergo *pati aliquis dicitur,* inquit S. Thomas, 1, 2, q. 28, a. 3, *cùm extra se ponitur; quod quidem contingit et secundùm vim apprehensivam,* et in hac facultate dicitur Extasis esse formaliter, *et secundùm vim appetitivam*, et in hac dicitur esse causaliter. « Secundùm quidem vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur; sicut homo, dum elevatur ad comprehendenda aliqua quæ sunt supra sensum et rationem, dicitur Extasin pati, in quantùm ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis et sensûs : vel quia ad inferiora deprimitur, putà, cùm aliquis in furiam vel amentiam cadit, dicitur Extasin passus. Secundùm appetitivam verò partem dicitur aliquis Extasin pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra seipsum. Primam quidem Extasin facit amor dispositivè in quantùm scilicet facit meditari de amato; intensa autem meditatio unius detrahit ab aliis; sed secundam Extasin facit amor directè. » Hanc doctrinam illustrat Alvarez, *de Grad. cont.*, l. 5, p. 3, c. 8. Anima etiam in Extasi omni sensuum usu frequenter et ordinariè destituitur, utì explicat Harpius, *Th. myst.*, l. 2, p. 3, c. 37, et inferiùs explicabitur, et in eâ sola potentia vegetativa, ordinariè loquendo, ab actibus suis non cessat, cùm non sit cognoscitiva; præterquam quòd, cessantibus ejus operationibus, cessaret nutritio, quæ semper animali est necessaria : utì docent citatus S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 5, ad 3, Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, *de Extasi,* c. 30, et Thyræus, *de Appar. intell.*, l. 4, c. 4.

§ 585.

RAPTUS QUID.

Raptus juxta S. Thomam, 2, 2, q. 175, a. 2, supra Extasin addit *quamdam violentiam*, et juxta ejus mentem differentiam inter Raptum et Extasin explicat Scacchus, *de Not. sanct.*, sect. 8, c. 3, et Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 14, ait : « Hoc autem est discrimen, quo inter se distinguuntur Raptus et Extasis : nam hæc suaviùs mentem a sensibus abstrahit, ille fortiùs, et cum quâdam violentiâ. » Quam violentiam mystici intelligunt de violento corporis motu, cùm videlicet alienati in altum elevantur : cui explicationi Card. Lauræa adhæret, *Opusc.* 5, *de Orat.*, c. 6; qui tamen cum aliis notat Extasin et Raptum passim promiscuè sumi.

DIVISIO.

Scholium. Lauræam, Durandum, *de Vision.*, c. 3, et alios nos quoque sequemur, et nomina *Extasis*, et *Raptûs* promiscuè usurpabimus, nisi quando fortè dicendi ordo dati discriminis meminisse poposcerit. Et cum S. Thomâ, 2, 2, q. 175, a. 1, Extasin et Raptum in naturalem, dæmoniacum, et divinum dividimus.

§ 586.

EXTASIS NATURALIS.

Extasis naturalis est, quæ a causis naturalibus, v. g. morbo, vel vehementi animi quâdam imaginatione, vel aliâ vehementi animi applicatione, ad res sublimiores oritur.

QUOMODO A MORBO CAUSETUR.

Schol. I. Extasis naturalis oriri potest primò a morbo quem medici *Catochen* seu *Catalepsin* vocant : nam eo correpti omni sensu et motu destituuntur, ac in eo situ quo deprehensi fuerint,

rigidi et immobiles manent, apertis et immotis oculis, vigilantis figuram retinentes, licèt omnis sensuum functio sopita sit. Id quod Zacchias, *Quæst. medico-legal.*, l. 4, q. 6, explicat, dicens : « Faciunt ad Extasis durationem et extensionem cerebri ipsius debilitas et fortitudo, et ipsorum quoque spirituum quantitas et qualitas. Extasis enim effectus vel symptoma est in genere læsionum facultatum principum, animalium nempe, ut ex superioribus patet. Itaque ad ejusmodi symptomata, cerebri, secundùm ejus ventriculos, debilitas contingit, et non naturalis quædam sanguinis et spirituum constitutio.... Itaque, si simul debile fuerit cerebrum, spiritus multi, crassi et melancholici, Extasis non solùm interdum multùm durabit, sed etiam in apoplexiam, morbum sibi congenerem, et ipsam mortem terminari poterit : est enim affectus hic apoplexiæ adeo similis, ut uterque eodem nomine *apprehensionis* et *detentionis* insigniatur. »

QUOMODO A VEHEMENTI IMAGINATIONE CAUSETUR.

Schol. II. Extasis naturalis secundò etiam ex vehementi imaginatione oritur : tunc enim confluunt spiritus animales in cerebrum, et sensuum exteriorum functiones impediunt, et quò intensior imaginatio est, eò major spirituum copia cerebrum obsidet, et sic fortior et longior Extasis evadit. Unde legimus Platonem philosophicis speculationibus ita quandoque intentum fuisse, ut sensuum usu careret, et nota est S. Thomæ Aquinatis abstractio et Extasis naturalis, qui, regiæ mensæ accumbens, conclusum esse adversùs Manichæos exclamavit. Id quod Philosophi Conimbricenses, etc., fusiùs exponunt.

§ 587.

DATUR EXTASIS, ET RAPTUS NATURALIS.

Extases et *Raptus* quandoque *naturaliter fiunt*, licèt respectu *Extasium* divinarum nonnisi impropriè tales sint. Hoc 1° colligitur ex factis a S. Scripturâ narratis. De Isaac, postquam loco Esau benedixerat Jacob, *Gen.* xxvii, 33 : *Expavit Isaac stupore vehementi, et ultra quàm credi potest, admirans.* Ubi LXX legunt : *Raptus est Isaac in extasin magnam vehementer.* Et I *Reg.* xxv, 37, de Nabal dicitur : *Emortuum est cor ejus*

intrinsecus, *et factus est quasi lapis.* « Quia, ait Sanctius, sic obstupuit, ut omnem amiserit sensum; quod sæpe in motu atque dolore contingit. » 2° Probatur ex PP. S. Augustinus, l. 14 *de Civ.*, c. 24, de quodam Parocho, nomine Restituto, narrat : « Quando ei placebat, rogabatur autem ut hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram scire cupiebant, ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita se auferebat a sensibus, et jacebat simillimus mortuo, ut non solùm vellicantes atque pungentes minimè sentiret, sed etiam aliquando igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere : non autem obnitendo, sed non sentiendo, non movere corpus, eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus : hominum tamen voces, si clariùs loquerentur, tanquam de longinquo se audire postea referebat. » S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 1, docet Extasin fieri « uno modo ex causâ corporali, sicut accidit in his qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. » Et S. Salesius, l. 7 *de Amore Dei*, c. 6, ait : « Philosophi ipsi certas quasdam species Extasium naturalium factas per vehementem applicationem animi ad res sublimiores cognoverunt. » 3° Patet ab exemplis. Plato, *de Conviv.*, Alcibiade in testem abducto, de Socrate narrat quòd, in medio militum cuneo, cogitatione quâdam abductus, steterit immobilis eodem vestigio, a primo mane per totam diem et noctem, usque ad ortum solis sequentem. Marsilius Ficinus, l. 3 *de Immort. anim.*, c. 2, alia facta percurrit : de Epimenide, qui per quinquaginta annos dormierit, seu a sensibus remotus vixerit; de Pythagorâ, qui per decem annos; de Zoroastro, qui per viginti annos latuit; de Platone, qui frequenter in contemplatione secesserit a corpore, ac demum sic obierit; de Xenocrate, ejus discipulo, qui per horam singulis diebus similiter se gesserit; de Archimede, qui suis demonstrationibus intentus nec patriæ tumultus nec se occidi persenserit; de Plotino, qui sæpe a se corpore solvi, mutare vultus, et mira invenire quæ scriberet, notabatur; de illius discipulo Porphyrio, qui semel raptus est contemplando. Quæ exempla inferiùs accuratiùs examina-

buntur. 4° Ratio est ex S. Thomâ, 2, 2, q. 175, a. 2, quia quando appetitus ad aliquid vehementer afficitur, homo ab omnibus aliis alienari potest, dum, utì explicat Zacchias, l. 4, *Quæst. medico-legal.*, q. 6, factâ vehementi imaginatione, ac fixâ erga rem aliquam, omnes in cerebrum confluunt animales spiritus, externis ac internis sensibus et motui destinati : unde contingit, ut multò magis quàm in somno ipsi externi sensus et ipsum animal omni motu carere appareant. Accedit, quòd etiam in somno sensus externi ligari possint. Ergo etiam in Extasi et Raptu, sive vi imaginationis intensiùs in aliquo defixâ, sive ex aliquâ corporis infirmitate, iidem motu suo privari possunt. § 586, schol. 1 et 2.

COROLLARIA.

Schol. I. Ex dictis patet : 1. Quòd quando vel vi solius imaginationis, vel alicujus vehementis affectionis, usus sensuum externorum impeditur, is qui ita afficitur Extasin vel Raptum pati dici possit. 2. Talis tamen Extasis imperfecta erit, si cum supernaturali comparetur, utì ex discendis apparebit. 3. Si somnus sit præcisè somnus, non meretur dici Extasis ne quidem imperfectè, tum quia dormiens interiùs vel nihil cogitat, vel si somniet, somnium est casuale, ac frequenter insaniæ simile ; tum quia somnus est effectus ordinarius ex naturæ indigentiâ, non verò extraordinarius vi vehementis cogitationis aut affectûs, qualis est Extasis. 4. Nec apoplexia, nec alii morbi illi similes Extasis vocari merentur, ne quidem imperfecta, non solùm quia nihil cogitare, aut nonnisi contra ordinem rationis permittunt, sed quia sunt effectus humoris physicè peccantis, non verò causa intentionalis, sicuti ad Extasin requiritur.

AN IN EXTASI NATURALI ANIMA CORPUS DESERERE POSSIT.

Schol. II. Vi Extasis naturalis fieri non potest ut quis reipsâ penès animam corpus deserat, et deinde ad illud revertatur : quod meritò ut errorem, contra Bodinum, l. 2 *Dæmon.*, c. 3, et Cabalistas habent Delrio, *Disq. mag.*, l. 2, q. 29, Zacchias, l. 4, q. 6, et Bona, *de Discr. spir.*, c. 14. Nec enim fieri potest, nisi a solo Deo per miraculum, ut homo semel mortuus reviviscat, et animam a corpore non separatam, aliò, sine corpore, physicè migrare,

æquale miraculum, vel chimæra foret. Unde Tertullianus, l. *de Anim.*, c. 44, ait : « Omnia magis conjectanda, quàm hanc licentiam animæ sine morte fugitivæ. » Ideoque vel mors interveniet, a quâ nemo nisi Deus liberare poterit, vel phantastica est, et solâ imaginatione quasi facta omnis alia separatio animæ a corpore. Ita S. Augustinus, l. 18 *de Civ.*, c. 18, et *Epist.* 101, *ad Evodium*. Quo modo facta de Platone et Plotino § præcedenti citata explicari debent : rèliqua verò de somno quinquaginta annorum Epimenidis, decem annorum Pythagoræ, et viginti annorum Zoroastri, fabellæ sunt : neque enim sine omni nutrimento vitam agere potuissent. Quod autem Plato, dial. 10, *de Republ.*, narrat de quodam Ero Armenio, qui inter occisos in prælio integro corpore repertus, decimâ post obitum die revixit et mira quæ viderat de præmio et pœnâ animarum narravit; ille verè mortuus fuit, et non ad nutum proprium revixit : et si vera est narratio, satiùs est putare illam resurrectionem a Deo factam fuisse, pro attestatione animæ immortalitatis, et futuro ejus præmio aut punitione. Item quod Plinius, l. 7 *Hist. nat.*, c. 52, refert de quodam Aristæâ, qui, multoties mortuus, quoties voluit revixit, cujus animam adstantes sub cervi effigie avolantem viderunt, factum purè imaginarium, si non omnino fabulosum fuit : ille enim mortuus non fuit, et nonnisi præstigiosè anima ejus ex ore avolabat, utì Delrio, l. c., ostendit.

DIFFERENTIA INTER SOMNUM ET EXTASIN NATURALEM.

Schol. III. In Extasi naturali a vehementi imaginatione aut applicatione ortâ, cessante usu sensuum externorum, imaginatio non cessat, et in illâ quæ a morbis inducitur, phantasia etiam, licèt sæpe inordinatè, operatur : et juxta Zacchiam, l. 4, q. 6 : « Nihil differt naturalis Extasis a somnio, nisi quòd illa vigilanti, hoc autem dormienti accidat. »

§ 588.

SIGNA EXTASIS NATURALIS.

PRIMO : MORIBUS PRÆCEDENS.

Signa Extasis naturalis sunt, *primò*, si præcesserit aliqua *infirmitas*, vel *morbus*, ex quo Extasis naturalis causari po-

test. Tales morbi, juxta Zacchiam, l. 2, q. 2, sunt apoplexia, epilepsia, lethargia, sive catoche, aut catalepsis, et similes somniculosi dicti, ex eo, quòd homines vel perpetuò dormire cogant, vel similes dormientibus efficiant, imò quandoque ita ex parte lædunt, ut non secus quàm insensati lapides evadant. Et S. Augustinus, l. 12 *de Gen.*, c. 19, testatur quòd nonnulli sensibus « penitùs interclusis, sicut sæpe malè affecti morbo aliquo ingravescente, præsente corpore, diu absentes, deinde hominibus redditi, multa se vidisse dixerunt. »

§ 589.

SECUNDO : DETERMINATUM TEMPUS EXTASIS.

Secundò. Si Extasis *determinatum tempus sui insultùs* servet, plerumque Extasis naturalis erit; illa enim, si a morbo oritur, supponit peculiares in humoribus et phantasiâ dispositiones, utì notat Zacchias, l. c., quæ certo tempore suæ criseos modò occurrunt, utì in febribus et aliis morbis chronicis observamus, cùm econtra Extasis divina, utpote gratia gratis a Deo data, nulli tempori determinato alligetur.

§ 590.

TERTIO : MORBUS SUBSEQUENS.

Tertiò. Si *extaticus in paralysin*, vel *apoplexiam*, vel alium consimilem morbum *labatur*, signum Extasis naturalis erit. Ita observat Zacchias, l. c., dicens quòd Extasis naturalis « in apoplexiam, morbum sibi congenerem, et ipsam mortem terminari possit. » Nam, utì S. Theresia, in *Vit.*, c. 20, docet, in Extasi divinâ corpus non subest damno ægrotationis, sed sæpiùs sanum exinde fit quod ægrotabat. Et Alvarez, *de Vit. spir.*, t. 3, l. 5, p. 3, c. 9, notat : « Quòd valde mirum est, cùm homo ad se revertitur, corpus non imbecillum,

quod consequens videbatur, sed validum, et ab ægritudinibus assiduis, quasi relevatum experitur. »

§ 591.

QUARTO : LASSITUDO MEMBRORUM SUCCEDENS.

Quartò. Si post Extasin *lassitudo quædam* et membrorum *pigritia succedant,* Extasis naturalis signum erit. In hoc enim Zacchias, l. c., q. 6, discriminat Extasin naturalem a supernaturali, quòd in illâ, secus ac in istâ, necesse est corpus ab ejus invasione aliquid perpeti, utì pigritiâ membrorum detineri, etc. Concordat Durantus Consalvus, *de Vision.*, c. 3, dicens : « Corpus ejus, qui ad divina contemplanda sic elevatur, non ex tunc, quemadmodum videbitur, imbecillum ac debile, sed robustum ac viribus sæpenumerò potens relinqui. » Et bene animadvertunt Rotæ auditores, in *Relat. caus. servi Dei Nicolai Factor.*, tit. *de Donis :* « Et postquam in Extasi perseveraverat, cùm ad suos sensus redibat, sed cum integrâ valetudine et robore ad quoscumque labores perferendos. »

IN IPSA EXTASI TAMEN CORPUS IMBECILLUM EST.

Scholium. Dicta modò explicanda sunt, ut procedunt in corpore, post Extasin aut Raptum, secus autem loquendo de corpore, dum Extasis aut Raptus durant, juxta illud *Dan.* x, 8 : *Vidi visionem grandem, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habuit quidquam virium.* Vi etenim mentis in rerum divinarum maximè vel etiam humanarum contemplatione defixâ, et calore vitali ad mentis functiones contracto, ac vehementiâ amoris in partem sensitivam redundante, necesse est obtundi vires corporis, et illud frigescere, pallescere et infirmari. Et Cassianus, *Coll.* xix, c. 4, abbatem Joannem ita loquentem inducit : « Itaque pro Domini nostri munere memini me in hujusmodi raptum frequenter excessisse, ut obliviscerer me sarcinâ corporeæ fragilitatis indutum mentemque meam ita omnes exteriores sensus subitò respuisse, et a cunctis materialibus rebus

omnimodis exulâsse, ut neque oculi, neque aures meæ proprio fungerentur officio, et ita divinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, ut sæpe ad vesperam cibum me percepisse nescirem, ac sequenti die de hesternâ solutione jejunii penitùs dubitarem.» Et S. Theresia, in *Cast. mans.*, 6, describens pathemata hominis in Extasin rapti, ait calorem deficere, intercipi respirationem, nec minimum halitum sive motum percipi, accedere omnium membrorum rigorem et frigus, pallorem in vultu et omnia mortui vel morientis symptomata.

§ 592.

QUINTO : OBLIVIO RERUM PRÆTERITARUM.

Quintò. Si post Extasin mentis et intellectûs obfuscatio et *rerum præteritarum in Extasi oblivio* sequatur, plerumque naturalis fuit. Ita Arauxo, *Dec. mor.*, q. 23, n. 40; et S. Theresia, in *Cast. mans.*, 6, observat in extaticâ suspensione «non esse ut cùm deliquium vel paroxysmus invadit aliquem, qui nihil interiùs et exteriùs intelligit.» Et certè excusatio hæc, quòd aliquis ea quæ in Extasi contigerunt oblitus sit, posset esse prætextus fictus ab eo qui nihil omnino intellexit; cùm tamen optimum signum sit ut saltem negativè convincatur Extasin aut Raptum non esse divinum, si nihil mente percipiatur, et solummodo dubitare possit an sit Extasis purè naturalis aut dæmoniaca, vel ficta : quod ex aliis indiciis tum theologicè, tum juridicè petendum est. Si naturæ tribui possit, non est cur dæmoni tribuatur, et si dæmoni, personâ purè passivè se habente, non est cur tribuatur ejus fictioni, ad aucupandam famam sanctitatis.

HOC SIGNUM NON EST UNIVERSALE.

Scholium. Hoc signum oblivionis eorum quæ in Extasi sunt cognita non est universale, quia ex inferiùs dicendis potest contingere ut quis in Extasi, vel ex toto, vel ex parte edicere non possit, ob rerum et visionis sublimitatem : adeòque est æquivocum et per alias circumstantias judicium de eo ferendum est.

§ 593.

SEXTO : AMOR TERRENORUM.

Sextò. Si quis extaticus fiat, dum actu *rem aliquam terrenam concupiscit*, Extasis naturalis erit. Extasis enim divina tantùm ab amore supernaturali oritur.

§ 594.

SEPTIMO : EXTASIS A PAVORE ORTA.

Septimò. Extasis, quæ ex *subito* alicujus eventûs *pavore* aut *tristitiâ* oritur, naturalis est, utì de Extasi Jacob et Nabal, § 587, visum fuit.

§ 595.

OCTAVO : EXTASIS A MUSICA INDUCTA.

Octavò. Ad Extasin naturalem pertinet, si quis alienetur a sensibus, et extaticus fiat, dum *musicam* audit : de similibus enim musicæ naturalibus effectibus testantur Cassiodorus, *Variar.*, l. 2, c. 5, Seneca, l. 3 *de Irâ*, c. 9, et D. Calmet, *Dissert. in music. vet.*

§ 596.

EXTASIS DÆMONIACA.

Altera species Extasis et Raptûs est *Extasis dæmoniaca*, quæ a dæmone, ligatis sensibus externis, causatur.

QUOMODO FIAT.

Scholium. Modum quo dæmon Extasin causare potest, explicat Delrio, *Disq. mag.*, l. 2, c. 2, q. 25 : « Extasin sive Raptum potest

diabolus in homine efficere, ligando vel solvendo sensus exteriores, idque modis duobus. Prior est, quando illos tramites obstruit, quibus a cerebro spiritus sensitivi se ad exteriores sensus penetrant, veluti contingit in somniantibus. Posterior, quando eosdem spiritus sensitivos ab exterioribus sensibus ad interni sensûs organa retrahit, ibique retinet, ne ad externorum sensuum organa queant descendere. Ita enim contingit, ut in Raptu, ob nimiam internarum virium sensitivarum applicationem, et spirituum sensibilium ad interni sensûs organa confluxum, adeò impediantur sensuum externorum munia, ut corpus vivum cadaveris mortui et immobilis speciem præ se ferat. Hæc raptûs naturalis causa vera diaboli vires non excedit. »

§ 597.

DATUR EXTASIS DÆMONIACA.

Extases et Raptus ope dæmonis subinde evenire possunt. Quæ tamen Extases, relatè ad divinas, nonnisi impropriè tales sunt. Colligitur : 1° ex S. Scripturâ, ubi, *Deut.* XVIII, 2, et *Lev.* XX, 27, severissimè contra illum procedebatur, qui vel consuleret *pythones*, vel in quo spiritus *pythonicus* reperiebatur : sub quo nomine Delrio, l. 41 *Disq. mag.*, c. 2, q. 6, simul cum aliis, a dæmone afflatis, fanaticis, enthusiastis, pseudoprophetis idolorum, etiam intelligit extaticos : « Qui a dæmone extra se rapti, motu, sensuque, privati, et mira putantes inter ea sese aspicere, quæ futura postmodum enuntiant. » 2° Probatur ex PP. S. Augustinus, præter illam historiam de Restituto § 587 relatam, quam Consalvus Durantus, *de Vis.*, c. 3, ad Extasin dæmoniacam refert, l. 12, *de Gen.*, c. 13, describens Extasin : « Quando penitùs avertitur, atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, » notat eam etiam a spiritu malo fieri posse. Et, c. 19, agens iterum de animabus, quæ sensibus corporis penitus avertuntur, nihil per eos sentientes, et spirituali visione in similitudinibus corporum habitantes, subdit : « Sed cùm malus in hæc arripit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos Prophetas. » S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 1, docet : Extasin contingere posse

ex virtute dæmonum, sicut patet in arreptitiis. Et S. Salesius, l. 7 *de Amore Dei*, c. 5, ait : « Malignus spiritus potest intellectum trahere in Extasin, ei repræsentans cognitionem rerum admirabilium, quæ eum supra vires naturales suspensum tenent, et per tales cognitiones et notitias potest etiam attribuere voluntati aliquod genus vani, mollis, teneri et imperfecti amoris. » 3° Patet ab exemplis. Sic Tertullianus, l. *de Anim.*, c. 9, refert de quâdam, ut ipse putabat, Prophetissâ, quæ in Ecclesiâ, inter Missarum solemnia prophetare solebat; *post ea per Extasin in spiritu patitur,* ubi Priscillam, Montani sociam, pseudoprophetissam, a spiritu nequam actam intelligit. De quo Pamelius, qui sex libros Extasis a Tertulliano jam Montanistâ facto editos discutit. Delrio, l. c., ex Olao refert de Magis Lappis, quorum incantator, ut responsa det de rebus arcanis, collabitur et exanimatur, nec spiritus, nec sensus in eo restare videtur. Torrebianca, l. 2. *de Mag.*, c. 10, affert exemplum cujusdam virginis Cordubensis, Magdalenæ a Cruce, quæ ob frequentes Extases et Raptus dæmoniacos ab imperitis sancta reputabatur. Cui duas alias similes addunt Gerson, *de Exam. doctr.*, p. 2, post. 6 consid., et Alvar. Pelagius, *de Planct. Eccl.*, c. 45. De quibus exemplis subjungit S. Salesius, l. c., c. 6 : « Mirandum videri non debet, si malignus spiritus simiam agendo, ad decipiendas animas, ad seducendos homines debiliores, aut transformandum se in Angelum lucis, operetur raptus in iis, qui, minùs bene ac solidè instituti sunt in verâ pietate christianâ.» 4° Ratio est : Extasis et Raptus naturalis vires dæmonis non excedit, qui, ex dictis § 596, sensus ligare et vias obstruere potest, per quas spiritus a cerebro in ipsos sensus exteriores diffunduntur, et in phantasiâ ac cogitativâ alicujus objecti sive negotii vehementem cogitationem mediatè saltem excitare. Ergo Extasis dæmoniaca subinde contingere potest, quæ tamen non absoluta et propria, sed cum addito, pseudoextasis erit, ut ex dicendis apparebit.

AN IN EXTASI DÆMONIACA CORPUS IN ALTUM SUBLEVARI POSSIT.

Schol. I. Sicuti in Extasi et Raptu naturali anima corpus deserere, et ad illud naturaliter redire nequit, § 587, schol. 2, ita nec in Extasi dæmoniacâ. Sed licèt in Extasi naturali fieri non possit ut corpus a terrâ sublevetur, in Extasi tamen dæmoniacâ elevatio corporis a terrâ contingere potest. Nam Jamblicus, *de Vit. Pythagoræ,* c. 28, interprete Ludolpho Kuster, edit. Amstelod., an 1707, tanquam factum notorium refert, Pythagoram unâ eâdemque die a remotis regionibus in Italiam, et ab Italiâ in Siciliam, ope utique dæmonis, translatum, suos discipulos in illis locis existentes allocutum fuisse : Deoque permittente, Simon Magus a dæmone in aera evectus est, ita ut volare videretur, quem tamen ad B. Apostoli Petri preces a dæmonibus, Deo jubente, destitutum in terram statim præcipitem corruisse, atque exstinctum debitas pœnas persolvisse scimus. Legi potest Cardinalis Baronius, in *Annal.,* ad an. Christi 68, n. 13. Equidem Henricus Valesius, in not. ad c. 15, l. 2, *Hist. Eccl.* Eusebii Cæsar., de volatu Simonis Magi subdubitare videtur, ob silentium Eusebii, Irenæi et Justini. At Tillemontius, t. 1, p. 3, in *Vit. S. Petri*, ejusdem historiæ veritatem plurimis tum Patrum, tum Historicorum testimoniis doctè confirmat, asseritque nullo nixos solido fundamento nonnullos de eâ re dubitare, et subdit se malle cum Arnobio, Cyrillo Jerosol., Legatis Liberii, Ambrosio, Augustino, Isidoro, Pelusiotâ, Theodoreto, cæterisque Patribus decipi, quàm eosdem indiscretæ incredulitatis insimulare; et bene prosequitur D. Calmet, in *Diss. de Simone Mago.* Addit Torrebianca, l. c., antea memoratam Magdalenam de Cruce e terrâ per dæmonem, spectantibus omnibus, fuisse elevatam. Ita Benedictus XIV, *de Beat.,* l. 3, c. 49. Sæpius etiam in diabolicis elevationibus a terrâ præstigium et mera imaginatio occurrit, utì nonnullæ experientiæ Maleficarum probant, quæ credebant, præmissâ quâdam unctione, se in longinqua loca rapi, et tamen in loco ubi manebant alto somno correptæ reperiebantur, utì liquet ex cau. 26, q. 5, c. *Episcopi.*

DÆMON SUBINDE CADAVERA AB ALIQUA SPECIE INCORRUPTIONIS PRÆSERVARE POTEST.

Schol. II. Etsi, ex regulâ generali, mortuorum corpora quamprimum in pulverem abeant, juxta sententiam Dei, *Gen.* III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* in dubium tamen est, cadavera

quandoque longo tempore incorrupta servari, sive naturæ beneficio, sive ratione complexionis, aut parcitatis in victu, aut humi, aut soli, ad id congruentis, aut artis subsidio per condimenta corruptionis præservativa, in quo Ægyptii et Peruani excelluerunt; sive denique miraculosâ Dei providentiâ, volentis, etiam contra omnes naturæ leges, nonnullos Sanctorum hac speciali gratiâ insignire, utì videri potest apud Theophilum Raynaudum, t. 13 *Opusc. de incorrupt. cadav.*, Zacchiam, cit. l. 4, q. 10, et Benedictum XIV, cit. l. 4, p. 1, c. 30 et 31. Posse etiam dæmonem cadavera ab aliquâ specie incorruptionis præservare, ex omnium consensu docet Delrio, *Disq. mag.*, l. 2, q. 25, et Raynaudus, l. cit., c. 7: nam quod arte præstare possunt homines, multò faciliùs et efficaciùs poterit præstare dæmon, Deo permittente, applicando ardentiùs, quæ novit, activa passivis. Quando verò hic effectus, vel naturæ, vel dæmoni, vel Deo adscribendus sit, in causis Beatificationis discutitur, utì laudatus Benedictus XIV, l. c., docet. Reperiuntur etiam apud Græcos subinde cadavera tympanica, horrida, incorrupta, quæ eorum esse dicunt qui in excommunicatione obierunt, et ab eis absoluti mox in cineres abeunt, ex quo veluti miraculo argumentum sui schismatis desumunt. Verùm Bollandistæ, t. 1 *Augusti* in *Hist. prœv. Patriarch. constant.*, doctè probant non semper tales a Græcis excommunicatos manere incorruptos, et absolutos ab iis resolvi, et quando contingit, semper aliquid superstitiosum verbo vel factis intervenire : adeoque hos effectus non Deo, sed diabolo esse tribuendos, et quæ ab eis de hac re narrantur rarò vera et sæpius falsa esse.

§ 598.

SIGNA EXTASIS DIABOLICÆ.

PRIMO : MALA VITA.

Signa Extasis dæmoniacæ sunt *primò :* Si homo *perditæ vitæ*, aut in actu peccaminoso in Extasin aut Raptum alienetur, § 519 et 520.

§ 599.

SECUNDO : INDECENTES CORPORIS MOTUS.

Secundò. Si *Extasis* fiat *cum maximâ humanorum membro-*

rum deordinatione, et incomposito corporis motu, plerumque diabolica erit. Ita Cajetanus, in 2, 2, q. 173, a. 3 : « Quoniam gratia secundùm genus suum et naturam, et morem perficere, non destruere, minuere aut violare nata est : et propterea alienatio a sensibus, cum cordis statu sensibiliter vehementi, cùm deordinationem naturæ contineat, non est a Spiritu S., et similiter si cum denudatione pudendarum partium fiat, ex parte personæ alienatæ, nisi adessent operientes : hoc enim et contra honestatem morum, et contra naturæ ordinem est, quoniam motus talis membrorum ad deordinationem naturæ spectaret, etiamsi nudatio pudendorum non esset nata sequi. Unde oportet advertere in hujusmodi alienationibus, si interveniat aliquid indecens secundùm motus intrinsecos vel extrinsecos, sive sit indecentia naturæ, sive indecentia moris : quoniam non est alienatio prophetica, sed infirmitatis, vel fictionis, vel illusionis diabolicæ, aut naturaliter animalis, ex nimiâ meditatione alicujus. » Eodem modo sentiunt Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, c. 28, Thomas a Jesu, t. 2, c. 8 *Disp.*, et Larrea, in *Decis. de Revel.*, p. 1, n. 57.

HOC SIGNO CAUTÈ UTENDUM.

Scholium. Dicta modo cautè sunt intelligenda, ita ut non quilibet insolitus corporis motus tanquam inordinatus et indecens habeatur. Nam Richardus Victorin., *de Contempl.*, l. 5, c. 14, extaticum pisci in aquis ludenti, et supra aquas exsilienti comparat. Et in vitâ S. Philippi Nerii, l. 2, c. 1, refertur quòd, dum Missam celebraret, subinde adeo corpore agitaretur, ut suppedaneum altaris tremeret, et quòd ad offertorium tanto gaudio exsultaret, ut quasi paralyticus videretur, et nonnisi admoto ad altare brachio aquam vino miscere posset : item quòd in elevatione Sacræ Hostiæ brachia elata manerent extensa, ita ut ea retrahere non posset, et quòd aliquando post consecrationem adeo spiritu exsultaret, ut extremæ parti digitorum pedum innixus, choreas ducere videretur. Alia in eâdem vitâ occurrunt, sicut et in vitâ S. Magdalenæ de Pazzis, ex quibus apertè dignoscitur non omnes corporis motus insolitos, sed tantùm verè indecentes, maximè verò inhonestos, Extasis diabolicæ signum esse.

§ 600.

TERTIO : SI QUIS PRO SUO LIBITU EXTASIN PATIATUR.

Tertiò. Si *Extaticus rapiatur,* aut alienetur, *quoties vult,* signum Extasis diabolicæ erit : nemini enim datur Extasis per modum habitûs, sed divina gratia, prout et quando vult, animam ad se trahit, § 564, schol. 8, ex quo capite, Extasis illius Restituti, de quo, § 587, a Consalvo Duranto, in tr. *de Vision.,* c. 3, ad diabolicas refertur, ubi fusè impugnat sententiam Cardani, docentis posse hominem vi suâ naturali, quoties vult, in Extasi rapi. Item de quâdam puellâ Cæsaraugustanâ narrat Delrio, l. 2, q. 25, ad libitum eam in Extasin raptam fuisse : quod ex pacto cum dæmone inito, dum oves pasceret, processisse Cæsaraugustanus Episcopus detexit. Et Zacchias, *Quæst. medico-legal.,* q. 6, l. 3, testatur se feminam vidisse hypocritam, extensis brachiis, immobilibus palpebris, fixis oculis, per horæ spatium corpus attollentem, et mirificè extendentem, vultum et varios colores in ictu oculi mutantem, quasi mortua langueret, et mox rubore suffusam, quasi animo deficientem, et ad se de simulatâ hac Extasi redeuntem. Quibus similia de quâdam Magdalenâ a Cruce, Cordubensi famosâ Sagâ, refert Scacchus, *de Not. sanct.,* sect. 8, c. 3.

§ 601.

QUARTO : SI AB EXTASI PRO LIBITU CESSARE POSSIT.

Quartò. Si Extaticus *ab Extasi suâ pro arbitrio suo cessat,* vel ad certam vocem, nisi fortè sit vox Superioris ex obedientiâ vocantis, ad sensus redeat, signum Extasis diabolicæ erit. Ita Raphael della Torre, in 2, 2, q. 91, a. 6, disp. 16; cùm enim cessatio ab Extasi a causâ superiori proficisci debeat, vel a Deo, vel a dæmone, et a Deo proficisci non possit, cùm ad nihil aliud quàm vanam vulgi admirationem proficiat, infert eam dæmoni adscribendam esse.

QUID DICENDUM, SI AD VOCEM SUPERIORIS CESSET.

Scholium. Quod attinet ad extaticos, qui, Prælato jubente, ab Extasi revertuntur, citatus della Torre subdit cautè procedendum esse, nisi ex reliquis circumstantiis Extasis divina colligatur; cùm subinde Prælati hanc vocem ostentationis gratiâ, sine ullâ necessitate, proferant. Ubi notandum venit exemplum a P. Ribadeneira, in *Vitâ S. Ignatii Loj.*, l. 5, c. 10, relatum, ubi narrat P. Reginaldum Dominicanum Romæ S. Ignatium convenisse, eique coram se exposuisse : Bononiæ, in quodam Monialium cœnobio, suæ curæ commissam esse feminam orationis virtute præstantem, quæ sæpe alienabatur a sensibus, ut nec admotum ignem sentiret : in manibus stigmata habere, perfossum latus, caput veluti spinis transfixum, ex quo sanguis manabat; et a S. Ignatio quæsivisse ejus desuper judicium, ipsumque respondisse, ex signis expositis de illo tantùm rationem habendam esse, quòd Virgo illa, utì narratum fuerat, promptissimam exhiberet Superiorum mandatis obedientiam : cùmque Reginaldus deinde discessisset, et inceptum discursum S. Ignatius prosecutus esset, addit Ribadeneira, eum conclusisse suum sermonem dicendo, quòd hæc signa possent esse a Deo, vel etiam a dæmone, qui « simulatis rerum et adumbratis imaginibus, mortalium mentes vanitatum spectatrices sæpe deludit. » Subjungitque historicus, utì audivit, dictam virginem pessimum exitum habuisse, et fumum ex fulgore dedisse.

§ 602.

QUINTO : SI EXTATICUS LOQUATUR MENTE TURBATA.

Quintò. Si is qui Extasin patitur in Extasi *loquatur mente turbatâ*, quasi ab alio actus, qui per eum loquitur, pro Extasi diabolicâ haberi potest. Ita Cajetanus, 2, 2, q. 173, a. 3, *ad 4*, cum S. Thomâ, ubi subdit : « Et hinc patet, quòd personæ in Extasi positæ, loquentes in personâ Christi, vel alterius Sancti, quasi actæ ab illo, et non ex proprio sensu pronuntiantes, aut seducuntur, aut seducunt. Et tamen mundus stultus miratur, stupet, adorat hujusmodi verba, hujusmodi actus, hujusmodi personas. »

Scholium. Hoc signum suam patitur exceptionem, in nonnullis circumstantiis, saltem quoad illud, quod modò ex Cajetano subditum fuit. Talis fuit casus singularis S. Catharinæ Senensis, in ejus Actis, t. 3, April., *Bolland.*, p. 875, quando suo Confessario apparuit, suâ facie in faciem Salvatoris transfiguratâ, et illo attonito rogante : Quis est, qui me respicit? Illa reposuit : Ille, qui est. Tales quoque fuerunt singulares doctrinæ, quas S. Magdalena de Pazzis, cit. tom. 6, p. 262, in suis raptibus dictavit, nunc loquens in personâ propriâ, nunc in personâ Patris æterni, nunc Verbi, nunc Spiritûs S.

§ 603.

SEXTO : SI QUIS NON RECORDETUR PAÆTERITORUM IN EXTASI.

Sextò. Si Extaticus *non recordetur eorum quæ durante Extasi dixit*, vel ea quæ dixit repetere nesciat, subinde concurrentibus aliis signis, Extasis diabolica, vel saltem naturalis erit, utì dictum fuit, § 592.

§ 604.

SEPTIMO : SI SÆPE IN LOCIS PUBLICIS RAPIATUR.

Septimò. Si in *locis publicis*, ubi major est hominum concursus, quis frequenter in Extasin rapiatur, signum diabolicæ Extasis sæpe adest, utì observat Benedictus XIV, *de Beatif.*, l. 3, c. 49, n. 6; dæmonis enim proprium est, in nonnullis externis, quæ in oculos hominum occurrunt, gloriam quærere.

§ 605.

OCTAVO : SI EXTATICUS CLAMORES BRUTALES EDAT.

Octavò. Extatici, qui in Extasi positi *ejulatus non humanos*, sed brutales, emittunt, qui horrorem inducunt, cavendi sunt, juxta Card. Lauræam, in 3 *Sent.*, t. 4, disp. 20, a. 33, qui has extases dæmoniacas esse censet, et ait, se hoc asserere experientiâ edoctum.

NON VERO, SI MODESTOS.

Scholium. Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, c. 28, dicit, inter extaticos nonnullos dici *Jubilarios*, nonnullos *Eruptores :* Jubilarios, qui in Extasi et Raptu saliunt; Eruptores, qui in verba erumpunt. Citatus Card. Lauræa, l. c., narrat S. Josephum a Cupertino consuevisse quemdam clamorem emittere, cùm in Extasin aut Raptum elevabatur, et tum Gravina, tum Lauræa clamorem in Extasi divinâ tanquam ineffabilis gaudii et alacritatis signa admittunt, si clamores et ejulatus horrorem non incutiant.

§ 606.

EXTASIS DIVINA QUID.

Tertia species Extasis et Raptus est *Extasis divina*, quæ a P. Alvarez, t. 3 *de Vit. spir.*, l. 5, p. 3, c. 8, definitur : « Elevatio mentis in Deum, cum abstractione a sensibus exterioribus, ex magnitudine ipsius elevationis procedens. » Eodem modo Extasin divinam describit Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 14, et Mystici communiter, et sumitur ex S. Augustino, l. 2, *ad Simplic.*, q. 1, docente : « Extasis est mentis alienatio a sensibus corporis, ut spiritus hominis divino spiritu assumptus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet. »

QUOMODO FIAT.

Schol. I. Ad intensè aliquid cognoscendum, et vehementer amandum, valde conducit abstractio a sensibus externis, utpote a quibus interna vehemens cognitio et amor magis dissipatur quàm juvatur. Aliunde verò ipsa cognitionis et amoris vehementia sensus externos a suis operationibus impedit : cùm enim anima sit virtutis limitatæ, quò magis uni operationi intendit, eò magis ab alterâ abstinet, maximè, si ab eâ in præcipuâ suâ operatione non dependeat, sicuti ab actuali aliquâ sensatione externâ operationes aliænæ spirituales non dependent, cùm etiam ad internas sensationes non requiratur actualis externa sensatio, sed sufficiat eam adfuisse. Quando igitur intellectio et amor supernaturalis, a Deo excitatus, et præcipuè in contemplatione, vehementissimus est, perfectissimam a sensibus alienationem cum perfectâ Extasi facere poterit. Proinde ad Extasin perfectè talem, seu divinam, ambæ partes contemplationis requiruntur : et quidem ex parte intellectûs, ut illuminatus extraordinariè rapiat in admirationem, et pariter excitet in amorem : ex parte verò voluntatis, ut extraordinariè accensa, effectivè in ardentissimum amorem rapiat, qui deinde ad magis cognoscendum excitet : non enim potest amor magis inflammari, sine aliquâ intensione cognitionis, nec excedere cognitio, sine aliquo excessu amoris. Prout tamen Extasis in uno vel altero magis excedit, modò intellectualis potiùs quam affectiva, vel e converso dici potest.

QUANDONAM EXTASIS CONTINGAT? AN SIT MIRACULOSA, ET SEMPER OMNES SENSUS SUSPENDAT.

Schol. II. Neque in omni contemplatione, neque in aliquo certo ejus gradu, saltem nobis cognito, Extasis contingi : siquidem aliqui, maximè contemplativi, rarò vel nunquam Extasin patiuntur, cùm econtra alii minùs contemplativi, vel purè meditativi, imò et incipientes et peccatores, inopinatò etiam extra orationem in Extasin rapiantur; est enim Extasis gratia gratis data, quam Deus cui et quando vult largitur, utì docet Lauræa, *Opusc.* 5, *de Orat.*, c. 6. Quando autem Deus vult, per Extasin, sensuum externorum suspensionem inducere, sufficit ut talem contemplationem largiatur, quæ connaturaliter spiritus vitales et animales ad motum sensuum externorum necessarios, ad cerebrum vel cor retrahat, quo fiet, ut licèt contemplatio sit in se supernaturalis, vel etiam miraculosa, suspensio tamen sensuum solùm sit supernaturalis quoad

modum, in substantiâ verò naturalis, ex illâ contemplatione veluti causâ connaturaliter necessariò illata : sicuti cæcum recuperare potentiam visivam est miraculum, eâ autem recuperatâ videre, tantùm quoad modum miraculosum est. Porro suspensio sensuum externorum in Extasi divinâ aliquando est omnium, aliquando non omnium, vel non omnimodè : nec semper ex minori Extasis perfectione oritur, quòd in eâ usus visûs, auditûs, loquelæ, etc., licèt cum aliquâ difficultate, adinstar semidormientis remaneat : potest enim Extasis esse perfecta, et nihilominus dare locum locutioni, gemitibus, lacrymis, exclamationibus, quæ ex abundantiâ spiritualium luminum et affectuum erumpunt, et internam cum Deo unionem magis fovent quàm impediunt.

AN SENSUS INTERNI SUSPENDANTUR, ET EXTASIS IN SOMNO DARI POSSIT.

Schol. III. Quando Extasis divina oritur vi contemplationis imaginariæ, sensus interni nec suspenduntur, nec suspendi possunt; quia hæc contemplatio dependet a phantasmatibus : si verò oriatur vi contemplationis merè intellectualis, quæ a phantasmatibus non dependet, et fit per species infusas, et etiam quoad modum purè spirituales, sensus interni suspenduntur per gratiam extraordinariam supra supernaturalitatem contemplationis, licèt subinde phantasia aliquid adhuc operari permittatur. In somno etiam Extasis divina contingere potest, utì patet in somno extatico Adami, quando ex ejus latere Eva formata fuit; differt autem somnus extaticus a naturali, quòd somnus naturalis suavi, facilè solubili, et ad evigilandum apto modo sensus suspendat; cùm econtra somnus extaticus fortiori resistentiâ sensus liget, non ad requiem, utì somnus naturalis, sed divinas intelligentias capiendas.

COROLLARIA.

Schol. IV. Ex dictis colligi potest : 1. Quando sensus externi suo usu destituuntur, et simul etiam sensus interni et potentiæ, non est Extasis sed purum deliquium. 2. Neque Extasis perfecta censenda est, quando quis solùm actu usu sensuum destituitur, non verò aptitudine, utì in somno. 3. Nec sufficit quòd suspensioni usûs sensuum aliqua interna operatio cogitationis et affectionis accedat : si enim hæc tantùm sit in appetitu sensitivo, non censetur Extasis propria et spiritualis, quæ actus spirituales cogitationis et affectionis requirit. 4. Nec censetur Extasis sacra et divina,

si actus, quantumvis spirituales, non sint supernaturales, et extraordinariè, ad faciendam hanc suspensionem, a Deo immissi, ut anima sibi magis uniatur.

§ 607.

DATUR EXTASIS DIVINA.

Extases et *Raptus* propriè tales non rarò animabus sibi prædilectis supernaturaliter *Deus immittit*, ut suspenso sensuum externorum usu, Deo intus loquenti aures mentis et cordis accommodent. Prob. 1° ex S. Scripturâ, plures ejusmodi Extases et Raptus Sanctorum enarrante. Sic, *Gen.* II, 21 : *Immisit Dominus Deus soporem*, LXX, *Extasin, in Adam.* Et, XV, 12 : *Sopor*, LXX, *Extasis, irruit super Abraham. Psal.* CXV, 2 : *Ego dixi in excessu meo*, LXX, *in Extasi. Dan.* X, 8, Propheta Extasin suam describit : *Non remansit in me fortitudo sed et species mea immutata est in me, nec habui quidquam virium. Act.* X, 10, de S. Petro dicitur : *Cecidit super eum mentis excessus.* Et, II *Cor.* XII, 2 et 3, S. Paulus de seipso testatur : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit : raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum : et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et, *Apoc.* I, 17, S. Joannes de se dicit : *Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Quæ omnia de Extasi divinâ interpretes intelligunt. 2° Probatur ex PP. S. Augustinus, l. 2, *ad Simpl.* q. 1, Extasin divinam definit, utì dictum est, § 606, et eam asserit, *in Psal.* 115. Item, *Serm. de Verb. Dom*, c. 6, etc. S. Isidorus, l. 7 *Etym.*, c. 8, inter varia Prophetiarum genera : « Primum genus, inquit, Extasis, quod est mentis excessus. » S. Bernardus, *Serm.* 52, *in Cant.*, ait : « Istius modi vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat, et morte propulsatâ vitam tribuit sempiternam ; reverà enim

dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.» S. Thomas, 2, 2, q. 175, a. 1, ultra modos Extasis naturalis et diabolicæ docet Extasin et Raptum fieri : « Tertio modo ex virtute divinâ : et sic loquimur nunc de Raptu, prout scilicet aliquis Spiritu divino elevatur ad aliqua supernaturalia, cum abstractione a sensibus. » Videri etiam possunt S. Bonaventura, *de 7 gr. contempl.;* Gerson, in *Myst. Theol.*, p. 7; Harpius, *Th. myst.*, l. 3, p. 5, c. 39; S. Joannes a Cruce, *Concion.*, 13; S. Theresia, *Vit.*, c. 18, et S. Salesius, l. 7 *de Amore Dei*, c. 4. 3° Ratio est, quia si ex solâ contemplatione naturali, vi vehementis applicationis ad cogitationem internam, suspensio sensuum externorum sequi possit, § 587; si etiam dæmon Extases inducere, et sensus externos ab usu suo impedire possit, § 597, quantò magis fiet, ut in contemplatione supernaturali, per vehementem cogitationem et amorem totus animus in solum Deum, usque ad perfectam Extasin, cum suspensione sensuum externorum rapiatur.

AN ANIMA IN EXTASI DIVINA CORPUS DESERAT.

Schol. I. In Extasi divinâ anima a corpore non separatur : licèt enim certum sit, in eâ, virtute divinâ animam a corpore separari, et ad illud redire posse, quod, an in Extasi et Raptu S. Pauli contigerit, ipse se nescire professus est, necesse tamen non est ut fiat, cùm Deus, ratione immensitatis suæ, omni animæ sit præsens, et illi in Extasi quæ vult revelare possit, absque eo quòd eam a corpore separet, et cùm de tot Prophetis et aliis Sanctis Extasin passis nunquam legamus earum animas a corpore separatas fuisse, utì ostendunt Card. Bona, *de Discr. spir.*, c. 14, Gravina, in *Lap. Lyd.*, l. 2, etc.

AN EXTATICUS MEREATUR.

Schol. II. Card. Lauræa, in 3 *Sent.*, t. 4, d. 20, a. 23, docet extaticum mereri in actibus Extasin præcedentibus, quando liberi sunt, et ex objecto, fine et circumstantiis boni, sicuti sunt cæteri actus fidei et Religionis; non mereri autem in actibus qui in extasi contingunt, cùm non sint liberi. Econtra Suarez, l. 3 *de Rel.*,

t. 2, c. 20, stat pro libertate actuum, et eorum merito, quem sequitur Antonius ab Annuntiatione, in *Discept. myst.*, tr. 4, q. 2, a. 9. Et adhæret Gravina, l. 2, c. 18, cujus rationem dat P. Suarez, l. c. : « Nam divina gratia non destruit naturam, sed perficit. Unde licèt in altissimâ contemplatione Deus moveat et excitet affectum ad suî amorem per inspirationes divinas, quas gratias excitantes appellamus, quæ sunt actus necessarii, quatenus per illos Spiritus S. cor tangit : tamen nunquam excludit liberum consensum in amore perfecto et obedientiali. » Cujus ulteriorem rationem affert : « Quia libertas in hoc amore exercito per talem contemplationem pertinet ad perfectionem viæ, et est necessaria, ut sit actus meritorius : non est autem verisimile Deum privare hominem justum, cùm eum elevat ad eximiam contemplationem, hac perfectione et hoc fructu qui in hac vitâ maximè expetendus est. »

§ 608.

EXTASIN DIVINAM SUBINDE COMITATUR RAPTUS CORPORIS IN AERA.

Extasin divinam variæ aliæ gratiæ et favores divini subinde comitantur. Et *primò* quidem *Raptus* seu *elevatio corporis in aerem*, utî constat ex Actis et Causis Sanctorum : de quo Lauræa, l. c., ubi tanquam testis oculatus confirmat ejusmodi Raptus S. Josephi a Cupertino : et idem de se testatur S. Theresia, in *Vit.*, c. 20, et patet etiam ex Raptu S. Pauli usque ad tertium cœlum, II *Cor.* XII. Etsi enim dubitet, fueritne in corpore, vel extra corpus, supponit tamen utroque modo fieri potuisse; imò Cornelius a Lapide eum reipsâ corpore et animâ raptum fuisse existimat.

QUOMODO FIAT, EXPLICATUR.

Scholium. Frequenter quidem, attentâ etiam S. Scripturâ, Raptus ejusmodi in altum aut in cœlum non sunt locales, sed imaginarii, ut in visione quâ Ezechiel VIII, 3, ductus est a Babylone in Jerusalem in cincinno capitis, sed tantùm in *visione Dei*, utî ipse ait; et *Apoc.* IV, licèt S. Joanni dictum sit, v. 1 : *Ascende huc*, id est in cœlum apertum, tamen, v. 2, subditur : *Et statim*

fui in spiritu, id est : non localiter ; utì notat Cornelius a Lapide. Sæpiùs tamen ejusmodi Raptus localiter miraculosè fiunt, et quidem, vel a Deo per seipsum, aut per Angelum corpus elevante, quomodo fecit cum Henoch, *Gen.* v, 24; cum Eliâ, II *Reg.* 11; cum Habacuc, *Dan.* xiv, 35, et cum Philippo, *Act.* viii, 39. Vel fit per quamdam participationem dotis agilitatis, quâ post resurrectionem corpora Beatorum fruentur, et vi cujus immediatè postquam resurrexerint rapientur ad judicium, juxta illud, I *Thess.* iv, 17 : *Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Sive hoc sit, Deo utente corpore ipso bene præparato, eoque per virtutem elevatam extrinsecus concurrente, sicuti miracula explicantur; sive sit, Deo imprimente corpori supernaturalem aliquam qualitatem, quâ illud etiam contra exigentiam gravitatis ad obediendum animæ disponatur : utì vult S. Augustinus, l. 13, *de Civ.,* c. 18, et expendit Suarez, t. 2, in 3 p., d. 48, sect. 4; faciliùs tamen hic Raptus in altum explicatur per virtutem corporis miraculosè extrinsecus elevatam, eo modo quo S. Thomas, *in c.* xiv *Matth.,* illud de Christo D. *ambulante supra mare,* rejectâ opinione quòd tunc Dominus donum agilitatis acceperit, ait : « Sed hoc non credo : credo enim quòd miraculosè fecit. » Et, q. 10, *de Verit.,* a. 11, expressè docet : « Potest Deus aliqua corpora perducere ad effectus, quorum dispositio in prædictis corporibus non invenitur, sicut Petrum fecit super aquas ambulare, sine hoc, quòd ei donum agilitatis tribueret. Sed, utì in initio cap., ait : « sic quòd principium operationis vel motûs sit a principio, sicut est in motibus violentis, et sicut est in operibus miraculosis, quæ non fiunt nisi virtute divinâ. » Ideoque quidquid in Raptibus corporis contingit, expeditiùs explicatur per solum Dei miraculosum concursum, motum illum violentum sursum inducendo, et gravitatem suo effectu privando, ad exigentiam moralem animæ, quam actu vehementissimo amoris ad se trahit.

§ 609.

EXTATICI SUBINDE SPLENDORE FULGENT.

Secundò. In Extasi divinâ subinde corpus extatici *radiis, splendore, aut lumine ornatur* et illustratur. Longum nimis esset lumina et splendores recensere, qui in Sanctorum, dum viverent, facie apparuerunt. Moysis facies de monte Sinai cum duabus Testamenti tabulis descendentis, *Exod.* xxxiv,

cornuta apparuit, id est, splendida, utì explicat S. Thomas, *in* II *Cor.* III; quem splendorem usque ad ejus mortem perseverâsse putat S. Ambrosius, *in Psal.* CXVIII. De aliis Sanctis exempla cumulant Bozius, l. 15, *de Sign. Eccl.*, c. 5, Cornelius a Lapide, *in Exod.* XXXIV; eaque passim occurrunt in *Actis SS. Bolland.* et in pluribus causis Canonizationis, de quibus Benedictus XIV, l. 4, p. 1, c. 26.

QUOMODO FIAT.

Schol. I. Theophilus Raynaudus, t. 9, punct. 3, cùm de fulgore disserit, qui in S. Francisci Paulini viventis facie apparuit, et ostendit lucem Christi D. transfigurati ob animæ ejus beatitudinem fuisse veram et dotem claritatis corporis gloriosi, quæ contra connaturale debitum grandi miraculo suspendebatur, ne in sanctum Dei redundaret, concludit fulgorem in Sanctis viventibus subinde splendentem, nec ex intrinsecâ radice prodire, nec positivum quid aut reale esse, sed meram apparentiam. Pignatellus verò, t. 5, consult. 43, docet hujusmodi splendores, diu et a multis visos, esse qualitatem physicam a Deo, vel ab Angelis, applicatione activorum idoneorum passivis, impressam, ad Sanctorum dignitatem manifestandam : eos autem, qui brevi tempore et a paucis conspiciuntur, esse meram lucis apparentiam a Deo aut Angelis, per aliquam mutationem, videntibus proportionatam, excitatam. Gaspar a Rejes, q. 36, vult eos posse et aliquando fuisse dæmonis commentum, utì in Marco, duce romano, teste Livio, l. 25, et in nonnullis aliis ante Julii Cæsaris mortem apparentibus.

QUANDONAM SPLENDOR MIRACULOSUS SIT.

Schol. II. Ut autem sciatur quandonam illa lux et splendor in Sanctorum viventium corpore apparens naturæ vel miraculo adscribi debeant, laudatus Benedictus XIV, l. c., sequentia observanda præscribit. 1. De facti veritate per idoneos testes de visu vero constare debet; nonnulli enim sunt, qui se splendores videre, et ab iis objecta illustrari dicunt, sed hallucinantur, idque Galenus, l. *de Arte cur.*, explicat per sanguinis abundantiam, et evaporationem e ventre ad caput. Donatus, *de Medic. Hist.*, l. 2, qq. 9, id a spiritibus animalibus visioni inservientibus, vel etiam a visionis instrumentis malè affectis repetit. Accedit quasdam flammas

circa hominum capita naturaliter apparere; subinde etiam circa totum hominem ignis emicat, et interdum flammæ et splendores vestibus aut baculo adhærent. Quò spectant ea quæ de Ascanio cecinit Virgilius, et de Servio Tullo, cujus dormientis caput ardere videbatur, refert Livius, l. c. *Decad.;* necnon quæ de Alexandro Magno cum Judæis pugnante, flammam a se emittente, narrantur. Alia verò de flammis e corpore humano erumpentibus apud Nierembergium et Cohausen, in *Tr. Nov. lum. Phosphoris accensum* etc. legi possunt. Vocantur hi ignes lambentes, et ob suam raritatem sunt innoxii, ac juxta Senertum, *Phys.*, l. 4, c. 2, ex subtili et pingui exhalatione per aerem dispersâ, et animalium pilis aut vestibus adhærente; vel ex sudoribus animalium calidioris temperamenti aut vehementi motu calefactorum oriuntur. Quare, si qui testes se lucem et splendorem vidisse testentur, de eorum sanitate erit inquirendum, an scilicet aliquo ex illis morbis laboraverint, quibus affecti splendores se videre falsò dictitant. Tùnc de eorum phantasiâ indagandum erit, cùm juxta S. Thomam, 1 p., q. 112, a. 3, sensus, et ab exteriori sensibili, et ab interiori, perturbatis scilicet speciebus et humoribus, perturbentur, ita ut quis putet se videre quod non videt. Quam ob rem Aurelius Baccius, cùm caput S. Philippi Nerii Missam celebrantis vidisset aureo splendore circumfusum, plura tentavit experimenta, ut certior fieret an a propriis oculis deciperetur, utì in ejus vitâ, l. 3, c. 1, legitur. Probationi pondus accedet, si plures testes rem viderint, utì notavit Philippus Maria a S. Paulo, *de Sacr. appar. in carn. S. Joan. a Cruce,* c. 5, et eruitur ex vitâ S. Salesii : unus tamen testis sanctitate insignis et prudentiâ clarus potest sufficere. 2. De lucis naturâ inquirendum est, quæ pro miraculo haberi poterit, si cæteris splendidior ac diuturna fuerit : si pluries ac præcipuè interdiu, aut in concione, aut in aliâ sanctâ actione visa fuerit : si luce coruscans, sanctis moribus excelluerit, si videntium conversio, aut aliud spirituale bonum subsecutum sit, si ea coruscans aliis signis et miraculis claruerit quæ omnia probant memoratos splendores miraculosè a Deo provenisse, ad servi sui sanctitatem patefaciendam, utì desumitur ex S. Gregorio Turonensi, *de Glor. Conf.*, c. 21.

§ 610.

EXTATICI SUBINDE DIU AB OMNI CIBO ET POTU ABSTINENT.

Tertiò. Nonnunquam extatici *ad longum tempus abstinen-*

tiam et jejunium ab omni cibo et potu *protahere consueverunt*. B. Nicolaus de Flue Eremita viginti duobus annis sine cibo et potu corporeo vixisse traditur, quod etiam Michael Angelus Lapius, fidei olim Subpromotor, fusiùs descripsit in suâ ad Michaelem Abbatem Justinianum epistolâ. Alia exempla passim in ecclesiasticis historiis occurrunt. Apud Bollandianos, *in Actis SS.*, Raynaldum, in *Annal.*, aliosque, aliqui Sancti integras quadragesimas, aliquando septem aut etiam duodecim annos nullo præter SS. Eucharistiam sumpto cibo transegerunt. Nemo hæc jejunia a miraculo removere potest, ex eo quòd sacramentales species juxta S. Thomam, 3 p. q. 77, a. 6, nutriant, nam adeo exiguæ sunt, ut vitæ tam diu conservandæ omnino non sufficiant. Nec obstat quòd juxta Græcos Eucharistiæ sumptio jejunium frangat. Hunc enim errorem Humbertus Cardinalis, in *Opusc. contr. Nicetam*, t. 18 *Bibl. PP.*, doctissimè refutat.

QUOMODO FIAT.

Scholium. Jejunium Christi D., Moysis et Eliæ quadraginta dierum miraculo non caruisse, omnes Theologi affirmant. Quantùm verò ad reliqua jejunia vera et diuturna attinet, Hippocrates, libr. *de Carnibus*, affirmat eis « qui septem diebus absque ullo cibo permanserint, dehinc non posse cibis subveniri; quia jam venter eos non admittit. » Alii verò pro temperamenti, ætatis, regionis, temporis, et consuetudinis ratione perfectum jejunium ad plures dies, menses et annos protrahi posse asserunt. Exempla apud Albertum Magnum, Poggium Florentinum, aliosque legi possunt. At Joannes Vierus *de Lamiis*, et cum ipso Richardus Holdwort, hujusmodi naturalia jejunia rejicit, addens jejunium ad septem dies absque virium amissione productum, si dæmonis fraus desit, miraculo esse adscribendum : quos tamen acriter reprehendit Rejes, in *Elys. camp.*, c. 58, cùm fieri possit ut per aquæ potum, aut per terræ aut herbarum comestionem illa contingant. Sed his omissis, Fortunatus Licetus, *de his qui diu vivunt sine alimentis*, contendit, animalia longo tempore sine alimento vivere posse per caloris et humidi radicalis æqualitatem : Zacchias verò fieri vult per humorem crudum et pituitosum in corpore congregatum : quòd, ut contingat, nonnullas circumstantias requirit; nempe, ut calor

nativus non acer, nec validus, sed debilis sit respectu copiæ et qualitatis humorum : ut cutis pori sint constricti, utque pituita et crudi humores quoddam aereum et unctuosum in se habeant. Et ipse Rejes prodigiosam naturalem inediam ad Extaticum quemdam statum caloris naturalis in corde refert. Verùm sicut Liceti sententiam improbat Zacchias, sic hujus sententiam rejicit Card. Lauræa, in 3, t. 4, d. 20. Et Rejes de propriâ dubitat. Ex dictis tamen colligitur, longa jejunia alia esse supra, alia intra naturam : quod Zacchias resolvit ex concursu vel defectu circumstantiarum recensitarum. Rejes plures inedias miraculo adscribit, sed signa non affert. Scribentes de Canonizatione nonnullas circumstantias attendendas dicunt; si enim servus Dei longum sine cibo et potu jejunium a Deo, ad probandum aliquem fidei articulum, petierit, illudque integris viribus peregerit : si heroicis virtutibus fulserit : si illud sumptâ solâ SS. Eucharistiâ sustinuerit, jejunium miraculis accensendum erit; imò Lauræa, l. 4 *Consult.*, 4, 3, distinguit inter profanos et Sanctos, ac profanorum jejunium naturæ, Sanctorum verò miraculo tribuendum esse censet, dummodo de eorum virtutibus heroicis constiterit. Benedictus XIV, l. 4, p. 1, c. 27, nonnulla adhuc ad miraculosum jejunium requirit. 1. Temporis diuturnitas ; quâ totâ quis ab omni cibo et potu abstinuerit, consideranda est. 2. Observandum an jejunium a morbo cœptum fuerit : tale enim ad quatuor annos aliquando protractum fuit, cujus rei insigne exemplum videri poterit in tom. 4, *Supplem.*, ad. hist. P. le Brun *de Superstit.* 3. Si a morbo non provenerit, indagandum est, an Dei servus jejunans bene se habuerit, utì de Christo D. notavit Scheuchzerus. 4. Suscepti jejunii causa investiganda erit : Christus enim, aliique, tum in Veteri, tum in Novo Testamento, res magnas aggressuri, a jejunio inceperunt. 5. Videndum an jejunans a cæteris piis operibus tempore jejunii abstinuerit, quæ exercere tenebatur : cum juxta Mysticos laudandum non sit jejunium quod alia pia opera impediat; quod etiam S. Hieronymus, *Ep. ad Demetriad.*, monuit. 6. Jejunantis virtutes et mores considerandi sunt, sine quibus jejunium nihil prodest, utì bene docuit S. Paulinus, *Ep. ad Celantiam* inter *Ep. S. Hieron.* His omnibus concurrentibus, jejunium miraculosum habendum erit.

§ 611.

EXTATICIS NONNULLIS SS. STIGMATA IMPRESSA SUNT.

Quartò. Nonnullis etiam Sanctis, in Extasi, *sacra quinque*

Stigmata D. N. Jesu Christi *impressa in corpore suo fuerunt.* Notissimum prodigium Stigmatum S. Francisci Seraphici a S. Bonaventurâ refertur, qui etiam narrat, Gregorium IX, P., ipsi viventi familiariter conjunctum, dubitantem de vulnere laterali, quod oculis non viderat, fuisse cœlesti visione de vulneris veritate edoctum. Tiburtius Navarrus ex *Annalibus* Wadingi vitam S. Francisci fideliter desumpsit, recitatisque S. Bonaventuræ et aliorum testimoniis amplissimè confirmavit, utì videri potest l. 4, c. 3 et 17. Item in *Novâ Collectione Priv. Apost.* a Roderico editâ reperiuntur summorum Pontificum Constitutiones, scilicet Gregorii IX, Alexandri IV et Nicolai III, de veritate Stigmatum S. Francisci, et eorum miraculosâ impressione; et in *Const.* 8 et 9 Gregorii contrarium asserentes reprehenduntur, utpote quorum rationem ipse in Canonizatione S. Francisci habuit: et Alexander, in *Bullâ ad omn. Præl.*, testatur se S. Francisci familiarem ante Papatum fuisse, tutamque horum Stigmatum notitiam habuisse, impositâ pœnâ in eos qui contrarium docerent, aut Stigmata a picturis S. Francisci abraderent. Bullam Gregorii IX Nicolaus III confirmavit; et Benedictus XI festum impressionis SS. Stigmatum S. Francisci instituit, cujus officium Paulus V ad universam Ecclesiam extendit. Item de S. Catharinâ Senensi, ex testimonio B. Raymundi ejus Confessarii, et aliorum apud Theophilum Raynaudum, t. 13, *de Stigmatismo sacro et prof.*, et ex officio quod in universâ Ecclesiâ recitatur, constat Beatam hanc Pisis commorantem, et in Extasin raptam, vidisse Jesum Christum crucifixum, e SS. suis vulneribus quinque radios coloris sanguinei emittentem, qui ad suas manus, pedes et cor dirigebantur, eumque humillimè exorâsse ne in suo corpore cicatrices apparerent, adeoque radios colorem puræ lucis assumpsisse, et ad manus, pedes et latus ejus maximo cum dolore pervenisse. Severam quidem censuram hæc SS. Stigmata inter Franciscanos et Dominicanos subierunt; imò Sixtus IV, in duabus editis Constitutionibus, excommunicationis pœnam in eos sancivit, qui S. Catharinam SS. Stigmatibus insignitam fuisse assererent, aut ejus imagines cum

iis depingerent. Verùm hoc eousque solùm prohibitum fuit, donec Sedes Apostolica hoc approbaret : quam approbationem etiam a S. Pio V, Clemente VIII et Urbano VIII, meruerunt: imò Benedictus XIII officium horum Stigmatum cum lectionibus secundi Nocturni propriis Ordini Prædicatorum concessit : quod deinde ad Diœcesin Senensem et Pisanam extensum fuit. Quæ omnia fusiùs legi possunt apud Benedictum XIV, l. 4, p. 2, c. 8, qui etiam notat quòd S. Catharina de Ricciis, et B. Lucia Narniensis sacris Stigmatibus decoratæ fuerint, utì in eorum officio proprio Ordini Prædicatorum et aliis locis concesso habetur.

QUOMODO FIAT.

Schol. I. Franciscus Petrarcha, l. 2, *de Vit. solit.*, c. 11, loquens de Stigmatibus S. Francisci, ea stupendum insigne Sacrorum Stigmatum appellat. Sed, l. 8, *Ep. senil. in 3, ad medicum Florent. Thomam de Garbo*, earum impressionem imaginationi, sive, utì ait, opinioni adscribit, et ait : « Profectò Francisci stigmata hinc principium habuere, Christi mortem, tam jugi et validâ meditatione complexi, ut cùm eam in se jamdudum animo transtulisset, et cruci affixus ipse sibi suo cum Domino videretur, tandem ab animo in corpus veram rei effigiem pia transferret opinio. » Adhæsit illi Pomponatius, l. *de Incantat.*, c. 6, ubi inquit, Stigmata S. Francisci posse ad vim naturalem imaginationis revocari, et ita esse affirmandum, nisi Ecclesia aliud statuat. At hoc tanquam error fusè convincitur a Liceto, *de Quart. quæst. per ep.*, c. 29, et a Theophilo Raynaudo, l. c. Et F. Bartholomæus de Pisis Ord. Min., an 1385, in l. *de Conform. B. Franc. ad vitam D. N. J. C.*, in prol. 2, ita habet : « Quòd hujusmodi prodigium, scilicet impressio SS. Stigmatum, divinâ solùm potentiâ sit peractum, non naturâ, nec arte, seu quâvis aliâ fortè imaginatione, patet, si forma Stigmatum in manibus et pedibus Sancti facta cogitetur : nam in manibus et pedibus ejus sunt facti clavi, sive de nervis, sive de carne; qui quidem clavi desupererant quoad capita solidi, grossi, et obtusi, erant longi, et extra manus et pedes protendebantur, et recurvabantur, intra quorum recurvationem actualem ipsorum digitus manûs immitti valebat, sicut dixit D. F. Bonaventura Episc. Alban. S. R. E. Cardinalis in *tertiâ* parte Legendæ majoris, se habuisse ab illis, qui hoc viderunt et palpaverunt, et

sic esse juramento firmaverunt. Modò dato quòd natura, vel imaginatio haberet vim aperiendi carnem ; facere tamen clavos de nervis sive de carne sic duros, et tali formâ dispositos, adjunctâ arte quâcumque, facere nullatenus posset. Patet etiam hoc idem, si consideretur materia de quâ tales clavi sunt facti ; cùm materia pedum et manuum, et præcipuè in loco ubi fuerunt Stigmata impressa, sit tota nervosa, et durior quàm in aliis partibus corporis. Similiter de vulnere laterali, in tali formâ et loco tali, præfatis de causis, fieri non potuit vi naturæ, nec imaginationis ; nec virtute naturæ tanto tempore imputribile potuisset conservari, sicut fuit in ipso Patre, quia per biennium, etc. Vehemens imaginatio Passionis Jesu, si haberet Stigmata naturaliter imprimere, hoc præ omnibus in Beatâ fuisset Mariâ Matre ipsius Domini Redemptoris, et in ejus corpore, quæ præ cunctis Christum amavit, et de ejus Passione condoluit. » Ex quibus apparet hanc impressionem miraculosam esse. Quia tamen in impressione invisibili imaginatio aliquid valere potest, et in visibili fraus tum humana, tum diabolica intervenire potest, cautè in hac re procedendum : omnes circumstantiæ bene considerandæ, virtutes heroicæ, vel alia miracula insigniter attendenda, et judicium Sedis Apostolicæ requirendum et exspectandum erit.

SANGUINEUS SUDOR EXTATICORUM.

Schol. II. Quodsi subinde in Extaticis sudor sanguineus, aut sanguineæ lacrymæ a corpore et oculis emanare deprehendantur, ea in causis Canonizationis inter miracula non admittuntur, utì notat Benedictus XIV, l. 4, p. 1, c. 26, quia etiam sudor sanguineus Christi D. in horto naturalis fuit, ex maximo mœrore ortus, utì demonstrat D. Calmet, in *diss. de sudor. sang.*, ubi varia exempla sudoris sanguinei et sanguinearum lacrymarum citra ullum miraculum perfluentium affert, ac physicis et anatomicis rationibus confirmat.

§ 612.

SIGNA EXTASIS DIVINÆ.

PRIMO : SUSPENSIS SENSIBUS ANIMA CONTEMPLATUR DIVINA.

Denique signa *Extasis divinæ* nunc afferenda sunt, quæ,

præter illa quæ pro discernendis visionibus et Prophetiis in antecedentibus allata fuerunt, sunt sequentia.

Primò. In Extasi divinâ, suspensis sensibus externis, *non debet suspensio sequi mentis et cordis*, sed hæ potentiæ interim in actibus strictæ contemplationis, cum Deo unientis, exerceri debent : hæc enim contemplatio debet esse causa suspensionis sensuum; aliàs tantùm erit deliquium, ex solâ virium debilitate ortum : utì patet ex definitione Extasis divinæ ex S. Augustino depromptæ, § 606. Et S. Theresia, in *Cast. mans.*, 6, c. 4, monet de Raptu divino : « Non is est, ut quando deliquium ingruit, aut paroxismus, nihil interiùs exteriùsque intelligentiæ relinquens : sed quantum capio de casu isto, nunquam anima tam vigil exstitit ad res divinas, nec tam eximiâ luce fruens et cognitione divinæ Majestatis. »

QUANDONAM REVELATA IN EXTASI POSTEA NARRARE POSSIT.

Scholium. Ex hoc sequitur extaticos supernaturaliter raptos eorum quæ in Extasi contigerunt memoriam habere, § 592. Sed ne hìc aliqua æquivocatio contingat, notat S. Theresia, l. c. : Si per visionem imaginariam Deus aliqua extatico revelat, ea memoriæ impressa remanent, et postea ab eo narrari possunt : si verò ea revelet per visionem purè intellectualem, ea quidem remanent in mente impressa, ut in oblivionem non cadant; at ea extaticus ad se rediens enarrare nescit, sed solùm confusè eorum recordatur; ut si quis intimum Regis cubiculum, vasis, tabulis, statuis, aliisque pretiosissimis mirâ arte dispositis ornamentis refertum ingressus fuerit, eaque omnia simul in oculos incurrant, fieri non potest, ut de singulis postmodum in tantâ rerum copiâ recordetur, nisi fortè Deus extatico facultatem ea ad utilitatem aliorum referendi concedat, unde S. Paulus ipse ait, se in Raptu suo vidisse, *quæ non licet homini loqui*. Vide, § 405, schol. 2.

§ 613.

SECUNDO : EXTASIS DIVINA DECENS EST, ET VERBA CÆLESTIA PROFERT.

Secundò. Extasis divina fit cum *maximâ ordinatione* totius

hominis interni et externi, § 599. Et Extaticus in Extasi non loquitur, nisi cœlestia, quæ adstantes ad Dei amorem invitant. Cùm enim Extasis divina a magnitudine admirationis et amoris divini oriatur, nonnisi in divina linguam se resolvere sinit. Unde, *Jer.* XXIII, 28, dicitur : *Propheta... qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè.*

EXTATICI SUBINDE LOQUUNTUR.

Scholium. Negari non potest quòd in Extasin divinam rapti aliquando loquantur, sicuti etiam dormientes subinde loquuntur. P. Ceparius, Confessarius S. Magdalenæ de Pazzis, vitam S. Aloysii a se conscriptam ei cum parte digiti ejusdem dedit; cùmque Sancta Reliquiæ particulas sororibus divideret, repente in Extasin divinam rapta, per intervalla, mirabilia verba protulit, quæ supremum gloriæ gradum S. Aloysio in cœlo concessum amplissimè patefecerunt. Octodecim testes factum retulerunt ex Monialibus præsentibus. Nonnullæ ex iis verba scripserunt, quæ a S. Magdalenâ prolata fuerant, exhibitoque ipsi folio in quo notata erant, multùm illacrymans, quòd occulta Dei dona vulgare cogeretur, jussu Archiepiscopi Florentini, qui ideo in cubiculum ægrotantis venerat, cum juramento confessa est, omnia in folio descripta vera esse, prout in eo narrabantur, prout in process. Canoniz. S. Magd. et S. Aloys. habetur. Illud hìc notandum, ut verba observentur quæ ab extaticis proferuntur, unà cum omnibus circumstantiis, utì ostendit Pignatellus, t. 8, cons. 251.

§ 614.

TERTIO : EXTASIS DIVINA EST ARDENTER AFFECTIVA.

Tertiò. Non sufficit ut in Extasi divinâ *actus interni* sint intellectuales, sed requiritur ut sint *ardenter affectuosi*, utì satis certò de Extasi divinâ constet. Aliàs enim magis erit Extasis philosophica quàm mystica. Unde, *Jerem.* XXIII, 20, dicitur : *Nonne verba mea quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras.* Et S. Salesius, l. 7 *de Amor. Dei*, c. 6, ait : « Si Extasis sit pulchrior quàm melior, lumi-

nosior quàm calidior, magis speculativa quâm affectiva, admodum est dubia... Verendum est ne aliquid subsit periculi, ne Extasis ista falsa sit, neve eam hominem habentem inflet potiùs quàm ædificet. » Agnoscit quidem S. Præsul in Extasi posse aliquid verè a Deo revelari etiam non habenti charitatem ; sed hoc rarum est, et per imperfectam revelationem, cujus expositio alicui Sancto reservatur, utì Danieli in somniis Nabuchodonosoris. Nec obstat quòd Extasis divina tam intellectualis quàm affectiva esse possit : quia hæc distinctio solùm secundùm excessum unius vel alterius attenditur, licèt in eâ et illuminatio et ardor adesse debeat, § 608, schol. 1 ; cò tamen certior erit quò magis affectiva fuerit.

UNDE A CHARITATE DIVINA ORIRI DEBET.

Scholium. Meritò proinde in causis Canonizationis non admittuntur Extases ut divinæ, nisi probetur eas a redundantiâ divinæ charitatis provenisse. Tunc verò meritò assumuntur ut confirmativæ heroicæ charitatis, et orationis sine vitio circuli : quia non proceditur tanquam ab unicâ probatione heroicæ charitatis, sed tanquam ab adminiculo comprobante heroicam charitatem, priùs jam probatam. Quando verò locutio aut visio divina in Extasi fit ad correctionem aut correptionem tepidi vel peccatoris, clarum est quòd charitatem non supponat, aliunde verò ab effectibus probari potest divinam esse, si contritio aut fervor singularis subsequatur, aut comminatio impleatur, utì ex historiis sacris et ecclesiasticis, maximè Dialogis S. Gregorii apparet.

§ 615.

QUARTO : EXTASIS DIVINA PLERUMQUE IN SANCTIS EXERCITIIS CONTINGIT.

Quartò. Extatici plerumque *in oratione positi*, vel *inter audiendum Sacrum*, vel post sumptam *SS. Eucharistiam*, aut sermones de Deo vel cœlesti gloriâ auditos, in Extasin rapiuntur. Delrio, l. 2, q. 25, narrat quamdam Dei servam Burgis in Castellâ, an. 1585, sæpe in Raptum elevatam fuisse, cùm

SS. Eucharistiam receperat, et ad se reversam, erubescentiæ plenam et pudoris, consuevisse se celerrimè in conclave recipere. Scacchus quoque, *de Not. Sanct.*, similia de S. Catharinâ Senensi refert.

§ 616.

QUINTO : EXTASIS DIVINA SÆPE BREVIS EST.

Quintò. Divini raptus *non sunt prolixi*, sed sæpe breves, juxta ea quæ habentur apud Card. Bonam, *de Discr. spir.*, c. 14, et apud Thomam a Jesu, *Oper.* t. 2. disp. 3, c. 8.

§ 617.

SEXTO : EXTASIS DIVINA VITAM SANCTAM POST SE TRAHIT.

Sextò. Extasis divina securè erit, si illi *effectus vitæ perfectæ* correspondeaṅt; nam *a fructibus eorum cognoscetis eos.* Et hanc notam præcipuè assignat S. Salesius, *de Amor. Dei*, c. 7: « Quando igitur in oculos incurrit quispiam, qui in oratione habet Raptus, per quos egreditur extra se, et ascendit supra seipsum in Deo, et nihilominus non habet vitam sublimem, et Deo confixam, per abnegationem mundanarum concupiscentiarum et mortificationem propriarum voluntatum, et inclinationum naturalium cum suavitate quâdam interiori, cum simplicitate et humilitate cordis, præcipuè autem cum continuâ charitate : crede mihi, Theotime, ejus Raptus sunt admodum suspecti et periculosi. Sunt ipsi Raptus propriè ad inducendos homines in admirationem, non autem ad sanctitatem... In summâ, est vera nota, quòd hujusmodis Raptus et Extases non sint, nisi occupationes mentis humanæ, et deceptiones spiritûs maligni. » Et S. Theresia, in *Vit.*, c. 20, effectus Extasis divinæ tres præcipuos assignat, scilicet cognitionem magnitudinis Dei, profundam humilitatem, et suî

ipsius cognitionem, et contemptum rerum terrenarum. Et, in *Cast. mans.*, 6, c. 14, concludit : « Nullum autem certius indicium Extasis veræ ac supernaturalis est, quàm si mores ejus qui rapitur cum hoc divino munere consentiant, ut supra diximus : si nimirum mundum contemnit, si ejus pompas et vanitates detestatur, si efficax Deo serviendi propositum habet, si se indignum eâ gratiâ reputat, si majorem in dies progressum facit, si ex intimâ cum Deo unione crescit in eo humilitatis abnegatio, odium suî et amor Dei. »

ADHORTATIO AD EXTASIN AMORIS.

Corollarium. Quanquam igitur Extases et Raptus non desiderandi sint, minimè tamen nec in nobis, nec in aliis contemnendi sunt, quia celerrimè animam a terrenis elevant, et Deo arctissimè conjungunt : imò, utì notat Richardus Victorin., l. 5, *de Cont.*, c. 5 : « Quamdiu hujusmodi excessus in nobis minimè sentimus, quid aliud quàm... de nobis sentire debemus, nisi quia minùs diligimus. Si enim, quisquis es, plenè, perfectèque diligeres, fortè dilectionis tuæ nimietas, æstuantisque desiderii anxietas in ejusmodi te raperet excessus.... Item sanè si divinâ dilectione plenè dignus exstitisses, si tantâ dignatione te idoneum exhiberes, fortè tantâ luminis sui claritate intelligentiæ tuæ oculos irradiaret, tantâ intimæ suæ dulcedinis suavitate cordis tui desiderium inebriaret, quâ teipsum supra temetipsum raperet, et per mentis excessum in superna elevaret. » Universim verò desideranda et totis gratiæ viribus Extasis amoris procuranda est, quæ si adsit, ad omnem perfectionem sufficit, licèt aliæ visibiles Extases et Raptus desint; illa quippe et perfecta impletio primi et maximi præcepti de dilectione Dei super omnia, in quâ substantialiter omnis perfectio Sanctorum in viâ et patriâ consistit : quod mandatum omnes obligat, et si perfectè adimpleatur, mortuus quisque erit terrenis, et vivus in Deo. Utì enim S. Salesius, l. 7 *de Amor. Dei*, notat : « Complures Sancti gloriosè vivunt in cœlo, qui nunquam rapti fuerunt, nec Extases, nec Raptus contemplationis senserunt : nam quàm multos Martyres, quàm illustres Sanctos et Sanctas legimus in historiis, qui in suis orationibus aliud non habuerunt privilegium, quàm devotionis et fervoris? At nunquam Sanctus exstitit quispiam, qui non habuerit Extases et Raptus vitæ et operationis, superando seipsum, et suas inclinationes naturales. » Et juxta illud : *Virgo ego, etc.*, practicè exponit quomodo

hæc Extasis et Raptus vitæ et operationis fiant in Christo Jesu, moriendo rebus cæteris, et ad novam Jesu vitam resurgendo. Et, c. 8, ad eamdem praxin excitat verbis Apostoli, II *Cor.* v : *Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed et qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Ubi subdit S. Præsul : « Jesus totus meus est, et ego illius : vivam, et moriar super pectus ejus : me neque mors, nec vita unquam separabit ab illo. » Ac demum : « Atqui hoc modo fit sancta Extasis veri amoris, quando non ampliùs vivimus secundùm rationes et propensiones humanas, sed secundùm nobiliores, et super illas longo intervallo exaltatas, secundùm inspirationes et instinctus divini animarum nostrarum Salvatoris. »

§ 618.

ARCANA CIRCA EXTASES ET RAPTUS.

I. In extaticis rarò adhibendæ sunt probationes violentæ, utì ligamine pedum, manuum torsione, punctione usque ad sanguinem, et perstrictione pupillæ oculi ex flammulâ candelæ; miseri enim patientes nimiùm vexati manent. Si suspicio sit vel esse fictiones, vel mera deliquia personarum spiritualium, satius erit illa contemnere, nullâ talium rerum habitâ ratione.

II. Non repugnat quidem, physicè loquendo, ut aliquis in Extasi moriatur; quia ex aliquâ meatuum obstructione symptoma sequi potest, quòd vitam adimat : moraliter tamen loquendo, hoc vi Extasis, nisi Deus ob alias rationes velit, est impossibile, nec enim Dei dona sunt congrua media, ut per ea fines adeo infelices inducantur.

III. Quando ligamine torquentur extatici, subinde ad se redeunt, cùm natura ita provida sit, ut spiritus vitales mandet parti debiliori, ut illi subveniat; cumque pars ligata adeo vexetur, spiritus vitales in cerebro vel corde collecti citatim prosiliunt, in auxilium partis exterioris oppressæ, sicque in

se ipsos revertuntur extatici : quanquam hoc sæpe non prosit, eò quòd Raptus sit valde supernaturalis.

IV. Neque Christus Dominus, neque Beatissima Virgo Maria in Evangeliis Raptus vel Extases habuisse leguntur, neque hujusmodi rebus opus habebant.

V. Si Raptus et Extases oriantur a principiis infusis, ubi parte inferiori sensibus privatâ, pars superior intellectûs et voluntatis Deo unita orationi vacat, valde conferunt ad vitam in meliùs promovendam : si verò in solâ parte inferiori sistunt, sine usu sensuum et oratione, utì non rarò fit, computandi veniunt in temporis jacturam.

VI. Dantur etiam deliquia extatica, seu Extases deliquiis similes, quæ a principio interiori oriuntur, quales plerumque contingunt in personis orationi deditis, maximè in feminis infirmi capitis, modici cordis, ac debilis complexionis. Cujus ratio est quòd cum quâvis internâ operatione vehementi et suavi habitâ, subitò privantur usu sensuum externorum, et simul oratione, quæ utpote dependens a principio acquisito per sensus externos, his deficientibus etiam deficit. Requiratur a talibus in se reversis, an remaneat in ipsis aliqua reminiscentia in memoriâ intellectivâ rerum quæ egerint aut passi sint, et fatebuntur nihil recordari : quod secùs evenit his, quorum Extases ab infuso principio dependent : recordantur enim favorum, quibus in Extasi a Deo sunt donati.

VII. Illos qui rapiuntur identidem, in se reversi aliquantulùm quamprimum destituuntur sensibus, paucula edicunt, et iterum rapiuntur, et quin possint edere, bibere, aut dormire, per plures dies continuò subsistunt, consultissimum est in aliquo cubiculo collocare, illis assistere, atque utut liceat delicatè tractare jusculisque reficere, donec plenè ad se revertantur; at si signa Extasis divinæ adsint, nec medicos, nec medicinas, nec rumores plausibiles, nec concursus hominum, nec strepitus admittere. Deus, quem ad hoc extremum redegit, ab ipso redimet, cùm non satis constet ullum hoc

mortis genere obiisse : quod si hac viâ e vitâ excederet, felix ille ; siquidem extinctus foret vi amoris divini, cujus excessus talium effectuum causa foret.

VIII. Personis, quæ frequenter afficiuntur deliquiis extaticis, quæque sensuum usu identidem vi internâ orationis mentalis privantur, cibus et somnus solito plenior præscribatur, plusque orationis vocalis quàm mentalis. Solent tamen ejusmodi personæ suæ voluntati esse addictissimæ, et rarò adducuntur ut obediant et suo modo vivendi renuntient.

IX. Via revelationum et raptuum divinorum bona quidem est, sed satis periculosa : similis est funambulorum gressui per funes, qui etsi non labantur neque fracturam pedis manusve sustineant, expositi tamen sunt casui et perditioni. Cùm, econtra, qui sub humilitate per viam regiam obedientiæ incedit, patienter adversa perfert, et exercitio virtutum studet, solidè sanctus evadat, neque similes ruinas timeat. Quia via prior, via bona, sed periculosa ; posterior, secura et fructuosa est.

CAPUT V.

DE BONO REGIMINE RELIGIOSO.

§ 619.

REGIMEN RELIGIOSUM QUID.

Cùm Theologia mystica practica de vitâ Christianâ perfectâ agat, jure merito in specimen status Religiosus proponitur, cujus est, illos peculiari studio huic perfectioni incumbere, qui se totos in illo in holocaustum divinæ Majestati consecrant, et illis Christi D. Evangelicis consiliis inhærent, *Matth.* XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes... et veni, et sequere me.* Quia autem juxta S. Thomam, 2, 2, q. 186, a. 5: «Status Religionis est quædam disciplina, vel exercitium, tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur, vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet directionem alicujus sequantur, secundùm cujus arbitrium instruantur, vel exercitentur, ut perveniant ad aliquem finem quasi discipuli sub Magistro. Et ideo oportet quòd Religiosi in his quæ pertinent ad Religiosam vitam alicujus instructioni et imperio subdantur.» Hinc cùm in tomo primo de vitâ spirituali pro Religiosis subditis sufficienter actum sit, in præsenti tomo de Magisterio, seu Regimine Religioso, et quomodo Prælatus suos Religiosos subditos sanctè et bene regere et instruere debeat, quæque ad hoc in eo qualitates et virtutes requirantur, tractandum erit. Quapropter *Regimen religiosum* est practica quædam prudentia, quæ bonâ cum pro-

portione dirigit media in ordine ad Religiosam communitatem cum pace conservandam juxta institutum quod ipsa profitetur.

EXPLICATUR.

Scholium. Nomine Regiminis religiosi comprehenditur tam Regula scripta a Fundatoribus, suis Religiosis tradita, quàm regula viva Prælati, seu Superioris : prout enim cum prudentiâ practicâ, per media et institutum Regulæ, Superior suam Communitatem ordinaverit, eadem in Regularitate florebit. Et sicuti Apostoli vocati sunt ut primam Religionis ideam exhiberent, vivendo juxta regulam perfectionis evangelicæ, sub obedientiâ et peculiari directione Christi Domini, ita et Apostolos imitantur, qui ad varias Religiones vocantur, ut juxta regulas suas, et sub suis Prælatis, Christi vicesgerentibus, Christum sequantur. In Regimine autem religioso, Superiores potiùs quàm subditi considerantur, et illorum prudentia potiùs quàm istorum : quia a Superioris bonitate bonum Regimen Communitatis, sicuti proficua salus corporis a capitis idoneitate, maximè dependet. Unde de Superioribus Religiosis, et proportionatè de aliis etiam Superioribus Ecclesiasticis principaliùs tractatur, et consequenter tantùm de iis quæ ex parte subditorum ad bonum Regimen religiosum conferunt.

§ 620.

SUPERIOR RELIGIOSUS QUID.

Superiores Religiosi dicuntur illi quibus Communitatis alicujus Religiosæ directio incumbit, et qui gubernationem ac Regimen suum ad subditorum suorum salutem referunt.

VARIA NOMINA SUPERIORUM RELIGIOSORUM.

Scholium. Superiores, quibus Religiosi parent, pro diversitate Ordinum, variis nominibus insigniuntur : alii *Abbates*, alii *Præpositi*, alii *Priores*, alii *Rectores*, alii *Guardiani* vocantur; inter quos nonnulli *Provincialibus*, hi verò *Generalibus* subsunt. Hic non tractatur de Prælatis intra Religiosos Ordines specificos, prout sunt hujus potiùs, quam alterius Religionis, nec cum ordine inter se intra eamdem Religionem, sed sub nomine generico Prælati Religiosi tractatus hic procedit.

§ 621.

PRÆLATUS RELIGIOSUS EST MAGISTER.

Prælatus religiosus est in suâ Communitate omnium suorum subditorum *Magister*. Colligitur 1° ex S. Scripturâ, *Eph.* IV, 11, ubi dicitur Deum in Ecclesiâ suâ dedisse *alios autem Pastores et Doctores*. Cùm ergo Prælatus sit pastor, utì inferiùs videbimus, patet quòd etiam esse debeat Doctor, seu Magister. Unde Apostolus hìc non, utì ad alia munera, numerat alios et alios, sed eosdem ad utrumque munus, utì notat ad hunc locum S. Hieronymus, dicens : « Non ait, alios autem Pastores, et alios Magistros ; sed alios Pastores et Magistros ; ut qui pastor est esse debeat et Magister : nec in ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit. » Idipsum notant S. Augustinus, *Ep.* LIX *ad Paulin.*, q. 4, S. Thomas, ad l. c., Estius etc. Idem eruitur ex illo, *Luc.* X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Ubi Christus D., summus Prælatus et Magister, juxta illud, *Joan.* XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis, sum etenim*, suos discipulos, quos fidelibus præfecit, tales fecit Magistros, ut in illis Christus ipse audiendus foret, utì notat ibi Card. Toletus, *annot.* XXII. Idem 2° docent S. Hieronymus, *Ep.* IV *ad Rustic.;* S. Gregorius Naz., *Or.* I, *de suâ fugâ ;* et S. Gregorius M., in *Pastor.*, p. 1, c. 1; Climacus, in suo *Pastore*, c. 1. 3° Rationem dat S. Thomas quia status Religionis est disciplina et exercitium tendendi ad perfectionem, quæ utique Magistrum, qui est Prælatus Religiosus, requirit.

§ 622.

SCIENTIA PRÆLATI.

Quia igitur Prælatus Religiosus suorum subditorum Magister est, ideo *primò*, ad explendas rite sui Magisterii partes,

debitâ et competente scientiâ et doctrinâ instructus esse debet, et eò quidem majori, quò Magister discipulos suos superare debet. Sumitur 1° ex S. Scripturâ, I *Tim.* III. Apostolus ab Episcopo et ab omni Prælato requirit ut sit *doctor* : et, I *Tim.* IV, Timotheum monet : *Attende lectioni et doctrinæ.* Et, *ad Tit.* I, requirit *ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt, arguere.* 2° Patet ex PP. S. Gregorius, in *Pastor.*, c. 1, ait : « Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magnâ temeritate... et tamen sæpe, qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt : dum, qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescant. » Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 64, de Abbate statuit : « Oportet ergo eum esse doctum lege divinâ, ut sciat, et sit, unde proferat nova et vetera. » S. Bernardus, *Serm.* 3, *de Circumcis.*, ait : « Nunquid eliget esse Magister, qui nondum discipulus fuit, et docere quod didicit nunquam. » Et S. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 3, ad 2, docet de Prælatis : « Debet enim ad hoc intendere, ut talem se exhibeat, ut cæteros et scientiâ et sanctitate præcellat. » 3° Ratio est : quia erubescit homo sensatus Magistrum agere in scientiis humanis et profanis, easque docere quas non perfectè didicit, partemque honoris non exiguam reputat docere cum perfectione, ad quod indefesso studio laborat : ergo multò magis Prælatus tanquam Magister spiritualis ad munus suum rite obeundum competenti scientiâ imbutus esse debet, et quidem multò magis quàm Episcopus, vel Parochus, vel alii animarum curam habentes : quia agitur de Magisterio erga discipulos, qui tendunt ad specialem perfectionem.

QUALIS SCIENTIA REQUIRATUR.

Scholium. Insignis quidem litteratura et eruditio in scientiis quibuscumque Prælato Religioso apud subditos suos magnam auctoritatem præstare potest, in scientiâ tamen Sanctorum præ primis excellere debet, quæ est scientia practica, quâ quis studet per omnia servire et placere Deo, quæ non est mundanorum, non

politicorum, non Philosophorum, non Theologorum, sed Sanctorum : nec enim gubernare debet mundanè, nec politicè, sed sanctè, tanquam Magister illius scientiæ practicæ quâ subditi sui per omnia Deo servire et placere studeant, quâ et ipse Prælatus res sacras et Mysteria Dei ac vitæ spiritualis bene calleat, ut in eâ subditos suos bene erudire valeat, utpote qui ad sanctitatem toto conatu aspirare tenentur.

§ 625.

ORATIO ET STUDIUM PRÆLATI.

Secundò. Ut Prælatus Religiosus hanc scientiam Sanctorum sibi acquirat, *orationi et studio rerum divinarum* indefessè incumbere debet. Nam 1°, *Jac.* I, 5, dicitur : *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet a Deo.* Et S. Paulus, I. Tim. IV, monet : *Attende lectioni.* Et, *Eccl.* XXXIX, dicitur de Doctoribus : *Cor suum tradet, ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum... Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* » 2° S. Gregorius, in *Pastor.*, p. 2, c. 11, ait : « Quia valde inter verba humana cor nostrum defluit, et usus humanæ conversationis indesinenter destruit vim sollicitudinis, atque providæ circumspectionis erga cœlestem vitam, oportet quòd per meditationem sacrorum eloquiorum jugiter restauretur... Nunquam Rector a sacræ lectionis studio recedat. » Et S. Isidorus, l. 2 *Offic.*, c. 5, de Prælato ait : « Cujus præ cæteris speciale officium est, Scripturas legere, percurrere Canones. » 3° Ratio est tum quia sine oratione virtutes sibi necessarias Prælatus comparare non poterit ; tum quia sine studio rerum divinarum subditos suos in dubiis, difficultatibus, illusionibus etc., in vitâ spirituali occurrentibus rite et securè gubernare non valebit.

QUOMODO HUIC STUDIO INTENTUS ESSE DEBEAT.

Scholium. Igitur Prælatus Religiosus vacare debet intentissimè rerum divinarum studio, et Theologiæ mysticæ non tantùm spe-

culationi, sed etiam gustui, quoad poterit, seipsum vitæ puritate et amore unionis divinæ coaptet. Nec dicat sibi non sufficere tempus ad spiritualia negotia : nonne enim multi sancti Prælati Religiosi, non solùm tempus ad orandum, meditandum et sacrificandum, sed etiam ad scribendum plures libros inveniebant? Ven. Bartholomæus a Martyribus, l. *de mor. Prælat.*, c. 4, hìc bene notat : « Triplex est status mentis in homine implicato negotiis, simulque Deum quærente : Primus, quando habet otium; tunc enim mente et affectu vehementer debet in Deum ferri, atque operam dare ne imagines quæ tunc, velimus, nolimus, sese ingerunt trahant cor post se : sed etiamsi circumvolent nos, mens tamen super omnia temporalia stabiliatur. Secundus, quando vacat negotiis omnino ebibentibus attentionem omnem, ut quando quis supputat aut legit aliquod difficile intellectu, aut audit negotium variis nodis implicitum, quod oportet rectè intelligere, ad sententiam justè ferendam etc., quo tempore quamvis non maneat actualis amor Dei, neque simplex ille intuitus ipsius; manet tamen quædam impressio amorosa relicta ex frequentiâ actualis amoris, quæ magnam pacem et quietem affert exercitatis, quam non amittunt etiam in ipso negotiorum turbine, et per quam, illis transactis, mox redeunt ad centrum ac thesaurum suum, immittendo sagittas actualis amoris. Tertius verò status est, quando intendit communibus negotiis, quæ non ita magnam exigunt attentionem, quibus non ita magna pars cordis tribuenda est, ut non etiam sua particula Deo reservetur. Quid stultius dici potest, quàm quoniam officium pastorale est multis negotiis implicitum, ideo non sit quotidie celebrandum? Imò quia tale est, oportet vel spatium celebrationis separare Domino, ad munimen contra tentationes, ad lumen in negotiis, ad consolationem inter tot afflictiones, ut vel tunc respirare liceat. In pastorali officio multa sunt, quæ devotionem nutriunt, scilicet continuæ vexationes et angustiæ.... Et attende quòd sicut Judæi tantum colligebant de illo suo Manna, quantum erat necessarium atque sufficiens ad totam diem : ita oportet virum diurnis horis occupatum tantùm nocturnis vacare exercitiis, quantùm sufficiat ad ferenda dulciter officii onera propter Deum. »

§ 624.

PRÆDICATIO ET EXHORTATIO.

Tertiò. Scientia Prælati Religiosi non debet illi soli, sed maximè suis subditis esse proficua, adeoque ut Magister eo-

rum, *frequentibus exhortationibus et prædicationibus* eos erudire tenetur. Ita 1° S. Paulus, I *Tim.* IV, scribit Timotheo : *Attende tibi et doctrinæ, insta in illis : sic enim te salvum facies, et eos qui te audiunt.* Et, II *Tim.* IV, eum obtestatur : *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos ; prædica verbum, insta opportunè, importunè, etc.* Et instantiam suam in verbo Ephesiis, *Act.* XX, testatur : *Per triennium non cessavi die et nocte cum lacrymis monens unumquemque vestrûm.* Unde etiam Trid., sess. 5, c. 2, *de Reform.*, docet, prædicationem Evangelii esse præcipuum Episcoporum munus, et omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum S. Jesu Christi Evangelium. Id quod, sess. 24, c. 4, *de Ref.*, de Parochis; et, sess. 23, c. 1, *de Ref.*, universaliter statuit : « præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est... verbi divini prædicatione (eas) pascere. » Quare etiam antiqui SS. Ordinum Prælati in his prædicationibus et exhortationibus indefessi fuerunt, utì inter plures vel ex solis Sermonibus S. Bernardi ad suos Religiosos apparet. 2° Patet ex PP. S. Gregorius, l. 2, ep. 39, de Episcopis, et consequenter de omnibus Prælatis, ait : « Episcopi est *de prædicationis ministerio semper cogitare, intensissimo* timore considerans, quòd recessurus ad percipiendum Regnum Dominus, et talenta servis distribuens, dicat : *Negotiamini, dum venio.* Quod profectò negotium tunc verò nos agimus, si vivendo et loquendo animas lucramur; si infirmos in superno amore roboramus, si protervos et tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus. » S. Bernardus, *l. de Cons.*, ad Eugenium ait : « In his duobus mandatis, verbi scilicet atque exempli summam tui officii ad conscientiæ securitatem pendere intellige. » 3° Ratio est ex S. Thomâ, in c. 19 *Matth.* : « Quia status Prælationis non est ad acquirendam sibi perfectionem, sed ad habitam communicandam... Unde talis est differentia inter perfectionem Religiosorum et Prælatorum,

qualis inter discipulum et Magistrum. Unde discipulo dicitur: Si vis addiscere, intra scholas, ut addiscas; Magistro dicitur: Lege, et perfice. »

PRÆLATI A PRÆDICATIONE SE NON SUBTRAHANT.

Scholium. Proinde Prælati Religiosi animas suæ curæ commissas prædicatione debitâ seu exhortationibus domesticis in communi, seu privatim pro cujusvis indigentiâ, seu alio modo pascere debent, prout zelus domus Dei, vel proprii Instituti Regulæ, aut laudabiles consuetudines præscripserint. Et quidem si Prælati laici fuerint, saltem suo modo familiari observantiam mandatorum Dei, et regulæ suæ, per exhortationes sibi competentes promovere debent, id quod etiam Superiores feminæ juxta modum suum præstare debent. Sane nihil intolerabilius est, quàm Prælatum Religiosum totum tempus in œconomicis et aliis sæcularibus negotiis prodigere, et exiguum aut nullum sacris lectionibus et meditationibus tradere, quatenus sanctis sermonibus et exhortationibus ovium suarum animas ad terrenorum comtemptum et cœlestium amorem inflammare possit. Concilium Carthaginense IV statuit ut etiam Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed orationi et lectioni, et verbi Dei prædicationi tantummodo vacet: Quod Patres illi ab Apostolis, *Act.* VI, acceperunt, dicentibus: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis etc.* Et in hoc præter alios Prælatos Religiosos secutus est eos S. Anselmus, qui dum Beccensis Abbas esset, Monasterii negotiis sollicitudini fratrum, quos ipse strenuos et idoneos noverat, delegatis, totus eruditioni, admonitioni et correctioni fratrum, divinæque contemplationi vacavit: id saltem exemplo suo docens, ne Prælati Religiosi, quibus cura temporalium incumbit, spiritualia et exhortationes, etc., negligant. Nec dicant quòd per alios sibi subordinatos hoc munus commodiùs exerceant, maximè cùm hoc perfectionem sacram suis Religiosis præscriptam, suppleri possit. «Nam etsi fortè Prælatus sit minùs doctus, aut minùs eloquens, habet tamen aliquid et majus et fortius verbum pastoris: sicut lac matris utilius esse censetur lacte nutricis. Audiant igitur Episcopi (seu Prælati) consilium Jethro, et eis dictum a Domino putent, quod Moysi ille suggessit his verbis, *Exod.* XVIII: *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque illi cæremonias, ritumque colendi, et viam, per quam ingredi debeant. Provide autem viros timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui*

oderint avaritiam, et constitues eos judices minorum, majora verò ad te adferant. Hucusque Ven. Bartholomæus a Martyr., *de Mor. Præl.*, c. 7.

§ 625.

EXEMPLUM BONUM.

Quartò. Ut verò Prædicatio et Exhortatio Prælati, tanquam Magistri, magis sit efficax, suis Religiosis *bono exemplo* in omni genere virtutum prælucere debet. Ita 1° jubet Christus D. Apostolos suos, *Matth.* v, 14 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Christus ipse, *Act.* I : *cœpit facere et docere.* Et S. Paulus, ad *Tit.* II, Titum monet : *Teipsum præbe exemplum bonorum operum.* 2° Subscribunt PP. S. Augustinus, in *Reg.*, Prælatum monet : « Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. » S. Basilius, in *Reg. fusior. interrog.* 43, ait : « Oportet igitur, ut si quis Præfectus est, memor præcepti Apostolici, qui ait : *Exemplum esto fidelium*, vitam suam efficiat cujuscumque præcepti Domini evidens exemplum. » S. Gregorius, *Pastor.*, p. 2, c. 1, minutim persequitur, quibus Prælatus excellere debet ; c. 3, probat « ut Rector sit semper operatione præcipuus, nec inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. » Ut nimirum juxta illud, I *Petr.* v, 3, gregem Dei pascat, *forma factus gregis ex animo.* Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 2, Abbatem ita instruit : « Ergo cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis, id est, omnia bona et sancta factis ampliùs quàm verbis ostendere... omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, nequando dicat illi Deus peccanti : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os*

tuum? Tu verò odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te. Et *qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti.* 3° Ratio est ex S. Gregorio, l. 2 *Past.*, c. 3 : « quia grex per exempla meliùs quàm per verba graditur. Et bona, vel mala habitudo capitis in universum corpus redundat, » utì ait S. Ignatius Loyola, *Const.*, p. 9, c. 2.

QUOMODO BONO EXEMPLO PRÆLUDERE DEBEAT.

Scholium. Quare, Prælatus Religiosus bono exemplo suo et continuo virtutum exercitio suos Religiosos erudiat ; licèt enim Superior sit, Religiosus tamen esse non desinit, adeoque ad perfectionem religiosam secundùm Regulam quam professus est continuò, imò magis quàm alii, tendere tenetur, neque a disciplinâ regulari se eximere potest : et licèt secum ipso impunè dispenset, quia fortè non est qui eum corrigat aut puniat, non tamen legitimè, quia iisdem votis, eâdem Regulâ et iisdem obligationibus, quibus subditi sui, ligatus est, a quibus eum Prælatura nedum liberat, quin potiùs arctiùs ad eas astringit. Quid, quæso, magis absonum quàm Prælatus, qui observantiam Regulæ secundùm omnem rigorem urget et prædicat, quam tamen primus ipse transgreditur? Estne hoc exemplum quod dare debet, et quod alii ab eo exspectant. S. Paulus, I *Cor.* II, 1, fideles hortabatur : *Estote imitatores mei, sicut et ego Christi.* Quod ipsum suis subditis Prælatus dicere in veritate debet. Verùm quo fructu hoc illis dicet? Quomodo ad paupertatem religiosam sectandam suos adhortabitur, si ipse luxui intentus nullâ prorsus re indigere velit? Quomodo mortificationem sensuum suis commendabit, si viderint quòd ipse sibi omnia sensuum oblectamenta procuret et indulgeat? Quomodo exactam observantiam exercitiorum regularium tum externorum, tum internorum, a suis exiget, si videant quòd ipse per abusum suæ auctoritatis pro libitu suo vivat, et vanis prætextibus suas evagationes excuset? Sanè vel ipse tacere debebit, vel si eum ad loquendum extrema necessitas et periculum præsentissimum ruinæ totius disciplinæ adigat, illi objici poterit : *Medice, cura te ipsum.*

§ 626.

HUMILITAS PRÆLATI.

Quintò. Ut dignitatem et auctoritatem Magistri Prælatus religiosus sustineat, eam in humilitate veluti basi et fundamento fundare debet. Huc 1° spectat illud Salvatoris nostri, *Luc.* XXII, 26, ad Apostolos suos monitum : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.* Hæc Jesus dixit, et suo simul exemplo confirmavit : nam discipulis accumbentibus Magister humilitatis ministravit. Et, *Matth.* XX, 28, dicit : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Hoc ipsum in sacris Litteris frequentissimè inculcatum reperies; utî, *Eccl.* III, 20 : *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Et XXXII, 7 : *Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.* Accedunt 2° PP. S. Gregorius, *Past.*, p. 2, c. 6, ait : « Pastor tantò apud Dominum obligatior est ad suî ipsius correptionem et humilitatem, quantò apud homines nemo est qui eum corripiat. Et iterum : « Rectores quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subditi deprehendant. » S. Bonaventura, in *Legend. S. Francisci*, de eo scribit : « Hac igitur de causâ, humilitatis formâ, Franciscus Fratres suos voluit Minores vocatos, et Prælatos sui Ordinis dici Ministros, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quòd ad discendam humilitatem, ad scholas humilis Christi venissent. » 3° Ratio est tum quia sine humilitate, potestate et dignitate Magisterii sui abutetur Prælatus ad propriam gloriam et commodum, et non ad quòd data est ei, utî observat S. Bonaventura, *De sex Alis Seraph.*, c. 3; tum quia sine eâ, sapientiâ cœlesti, ad obeundum ritè suum Magisterium, non imbuetur, quæ solis parvulis et humilibus in oculis suis a Deo conceditur, *Matth.* XI, 25.

QUOMODO HUMILITAS EXERCENDA.

Schol. I. Necessitatem humilitatis pro quocumque Prælato Ecclesiastico cùm sanctissimi etiam Episcopi perspectam haberent, in Clero suo non aliter quàm universorum Ministros et gregis Dominici servos sese gesserunt; imò ipse Summus Pontifex se servum servorum Dei nominat, et S. Petrus reliquos animarum Pastores ad custodiam gregis cohortans subjungit, ut illud præstent, *non ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo,* I *Petr.* v, 3. Quomodo autem, qui dignitate suâ supra cæteros eminent, forma et exemplum gregis fieri poterunt, nisi per humilitatem ac modestiam ad universos se demittant, et inferioribus similes reddantur? S. Augustinus, ad Clericos suæ Diœcesis scribens, illos *Fratres*, nunc *Magistros* suos et *Dominos* vocat. « S. Carolus Borromæus, quantumvis dignitatis suæ contra Magnates terræ, ubi res poscebat, intrepidus assertor, nihilominus erga inferiores tantâ animi demissione et indulgentiâ utebatur, ut domesticis suis inservire non dubitàrit : ipse enim primus omnium manè surgere, famulos excitare et lumen cubiculo inferre solitus erat. Similia de S. Francisco Salesio memorantur, qui noctu surgens focum ipsemet instruebat, ut domesticos eo labore ac molestiâ sublevaret. Quodsi summi isti Præsules, ut Jesu Christi erga discipulos suos benignitatem imitarentur, partium suarum esse duxerint, ad tam humilia sese ministeria demittere, quid non faciendum est Superioribus Religiosarum Familiarum? » P. Surinus, *in med. Ascet.*, t. 2, p. 4, c. 3.

EXCUSATIONES PRÆLATORUM ELIDUNTUR.

Schol. II. Joannes Gerson, in *Opusc. de temper. et modest. Prælat.*, statuit meliùs et efficaciùs esse Prælatum declinare ad austeritatem vitæ in mensâ, vestibus et numero servitorum, et reliquis pertinentibus ad statum suum, quàm hominibus sæcularibus in talibus conformari : quod ita probat : 1. Quia manifestum est hoc non placere Deo, cùm sit contra exempla Christi et Sanctorum, et plus placent Deo opera pietatis, in quibus ea expendi possunt, quæ in prædictis expenduntur. 2. Hæc non proficiunt ad spiritualem profectum subditorum, cùm hujusmodi pompa plus eos scandalizet, maximè sæculares et Principes, quam ædificet : ex hoc enim concitantur ad murmurationem, invidiam, cupiditatem, indignationem etc. Viventes enim fastuosè Prælati non fiunt subditis forma sobrietatis et humilitatis, sed ambitionis et vanitatis.

Nam undè tanta devotio Principum et aliorum sæcularium erga veteres Prælatos, nisi quia has pompas contemnebant, et bona ab eis Ecclesiæ et Monasteriis donata fideliter et sanctè ab illis dispensari videbant? quæ ubi in pompam converterunt, manum suam retraxerunt, et ipsa bona ecclesiastica invaserunt. Sed fortè dicunt Prælati : Sic vivimus, ut nos aliis conformemus. Verùm ad hoc respondet Apostolus, *Rom.* XII : *Nolite conformari huic sæculo.* Dicunt : Sic vivimus ne inter alios erubescamus. Ad hoc dicitur quòd non est erubescenda humilitas Christi, neque vilitas; quæ propter eum sustinetur. Dicunt etiam : Sic vivimus, ne reputemur avari et hypocritæ, si in his, cæteris parciores fuerimus. Sed hanc notam per largas eleemosynas, et misericordiam erga egenos facilè evitare poterunt. 3. Ad splendidum vivendi genus Prælatos movere non potest dignitas sui Ordinis, vel Auctoritas Ecclesiæ, ne fortè vilescat, tum quia honorem suum non in fastu, sed virtutibus quærere debent, utì faciebant Apostoli, tum quia sæculares et hostes Ecclesiæ hunc fastum potiùs irrident, despiciunt et aversantur, quàm venerantur; pauperes verò ei invident, et detrahunt, qui econtra Prælatos humiles amant, et eorum exemplo suas miserias et labores æquanimiter sufferunt : tum quia non debent quærere honorem, quem mundus dominis, Principibus, sæcularibus et divitibus exhibere solet, sed eum, quem homines viris sanctitate conspicuis præstare solent : aliàs enim, licèt non incidant in contemptum, priori honori contrarium, alium tamen secundo contrarium non devitant; imò homines videntes eos splendidè vivere, eos mundanos et filios hujus sæculi reputant. Quòd si contingat eos ob sanctimoniam contemni, nonne scriptum est *Luc.* VI : *Beati eritis, cùm vos oderint homines etc.*

§ 627.

PRÆLATUS RELIGIOSUS DUX EST.

Alterum munus Prælati religiosi est, quòd in Communitate sit omnium suorum subditorum *Dux*. Ita 1° innuitur *Eccl.* XXXII, 1 : *Rectorem te posuerunt?* ubi S. Hieronymus, l. 13 *in Ezech.*, c. 45, legit : « Ducem te posuerunt. » Et licèt Textus ad litteram loquatur de Rectore in conviviis, moraliter tamen, et a fortiori adaptatur quibusvis Rectoribus et Superioribus religiosis. Idipsum patet ex Joan. X, 4, ubi

Dominus sub figurâ boni pastoris hanc ejus proprietatem allegat : *Et cùm proprius oves emiserit, ante eas vadit : nimirum ut dux eorum.* 2° S. Basilius, in *Reg. fusior. interrog.* 27, ait : « Præfectus in omnibus dux esse debet... veluti vitæ nostræ regula est. » S. Hieronymus, *Ep. 4 ad Rustic.*, Prælatum ducem velut Nauclerum habens, de eo dicit : « Latentibus saxis vadisque durissimis plena sunt omnia : ita ut speculator doctus in summâ mali arbore sedeat, et inde regendæ et circumflectendæ navis dictata prædicet. » De eodem ut duce militari loquitur S. Basilius, c. 18 *Const. Monast.* 3° Ratio est quia Prælatus non solùm incipientes, sed et proficientes, et perfectos, per vias incognitas, periculosas, hostibus obsessas dirigere debet : quod ut præstet, fidelis Dux viæ, peritus Nauclerus navis in procelloso mundi mari, et fortis militiæ Imperator contra insurgentes animæ hostes sit, necesse est.

§ 628.

PRUDENTIA PRÆLATI.

Ex munere Ducis fluit *primò*, quòd Prælatus religiosus insigni *Prudentiâ* debeat esse præditus, quæ est bona quædam dispositio mediorum practicorum, ad assequendum finem intentum. Nam 1°, *Matth.* XXIV, 45, Dominus dicit : *Quis putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?* Et præter alios multos S. Scripturæ Textus, *Prov.* XXVIII, 16, dicitur : *Dux indigens prudentiâ multos opprimet per calumniam.* Et *Matth.* X : *Estote prudentes sicut serpentes.* Id est servantes caput, seu charitatem, et attendentes ne in eo quod petitur venenum lateat. 2° Conc. Carthaginense IV, cui S. Augustinus interfuit, statuit : « Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si sit prudens etc. » S. Prosper, l. 2 *de Vit. contempl.*, ait : « Sacerdotes prudentissimè debent discernere, quos debent temperatâ severitate corripere, et quos debent sacerdotali magnanimitate portare. » S. Thomas, 2, 2, q. 47, a. 10,

docet : « Quia ad prudentiam pertinet rectè consiliari, judicare et præcipere de his, per quæ pervenitur ad debitum finem, manifestum est quòd prudentia non solùm se habet ad bonum privatum unius hominis, sed etiam ad bonum commune multitudinis. » 3° Ratio est quia, duce prudentiâ, fere semper optatus finis a Prælato obtinetur, qui si etiam non sequatur, saltem ille temeritatis vel præcipitantiæ argui non poterit ; cùm econtra per imprudentiam totum perdi et animæ in æternam ruinam præcipitari possint.

QUALIS PRUDENTIA IN PRÆLATO REQUIRATUR.

Schol. I. S. Thomas, l. c., q. 50, a. 2, etiam in subditis prudentiam admittit, quam politicam vocat, et per quam seipsos dirigunt in obediendis præcipientibus ; a. 3, notat quòd per prudentiam communiter dictam regit homo seipsum in ordine ad proprium bonum, per politicam verò, de quâ hìc sermo est, in ordine ad bonum commune ; a. 1, ponit prudentiam regnativam in illo, qui Communitatem perfectam, v. g. Regnum, Civitatem etc. regit, et, ad 2, eam proportionatè ad omnia regimina recta extendit. Addit, a. 3, œconomicam, quæ est erga familiam, et, a. 4, militarem erga copias militares. Quibus addi potest prudentia legislativa, quâ legum conditores decernunt quid agendum sit ; et purè gubernativa, quâ Magistratus instant executioni legum jam conditarum. Quæ omnia facilè adaptantur Regimini religioso, et prudentiæ ad illud requisitæ, quâ et subditi politico-religiosè non tam se dirigunt, quàm se a Superioribus in ordine ad bonum commune dirigi sinunt, et Superior gubernativè non solùm se, sed etiam Communitatem regit sive monarchicè, aliove recto Regimine pro totâ aliquâ Religione, sive quasi œconomicè, pro alicujus Provinciæ aut Monasterii familiâ ; sive quasi arte militari, copias instruendo, sive leges ferendo, et regulas præscribendo ; utì Ordinem Fundatores, sive legum et regularum executioni insistendo, utì Prælati eis succedentes. Porro prudentia Prælati religiosi non debet sola naturalis esse, quam et Philosophi agnoverunt, et quæ ex synderesi cum virtutibus moralibus naturalibus, usu et experientiâ comparatur ; sed prudentia supernaturalis, quæ limites naturales excedit, et ex fide, aliisque virtutibus moralibus supernaturalibus, seu infusis, dependet.

Schol. II. Prudentia Prælati religiosi partim fundatur in gratiâ Dei, quatenus donum est desuper concessum, partim innititur experientiæ variorum eventuum, per quas docetur, quid in similibus casibus faciendum sit : partim denique juvatur a bonâ indole, ad praxin rerum gravium idonea, maximè si sit Prælatus mansuetus, quietus, maturo et pacato judicio præditus, intellectu magis profundo et comprehensivo, cum discursu magis practico quàm speculativo, seu acuto, subtili et vivaci pollens; si sit patiens in adversis et parcus in prosperis. His enim dotibus ornatus, subveniet per prudentiam malis præsentibus, præcavebit futura, non propalabit occulta, dissimulabit medicabilia, sciet multa, silentio præteribit plura, non offendet verbo, non exprobrabit sine fructu præterita : licèt omnia nôrit, quæ in suâ Religiosâ Communitate fiunt, mala et bona, virtutes et vitia, non tamen ideo exteriùs in vultu et verbis quidquam eorum manifestabit quæ in corde gerit, quin potiùs ad se, si oportet, bonos et malos, amicos et inimicos, spirituales et carnales admittet, ut omnes inter se uniat et lucrifaciat. Ante correptionem animos per captatam benevolentiam demulcebit : nocentibus sæpe parcet, aut pœnam ad opportunum tempus differet : abutentes veniâ plectet : quæ agenda sunt, non facilè prænuntiabit, ne malitiosè impediantur : consiliarios pios et prudentes sibi adjunget. Acceptor personarum non erit; graviora solùm negotia sibi reservabit, levioribus aliis commissis, ne multitudine eorum obruatur : salubria monita libenter acceptabit. Adulatores et susurrones non audiet : in naturalibus defectibus connivebit : morales corriget : incipientibus, qui sine indulgentiâ alicujus temporalis solatii ad perfectionem Christianam ægrè tendunt, se accommodabit : ab usu recreationum in suâ Communitate resecabit superfluum, non tollet necessarium : subditos suos ad officia applicabit quæ ipsorum talentis conveniunt, sciens nullum in ullo genere magnum esse contra ictum naturæ : ingenia vivida, cholerica, hilaria, habilia, arguta, ad Cathedras et pulpita applicabit : viros prudentes, graves, mites, ad regimen destinabit : fervidos, orationi vocali et mentali; robustos, laboribus corporalibus; graciles, mentalibus addicet : ad pœnitentiam et mortificationem multùm hortabitur, in executione tamen fervorem excessivum reprimet : non semper cum suis subditis reperietur, ne illis ex continuâ suâ præsentiâ molestiam creet; interiùs oppidò singularis, exteriùs facilis et communis, tractabilis cum doctis, urbanus cum nobilibus : et omnibus omnia factus erit.

QUOMODO EXECUTIO BENE FACIENDA.

Schol. III. Inter actus prudentiæ, difficillimus est executio, ut nimirum id, quod prudenter deliberatum ac resolutum est, opportunè executioni mandetur. Nulla res est naturæ nostræ, vanitatis vitio corruptæ, magis conformis, quàm jubere, nec ulla, quæ vanitati nostræ magis repugnet, quam exsequi, si difficultas intercedat. Ideo in omnibus rebus publicis bene ordinatis, unus est qui jubet, et alter qui exsequitur. Qui jubet, prudentior esse quàm fortior; qui exsequitur, ut plurimùm fortis esse debet quàm prudentior, et qui magis excedat magnanimitate quàm ignaviâ : plus etenim timor valet quàm amor in rerum arduarum executione. Rigor jubentis per alienam manum sentiatur, favores verò dispenset manu propriâ. Cum malevolis et fraudulentis a longe agat, et per alios : etenim beneficia eos non emolliunt, pœnisque irritantur. Tandem si jubens ipse mandata sua exsequatur in rebus arduis, plerumque nil aliud quàm lites, afflictiones, odia, dissidia et detractiones obtinet. Ut igitur executio ritè fiat, sequentes Regulas Prælatus observet. 1. Rem Deo in precibus commendet, et cum fideli aliquo et prudenti consiliario conferat, et sic eam fideli executori demandet. 2. Querelas, murmurationes et tædia subditorum in executione arduorum et eorum ingenio repugnantium prudenter aliquantulùm dissimulet, et patienter ferat; indigentibus in necessariis libenter subveniat, leniter eos alloquatur : paternè cum eis conversetur, licèt se illis invisum, et objectum odii et detractionum esse non ignoret. 3. Subinde toleret mala minora pro vitandis majoribus : sæpe enim in arduis negotiis non est conveniens executio, quin aliqua inconvenientia in applicatione mediorum occurrant. 4. Quia curatio et medicina subinde majora inconvenientia secum affert, quàm ægritudo sananda, ideo pro minori inconvenienti habetur relinquere malum ut insanabile, quam noxia adhibere medicamenta; maximè, si personæ sint adeò perversæ et ab omni ratione alienæ, ut in illis medicina vertatur in virus. 5. Ad bonam executionem vigilantia, zelus, fortitudo, patientia et constantia Prælati requiritur : de quibus in sequentibus agetur. 6. Prælatus seipsum in executione rei præceptæ ut exemplar imitandum proponat, et ab obligationibus Communitatis in nullâ re deficiat : si enim jubeat quod non facit, mallent subditi ejus exempla æmulari, quàm verbis obedire. 7. Studeat eorum benevolentiam tum sibi, tum inter se conciliare, et subinde aliqua solatia, sine superfluitate tamen, iis indulgere. 8. Caveat concedere licen-

tias generales, quæ independentiam a Superiore in subditis alunt, de quo alibi.

DISCRIMEN INTER PRÆLATUM PRUDENTEM ET IMPRUDENTEM.

Schol. IV. Ex dictis discrimen inter Prælatum prudentem et imprudentem assignat P. Godinez, *Th. myst.*, l. 2, c. 6, dicens : « Prælatus imprudens, cùm sit homo modici intellectûs et omnium facilè inscius, putat se nihil non capere, super quo principio struit reliquas alias inscitias : se disertum existimat, prudentem, cum primis intelligentem, perspicacem, ac propria dictamina normam præstare actionibus aliorum. Hinc magnum Reformatorem se præstat, et quasi publicum Promotorem fiscalem : sicque constituitur criminatus, litigiosus, plumbeusque toti Communitati : sollicitus de honore debito suæ personæ, commovetur vel ad umbram defectûs in debitis sibi obsequiis : pungitur altè murmurationibus de ipso, nec dissimulare novit vel leviusculos in re istâ defectus : ad mentem propriam facilè loquitur, et cùm scateat inscitiis mens, his abundat in verbis. In hoc sita est hominis imprudentis natura : et quidem nulla gravior crux emunctæ naris subdito, quàm vitam agere sub regimine cujusdam imprudentis Prælati, qui solet in omnibus suis actionibus esse molestissimus. At verò prudens Prælatus quatuor his conditionibus insignitur. 1. Multa cùm sciat, loquitur pauca. 2. Penetrat bene, meliùsque dissimulat. 3. Tolerat oppidò conditiones aliorum vitiosas. 4. Beneficiis pugnat contra maleficia ; et licèt a multis consilium capiat, credit se paucis. Reservat scitè secreta. In re licitâ præfert proprio gustum alterius. Imprudens totus est voluntas, prudens totus intellectus. Imprudens intelligit parùm, et appetit multùm : prudens intelligit multùm, et appetit parùm. Officia magna in viris prudentibus eosdem faciunt magnos, aut inveniunt : econtra imprudentes suum in illis demonstrant miserum talentum. Prudens patientiâ pollet æquè ac prudentiâ ; illaque illum præstat incolumem a magnis litibus, contradictionibus, oppositionibus et persecutionibus, quæ reddunt illum majorem : cooperit ridenti vultu, quod ipsum torquet interiùs. Imprudens nescit unquam servare secretum, et nunquam fruitur diutinâ pace. Prudens potest tolerare quod non est potens mederi, usque ad datam occasionem congruentem : ex propriis seductionibus elicit documenta : ex erroribus de præsenti colligit scientiam futurorum. Imprudens frequenter est propriæ voluntatis servus, et tantùm bene capit quod cupit : terribilibus ligatur passionibus, quæ modicum ejus lumen rationis obcæcant, quo fit suis

subditis odibilis, et ab exteris derisus ob suas, quibus scatet, imprudentias. »

MEDIA PRO ACQUIRENDA PRUDENTIA.

Schol. V. Licèt autem prudentia sit donum Dei, nihilominus cum gratiâ illius etiam acquiri potest. 1. Per frequentes reflexiones super se et actiones suas. 2. Per memoriam præteritorum, et providentiam futurorum effectuum fortè secuturorum. 3. Per consilium seniorum experientiâ, virtute et bono judicio pollentium. 4. Per orationem pro eâ a Deo obtinendâ fusam in suis deliberationibus, conceptibus et propositis, per quam sæpe suppletur quod naturæ deest, et optatus finis feliciter obtinetur.

§ 629.

VIGILANTIA PRÆLATI.

Secundò. Ad officium Prælati, ceu Ducis prudenter obeundum, requiritur *Vigilantia.* Ita 1° jubet S. Paulus, *Act.* xx, 31, majores natu Ecclesiæ et omnes Prælatos : *Propter quod vigilate.* Et II *Tim.* iv, 5, Timotheum hortatur : *Tu verò vigila, in omnibus labora* etc. Et *Apoc.* iii, 2, Episcopo Sardensi dicitur : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.* Et v. 3 : *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies quâ horâ veniam ad te.* 2° Idem docent PP. S. Hilarius, *in Matth.* c. 26 : « Quanquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est Episcopis (adeoque etiam cæteris) in exspectatione, adventuque suo sollicitudinem mandat : hunc enim servum fidelem atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. » S. Ephrem, t. 1, c. 20, *de Vit. spirit.*, n. 35, ait : « Eum, qui cæteris præest, peritissimum esse convenit, et ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum. » S. Bernardus, *Serm.* xix, *de Mod. bene viv.*, inquit : « Boni Pastores, dormientibus subditis, ibi pervigilant, tan-

quam rationem pro eorum animabus reddituri : pernoctant in orationibus, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia, malignantium deprehendunt laqueos, cor suum tradunt ad vigilandum diliculo ad Deum qui fecit illos, cognoscentes suam insufficientiam in custodiendâ civitate. Igitur quicumque opus ministerii hujus sortiti estis, attendite vobis, et pretioso deposito quod vobis creditum est. Civitas est, vigilate ad custodiam, concordiamque; sponsa est, studete ornatui : oves sunt, intendite pastui. » 3° Ratio est : Prælatus religiosus rationem Deo reddere tenetur, de omnibus animabus sibi commissis, adeoque tanquam Pater super suam familiam, tanquam dux super gregem, sub gravi obligatione vigilare tenetur, ne familia pereat, populus a rectâ viâ aberret et in manus hostium incidat, et grex a lupis infernalibus rapiatur.

QUOMODO VIGILANDUM.

Scholium. Vigilantia Prælatorum ab illis Superioribus certè non observatur, qui in suis Conventibus non resident, continuò evagantur, vel si etiam resideant, omnem subditorum curam a se abjiciunt, et de eorum vitâ, moribus et actionibus se non informant : ea nihil curant, et in otio ac luxu tempus consumunt; cùm tamen interea temporalia suæ Religiosæ domûs malè administrentur et dissipentur, mille abusus irrepant, qui in pravam consuetudinem degenerant; sacra Regula sine remorsu violetur, disciplina regularis pessumdetur, recollectio evanescat, fervor religiosus refrigescat, servitium divinum languescat, silentium, solitudo, oratio etc. contemnantur, de quibus omnibus Prælatus non vigilans coram Deo reus erit. Nec juvabit eum ignorantia, quæ omnino in eo culpabilis est, cùm hæc omnia scire et potuisset et debuisset. Nihilominus cavendum etiam est Prælato, ne per excessum vigilantiæ in anxiam et turbulentam inquietudinem abeat, quæ in minimis etiam defectibus, sine causâ rationabili, statim ruinam ultimam perhorrescat. Prudentia vigilanti Prælato medium inter defectum et excessum demonstrabit.

§ 630.

ZELUS, FORTITUDO ET MAGNANIMITAS PRÆLATI.

Tertiò. Vigilantia Ducis et Prælati Religiosi eò tendere debet, ut *Zelum* justitiæ, *Fortitudinem et Magnanimitatem* contra peccata exerceat. Nam 1°, *Ezech.* III, 17, Dominus dicit: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Quodsi verò Propheta illud impio inveterato, aut justo lapso, non annuntiaret ut convertatur, v 18 et 20, minatur illi Deus: *Sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram.* Et S. Paulus, *ad Tit.* II, eum monet: *Loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio; nemo te contemnat.* Et II *ad Tim.* IV, ait: *Increpa in omni patientiâ.* Ne scilicet Prælatus sit similis *canibus mutis non valentibus latrare, Ps.* LVI. 2° Patet ex PP. S. Augustinus, *Tr. de Pastor.*, ait: « Cùm fuerit negligens, non admonente illo, qui ad hoc est præpositus, et speculator, ut admoneat, et ille (impius) justè moritur, et iste (Pastor) justè damnatur. S. Gregorius, in *Past.*, c. 15, ait: « Sæpe Prælati improvidi humanam gratiam amittere formidantes, loqui liberè recta pertimescunt. In hoc jam non Pastores, sed mercenarii: quia lupo oves vorante silent, assimilati canibus mutis non valentibus latrare, quibus ab increpatione debitâ silentibus dicitur, *Ezech.* I: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prælio, in die Domini.* Denique S. Benedictus, *Reg.*, c. 2, Abbatem hortatur: « Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut cœperint oriri radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. » 3° Ratio est, quia sine Zelo, Fortitudine et Magnanimitate contra irrepentes abusus, defectus et peccata, Prælatus religiosam suam familiam, ubi ferè semper boni cum malis sunt commixti, non tutabitur; mali enim insolescunt, boni verò pravo eorum exemplo ad vitia quæ impunè grassari vident sensim declinant, vel saltem graviter scandalizantur et contristantur.

Scholium. S. Gregorius, 3 p. *Past.*, varios modos, zelum in arguendo et admonendo juxta variam delinquentium conditionem describit. Quippe juvenes peccantes plerumque sunt increpandi, senes blando sermone attrahendi. Sapientes efficacibus rationibus sunt superandi : inverecundi duris increpationibus compescendi, verecundi modestâ exhortatione componendi, protervi apertis rationibus confundendi. Pusillanimes leniter reprehendendi, astuti artificiosè refutandi, obstinati acriori invectivâ, cum spe tamen obtinendæ veniæ datâ, feriendi : irâ commoti tranquillè et lenibus verbis tangendi, usque dum ad mentem redeant et acutiores monitiones tranquillè excipiant. Elati utiliter corripiuntur, si correptionibus quædam laudum fomenta immisceantur. Denique idem S. Gregorius, l. 9, ep. 8, *ad Abbat. Lirinens.*, ita monet : « In correctione hic est ordo servandus, ut personas diligas, et vitia persequaris, ne fortè aliter agens transeat in crudelitatem correctio, et perdas quod emendare desideras. » Hoc igitur modo Prælatus zelum suum exerceat, nec pertimeat ne hoc fortè suis delinquentibus subditis molestus fiat, quia in hoc molestus esse ad procurandam eorum salutem debet : nec murmura eorum perhorrescat, quæ injusta sunt, dum Prælatus conscientiæ et obligationi suæ satisfacit ; nec odia eorum curet, cùm eorum amorem per damnabilem indulgentiam sibi conciliare non liceat : nec contemptum eorum reformidet, nam subditi immorigeri et delinquentes ipsum etiam Superiorem nimis indulgentem et timidum in corde suo, tanquam regimini ineptum, despiciunt.

§ 631.

PATIENTIA ET CONSTANTIA PRÆLATI.

Quartò. Ad exercendum fortiter et magnanimiter zelum Ducis Prælato religioso *Patientia et Constantia* in adversitatibus et persecutionibus tolerandis necessaria est. Ita 1° S. Paulus, II *Tim.* IV, testificatur : *Argue, obsecra in omni patientiâ.* Et *Prov.* XIX, dicitur : *Doctrina viri per patientiam noscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi.* Et I *Tim.* VI, 11, dicitur : *Tu autem, o homo Dei... sectare... patientiam.* Et *Apoc.* II, 19, laudatur Episcopus Thyatirensis : *Novi*

opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et patientiam tuam. 2° S. Gregorius, l. 2, ep. 24, scribit : « Non est grande, iis esse humiles, a quibus honoramur, quia hoc etiam sæculares quilibet faciunt, sed illis maximè humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. » Et, l. 7, ep. 3, Episcopo Antiocheno scribit : « Si enim inter contradicentes in his, quæ sunt meî, persistis, tunc verus operator probaris. » S. Chrysostomus, l. 3 et 6, *de Sacerd.*, Sacerdotium vocat « pelagus laborum, et abyssum ærumnarum. » S. Bernardus, *Ep.* LXXIII, ad Remaldum Abbatem, qui de suis inquietis Monachis conquerebatur, rescribit, ne omnia mala, quæ ferebat, ei significet, ne adderet tristitiam super tristitiam. 3° Ratio est quia Prælatus debet æquanimiter ferre proprias tristitias et insipientias alienas : debet tolerare varias querelas, murmurationes, lites, amaritudines, tam circa temporalia, quàm circa spiritualia : perferre debet aspera aliorum ingenia et plurimos defectus, quos medicare nequit, tacitus præterire : videre debet, quomodo vita, mores et actiones ejus discutiantur, zelus pro conservandâ vel restaurandâ disciplinâ taxetur etc. : ad quæ omnia æquanimiter perferenda patientia illi necessaria est.

QUÆNAM PRÆLATUM ACERBIUS TORQUEANT.

Scholium. Cogitationes quæ acerbiùs Prælatum religiosum excruciant, juxta P. Godinez, *Th. myst.*, l. 11, c. 1, sunt : 1. « An Religio ex culpâ ipsius deficiat et relaxetur. 2. Quomodo componere possit mille lites, amaritudines et defectus, qui in magnâ Communitate frequenter eveniunt ; quo item modo gravibus non semel peccatis, nunc secretis, nunc publicis remedium adhibebit ; præsertim si doctorum hominum sint, quorum litteræ sunt malæ vitæ subsidium. 3. Quomodo sese opponat discolis, protervis et immedicabilibus, maximè si homines sint docti et graves, intellectûs boni, pravi tamen judicii, pejorisque voluntatis. 4. Quomodo scire debeat lites, defectus, aversiones et exacerbationes suorum subditorum : redditur nempe suum pectus velut sterquilinium, ubi colligitur et asservatur fæx defectuum illorum : utque omnes istiusmodi ærumnas ferat, et pacato vultu eos excipiat, qui eum

odio prosequuntur, magnâ opus habet capacitate, consistente in eo, quòd multa sciat, pauca loquatur : opus etiam habet magnâ fortitudine, ad naturales sensus comprimendos : quandoquidem plus est, vincere seipsum et proprios superare sensus, quàm magna perpetrare. »

§ 632.

PRÆLATUS RELIGIOSUS EST PASTOR.

Tertium denique munus Prælati religiosi est, quòd in Communitate suorum subditorum *Pastor* sit. Quod enim 1° Christus D. S. Petro, suo in terris Vicario, *Joan.* XXI, 15, tertiò dixit : *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas :* hoc, ex consequenti, de quibusvis inferioribus etiam Religiosis Prælatis intelligendum est. Quinimo S. Petrus idem, sicuti a Pastore divino edoctus fuerat, sic et omnes inferiores Prælatos tanquam Pastores instruit in suâ I^a^ ep. v, 2, dicens : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* 2° Hoc docent PP. S. Climacus, c. 1 *Pastor. :* Cœnobiarcham Pastorem esse ait, et hanc rationem dat : « Pastor ille verus est, et germanus, qui gregem rationis quidem non expertem, sed per simplicitatem perditum, industriâ suâ et precibus quæsitum repertumque curare potest ac restituere. » S. Bernardus, *Serm.* 100, *de Div.*, ait : « Quantùm distat inter pastorem et gregem, tantùm debet distare inter Episcopum (vel alium Prælatum proportionatè) et plebem : stat ille sublimis et rectus, curvat iste caput, solo depressus... Ille regit, iste regitur : ille pascit, iste pascitur, ut ex ipsâ formâ et habitu uterque discernatur : habet ille in manu virgam, quâ feriat, vel potiùs ducat et reducat ovem... habet etiam baculum quo feriat lupum : virgâ ovem, baculo lupum. » Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 2, de Abbate dicit : «Tantùm iterum liber erit, si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, Pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum

Prophetâ Domino : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi : ipsi autem contemnentes spreverunt me.* Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. » 3° Ratio est quia Prælatus religiosus curam habet animarum sibi commissarum, quas regere, seu pascere, juxta Hebræorum phrasin, « ut oves Christi, et non ut proprias custodire debet, » utì notat S. Thomas, *in Joan.* XXI. Ergo earum Pastor est.

§ 633.

UNDE PRIMO CHARITATEM HABERE DEBET.

Ex officio Pastoris Prælatus religiosus *primò* supra subditos suos debet potissimùm excellere in virtute *Charitatis*, quæ est apex omnis perfectionis. Nam 1°, *Joan.* XXI, 15, Christus D. traditurus S. Petro primo Ecclesiæ suæ Pastori oves suas, requisivit ab eo : *Diligis me plus his?* nec antea tradidit quàm post ejus testificationem : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Ecce quomodo Christus in Pastoribus animarum charitatem Dei et consequenter oviùm suarum exposcat, quas in charitate tum agnellos, seu incipientes, tum agnos, seu proficientes, tum oves, seu perfectos, debet pascere. 2° S. Gregorius, p. 2 *Pastor.*, c. 3, Pastores animarum ita instruit : « Auro, hyacintho, bisso ac purpuræ, in superhumerali Sacerdotis, *Exod.* XXVIII, 6, bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur; et cuncta, quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul et proximum diligit, quasi ex duplici tincturâ fulgescit. » S. Thomas, in l. c., *Joan.* V, docet : « Qui non amat Dominum, non est idoneus Prælatus, sed magis ille qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, et hoc amore ejus. Congruit etiam officio, quantùm ad utilitatem proximorum : et ideo necessaria est examinatio de dilectione ad Prælatum. » Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 2,

Abbatem instruit : « æqualis sit ab eo omnibus charitas. » Et c. 24 : « oderit vitia, diligat fratres. » Ratio est 3° quia Prælatus Religiosus sine amore Dei in officio suo se potiùs quàm Deum quæret : et sine amore proximi officium Pastoris, fideliter gregem pascentis, et officium Patris, et Matris, subditos suos, ut filios suos, imò Dei, perfectè amantis, explere non poterit.

QUALIS CHARITAS ESSE DEBET BENEFICA.

Scholium. Charitas boni Pastoris religiosi 1. debet esse benefica, ita ut Religiosis suis subditis omnia solatia quæ Regulæ eorum et statui non sunt contraria, largiter indulgeat, ne jugum Religionis, quod ex amore Dei, non durâ necessitate adacti susceperunt, ultra modum aggravet et illi succumbere cogat. 2. Debet esse universalis, ita ut omnes sine distinctione et acceptione personarum in Deo complectatur, et si fortè ob eximiam virtutem, ingenii perspicaciam, aut alias gratiæ vel naturæ dotes, se in aliquam propensionem quàm in alios fieri sentiat, caveat ne amoris modum excedat, neve singulari verborum et operum ostensione aliquem se præ aliis amare, præsertim in præsentiâ aliorum, ostendat. 3. Debet esse mansueta, patiens et misericors : de quo paulò post plura, ut nimirum reciprocum subditorum amorem et confidentiam sibi conciliet. 4. Denique charitas Prælati tanta esse debet, ut tanquam *bonus Pastor animam suam det pro ovibus suis, Joan* x, 11. Exponendo scilicet vitam suam periculo pro ovibus curandis, dum nimirum pestis, vel alia hostium tum spiritualium, tum corporalium adversitas ingruit, utì docet S. Thomas, 2, 2, q. 184, a. 1 et lect. 3 in *Joan.* x, ubi ait : « Quia spiritualis gregis salus præponderat corporali vitæ Pastoris, ideo cùm periculum imminet de gregis salute, debet quisque spiritualis Pastor corporalis vitæ sustinere dispendium pro gregis salute. »

§ 634.

MANSUETUDO PRÆLATI.

Secundò. Charitas Pastoris et Prælati Religiosi, eum erga suos subditos *mansuetum*, suavem et *affabilem* reddere debet.

Ita 1° Christus Princeps Pastorum docet, *Matth.* II : *Discite a me, quia mitis sum.* Et *Eccl.* VI, dicitur : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, et lingua gratiosa in bono homine abundat.* Et, ad *Gal.* VI, 1, jubet Apostolus : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* 2° S. Gregorius, *Ep.* 39, docet quòd cùm Pastor a subditis de aliquo reprehenditur, non debet ex potestate respondere, sed cum mansuetudine et tranquillitate reddere rationem facti, afferens ad hoc exemplum S. Petri, *Act.* XI, qui arguentibus quòd domum Cornelii ingressus fuerit, non dixit : Ego sum Pastor vester, scio quid facio ; « Si enim in querelâ fidelium aliquid de suâ potestate diceret, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset. » Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 64, Abbatem monet : « Studeat plus amari quàm timeri. » Quod sane per mansuetudinem obtinebit. 3° Ratio est tum quia officium Prælati religiosi in regimine ingeniorum diversorum, in curâ spiritualium et temporalium, admodum laboriosum et molestum est, adeo ut illi ad supprimendos iræ et tristitiæ motus mansuetudo omnino necessaria sit : tum quia sine hac virtute, in quotidianis ferè molestis occasionibus, iram in consuetudinem vertet, et animos suorum subditorum per verborum et operum asperitatem a se alienabit.

QUOMODO MANSUETUDO EXERCENDA.

Scholium. Mansuetudo Prælati in eo consistit, ut gubernet non imperiosè ac severè, sed eo modo quo Deus mundum gubernat, qui licèt interdum exemplo severitatis edat, plerumque tamen mundi cursum admirabili suavitate et indulgentiâ moderatur. Exhibeat igitur Prælatus vultum semper hilarem et mitem, qui subditorum animos alliciat, et nullis eorum culpis irritatus, nullis importunitatibus victus, nullâ fragilitate commotus, nullam ruditatem fastidiens, ita se gerat, ut nullus quantumvis morosus, rudis, scrupulosus et fragilis eum quocumque tempore adire vereatur. Quod ad sermonem spectat, studeat, sive in privatis col-

loquiis, sive in publicis exhortationibus, verba melle charitatis imbuere, et sermonem spiritu lenitatis temperare; certòque sibi persuadeat verborum asperitatem etiam in correptionem culparum, nedum contumeliosas increpationes, spirituali profectui viam præcludere : nam in animis superbis cor magis indurant, et correptoris odium in patientibus timorem solùm servilem, generant. Si verò culpæ, ut decet, corripiendæ sunt, culpam sic a personâ secernat, ut, dum culpam reprehendit, personam diligere videatur; quod fiet, si abstractè culpæ deformitatem repræsentet, ut personæ displiceat, et personam intercalatis verbis blandè alloquatur. Vitet, quoad salvâ gravitate poterit, verba imperiosam auctoritatem redolentia, et velut unus e discipulis, non quasi jam perfectionem adeptus, sed tanquam in agone contendens, et sequens, si quomodo comprehendat comitem, et participem laborum se illis adjungat.

§ 635.

MISERICORDIA PRÆLATI.

Tertiò. Benigna et mansueta Pastoris Religiosi charitas *Misericordiam* et compassionem erga oves suas in corde ejus generare debet. Exemplum hujus 1° omnibus Prælatis Christus, *Luc.* x, proposuit in misericorde Samaritano, *qui fecit misericordiam* in hominem incidentem in latrones. Et *Hebr.* IV, 15, Apostolus nobis Christum Principem Pastorum proponit *Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris.* 2° S. Ambrosius, l. 2, c. 21, ait maximè Sacerdotibus : « Compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantùm possumus, juvemus, et plus interdum, quàm possumus; meliùs est enim, pro misericordiâ causas præstare, vel invidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam. » S. Hieronymus, *in Ep. ad Gal.*, ait : « Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ et lacrymarum, quamvis spiritualis sit, non adimplet legem Christi. » Ratio est 3° quia Prælatus subditos suos non solùm ut proximos, sed etiam ut filios amare eorumque necessitatibus paternè subvenire tenetur : ad quod illi misericordia et paterna compassio necessaria est.

QUOMODO MISERICORDIA EXERCENDA.

Scholium. Misericordia et compassio Prælati 1. consistit in eo, ut in corporalibus necessitatibus subditis suis misericorditer succurrat, sive valeant, sive, et maximè, si ægrotent. Unde S. Benedictus, *Reg.* c. 36, hanc curam tanquam *maximam* Abbati inculcat : imò P. Bourdaloue, *Pensées sur divers sujets,* etc., t. 2, *Gouvernement Rel.*, vult, ut, si Superior etiam advertat subditum de curâ suæ sanitatis corporalis fortè plus æquo occupatum esse, nisi omnino de excessu certus sit, plus propendeat ad ea illi concedenda, quæ, salvo statu suo, ei indulgere potest, quàm ad ea deneganda, quæ ille putat sibi esse necessaria : « nam in periculo deceptionis meliùs erit, benefaciendo et misericordiam exhibendo, quàm subditum contristando, mortificando, et fortè immisericorditer necessaria subtrahendo, falli; et licèt Superior per nimiam indulgentiam nunquam peccare debeat, putat tamen citatus Auctor eum minùs fore damnabilem, si per nimiam aliqualiter bonitatem et misericordiam quàm excessivam severitatem peccaverit. 2. Misericordia Prælati ab eo exigit, ut in spiritualibus necessitatibus suis subditis misericorditer succurrat, ut dicere cum Apostolo possit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? qui scandalizatur, et ego non uror?* Id quod vel maximè circa peccantes observandum esse docet S. Benedictus, *Reg.* c. 27, dicens : « Omni sollicitudine curam gerat circa delinquentes fratres, etc., » ubi etiam exemplum boni Pastoris ei proponit : « Qui, relictis nonaginta ovibus in montibus, abiit, unam ovem, quæ perierat, quærere : cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere et sic reportare ad gregem. » 3. Misericordiam erga pauperes extraneos exercere debet Prælatus, utì præscribit S. Benedictus, *Reg.* c. 4 : « Pauperes recreare, nudum vestire. » Et, c. 53 : « Pauperum et peregrinorum maximè susceptio omni curâ sollicitè exhibeatur : quia in ipsis magis Christus suscipitur. » Imò hæc obligatio pauperibus subveniendi gravis est, quia ex mente priorum fundatorum descendit, utì enim S. Bernardus, ep. 24, ait : « Clamant pauperes ad Pontifices : cur in superfluitates vestras consumitis quæ nostris debentur necessitatibus?.... Bona nostra sunt. » Et Conc. Aquisgranense, a. 817, c. 49, statuit : « Ut de omnibus in eleemosynam datis tam Ecclesiæ, quàm fratribus, decimæ pauperibus dentur. »

Corollarium. Ex omnibus hucusque dictis apparet, pavendam potiùs quàm appetendam esse Prælaturam religiosam : si quis enim qualitates modò recensitas et gravissimas minas in S. Scripturâ Superioribus illis destitutis intentatas seriò perpendat, sacro quodam timore omnis illius cupido subitò diffugiet. Horrendè enim et citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet, ait Sapiens VI, 6. Ubi S. Gregorius, l. 24 *Mor.*, citato huic loco subjungit : « Penset ergo, qui ad satisfaciendum districto judici de suâ tantummodo animâ vix sufficit, quia quod regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. » Vehementiùs instat S. Chrysostomus, *Hom.* 34 *in ep. ad Hebr.* : « Papæ quantum periculum! Quid dicemus infelicibus illis et miseris, qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, et se in tantorum suppliciorum abyssum jactant! omnium, quos regis, mulierum, puerorum atque virorum tu rationem redditurus es; tanto igni tuum subjicis caput. Miror, si potest salvari aliquis Rectorum. » Hinc etiam Sancti Prælaturam timent, utì constat de S. Theresiâ, quæ, *Vit.* c. 35, sub med., de se narrat : « Admonita sum, aliquas Moniales mei Monasterii velle me Prælatam nominare : quod vel cogitare mihi erat magnus cruciatus, eramque facilis ad quodcumque martyrium pro Deo sustinendum; ad istud verò nullâ ratione poteram accommodari. » Et, c. 38, sub fin., refert quòd post auditam mortem alicujus sui Ordinis eximiæ virtutis Provincialis magna eam turbatio incesserit : « Timuit quippe salutem animæ illius, eò quòd per annos viginti Prælatus exstitisset.... Magni siquidem illi videbatur periculi, habere curam animarum. » Cùm igitur pro ejus animâ preces multiplicasset, post quindecim ab ejus obitu dies eam e profundo in cœlum evolare vidit. Nihilominus timor hic a bonis et sanctis Prælatis per fiduciam temperari potest, quòd nimirum ex ipsâ Prælatione magnum spiritualem profectum capturi sint : nam, *Matth.* XXIV, 46, servo fideli et prudenti super familiam Domini constituto, et danti illi cibum in tempore, promisit Christus : *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*, id est : « Super omnia præmia Sanctorum, » utì exponit S. Thomas.

§ 636.

VOCATIO DEI AD PRÆLATURAM REQUIRITUR.

Præter qualitates et virtutes ad Prælationem religiosam necessarias, et hactenus explicatas, ad eam rite obeundam specialis Dei *vocatio* requiritur. Nam 1°, *Matth.* XXIV, 45, fidelem et prudentem servum *constituit Dominus super familiam suam.* Ubi S. Thomas addit : « Non quòd ipse procuret muneribus, vel precibus. » Et, *Hebr.* V : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Ubi iterum S. Thomas addit : « Tales debent assumi, qui non se ingerunt. » Et, *Ephes.* IV, 11, Christus *dedit alios Pastores,* id est, juxta S. Thomam : « Curam scilicet Dominici Gregis habentes. » Et, *Joan.* X, 2 : *Qui intrat per ostium* (id est, juxta eumdem, « per Christum, scilicet, secundùm ejus veritatem, voluntatem et ordinationem) *Pastor est ovium.* » Accedunt exempla Moysis, ad regimen populi, *Exod.* III, 10; Aaronis, ad Sacerdotium, *Exod.* XXVIII, 1; S. Petri, ad gubernacula Ecclesiæ, *Joan.* XXI, 17; S. Matthiæ, ad Apostolatum specialiter a Deo vocatorum : cum econtra Core cum sociis, *Num.* XVI, in pœnam ambitiosè, sine vocatione divinâ, affectati Sacerdotii, vivum terra absorbuerit. 2° S. Chrysostomus, *Hom.* 8, *in ep. Hebr.*, ait : « Ilìc mihi videtur etiam Judæorum Sacerdotes taxare, tanquam præter vocationem insilientes, et Legem ac Sacerdotium corrumpentes. » S. Basilius, in *Constit. monast.*, c. 9, de Prælato religioso ait : « Quodsi Deus aliquando eligat quempiam ad ejusmodi munera, novit, cùm sit industrius et sagax, quemadmodum etiam ipsum præstiturus est dignum : nos autem conscii esse debemus nobismetipsis, nunquam nos aliquid tale appetivisse... Nam et hic animi morbus gravissimus est, et facit ut a bonis excidamus. » S. Bernardus, *Serm.* 58 *in Cant.*, requirit ut anima etiam perfectior « id muneris sortita sit, non suâ ambitione, sed vocata a Deo tanquam Aaron. »

3° Rationem dat S. Thomas, *Quodlib.* 2, a. 11 : « Quia qui appetit Prælationem, aut est superbus, aut injustus. Injustitia enim est, quòd aliquis velit sibi plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, nisi sit majoribus dignus : quod autem aliquis æstimet, se magis dignum Prælatione omnibus aliis, super quos Prælationem accipit, superbiæ et præsumptionis est... Unde patet quòd quicumque Prælationem appetit, aut est injustus, aut superbus. Et ideo nullus suo appetitu debet ad Prælationem pervenire, sed solùm Dei judicio, secundùm illud Apostoli : *Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* » Accedit, quòd sine vocatione divinâ speciali, aliquis appetendo Prælationem gravissimo periculo salutis se exponat, ob maximas et difficillimas obligationes Prælati, maximè Religiosi, qui subditos suos ad specialem perfectionem conducere debet; præterquam quòd hæc ambitio, in Religioso humilitatem et paupertatem profitente, ad honorem sibi a subditis exhibendum, et bona ac divitias Monasterii in proprium luxum, commoditates et delicias perverso usu convertenda sæpius gravissima scandala generet : nam cùm hic excessus (ambitio) « in laicâ conversatione culpetur, quis dubitat quin Religiosis et Deo servientibus incutiat opprobrium? » ait Symmachus, c. 118, caus. 1, q. 1.

QUALE PECCATUM SIT APPETERE PRÆLATURAM.

Schol. I. Ex his apparet, semper illicitum esse, si quis sine vocatione divinâ ad Prælationem religiosam adducatur; cùmque hæc res sit gravis, seriò quisque cogitet ac timeat an solius culpæ venialis apud Deum se reum faciat. Licèt se cum Dei auxilio suæ obligationi satisfacturum fore obtendat : nisi enim a Deo ad hoc inducatur, de habendo ejus speciali auxilio temerè præsumit. Quia tria motiva in affectandâ Prælatione juxta S. Thomam, 2, 2, q. 185, a. 1, occurrere possunt : « 1. Appetere proximis prodesse : quod est secundùm se laudabile et virtuosum : verùm quia, prout est Episcopalis actus, habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifestâ necessitate. » 2. Appetere aliis præferre

gradu superiori : quod item est præsumptuosum, juxta illud, *Matth.* xx, 25 : *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum.* 3. Appetere Episcopatum (vel quamcumque Prælaturam) ratione hujusmodi circumstantium honorum (scilicet honoris cum aliquâ utilitate habendi) manifestè est illicitum, et pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. » Quod probat S. Doctor, ex reprehensione Christi ad Pharisæos, *Matth.* xxiii, 6 : *Amant primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in Synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Ex quo colligitur quòd appetere Prælationem, nisi fiat ex solo motivo salutem animarum procurandi, moraliter non possit excusari saltem a culpâ præsumptionis ; cùmque materia de se sit gravis, et appetitus hic in gravem deordinationem pravi motivi converti possit, semper gravior culpa timenda est, quàm quæ ab amore proprio fingitur, nisi appetitus habendi Prælaturam, in puram resignationem cum ob Dei beneplacitum et vocationem acceptandi transeat. Quæ culpa gravior tunc magis timenda erit, si hic appetitus per opera externa in apertum prodeat, agendo, procurando, et prætendendo talem Prælationem religiosam : quia, juxta S. Basilium, in *Const. Monast.*, c. 9 : « Nequaquam convenit ut Asceta cupiat unquam ingredi in clerum, aut fratribus præfici. Nam diaboli ista pestis labesque libidinis dominandi : quæ res summæ diaboli nequitiæ insigne est.... Deinde quos occupat morbus ille, eos invidos, contentiosos, etc., facit. » Quodsi verò ambitus domesticarum Prælationum in suo Ordine religioso adeo periculosus et fugiendus sit, multò magis illi cavendum erit, ne externas a suo Instituto et vocatione ambiat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Schol. II. Dicis I., I *Tim.* iii, 1, dicitur : *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Et, I *Petr.* v, 2, habetur : *Pascite, qui in vobis est gregem, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum.* Unde etiam Isaias se ultrò ad prædicationem obtulit. *Is.* vi, 8 : *Ecce ego, mitte me.* Respondet S. Chrysostomus, in primo textu laudari Episcopatum, non verò desiderium illius, nisi fiat ob unam et solam animarum salutem procurandam. Deinde in secundo textu hortatur S. Petrus ut, supposità vocatione divinâ, Pastores animarum libenter onera et pericula vitæ, eo tempore, cum curâ hac, ob persecutiones, conjunctâ, supportarent. Isaias verò vocationem suam ex voce illâ Domini : *Quem mittam?* et purgatis ab Angelo labiis suis sufficienter agnovit. II. Licèt appetere Cathedras Theologicas in Universitatibus? sistere se in concursu

ad obtinendam Parochiam? Resp. Docere est aliquid naturale, et pretio æstimabile : præesse verò et curam animarum gerere, præsertim in ordine ad perfectionem religiosam consequendam, est aliquid spirituale, ad quod non sine præsumptione se aliquis per ambitionem dignum judicare potest. Ad officium Parochi etiam specialis Dei vocatio requiritur : concursus autem solùm instituitur ad qualitatem scientiæ a Collatore magis probandam, nec aliquem cogit, ubi tamen etiam intentio purificanda est.

§ 637.

VOCATIO AD PRÆLATURAM NON MANIFESTATUR ELIGENDO, SED ALIIS.

Vocatio ad Prælationem religiosam, communiter *non manifestatur ipsi eligendo* ad Prælationem, sed aliis : neque Deus illum movet, ut eam appetat, sed potiùs, ut, quantùm in se est, promotioni suæ resistat. Ita 1° innuit S. Scriptura, *Eccl.* VII, 44 : *Nolite quærere a Domino ducatum, neque a Rege Cathedram honoris.* Et, *Matth.* XXIII, 6, reprehenduntur Scribæ et Pharisæi, quia *amant primos recubitus in cœnis, et primas Cathedras in Synagogis, et salutationes in foro et vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi.* Id est, juxta S. Thomam : « Quòd laudentur ut Magistri. Origenes refert illud ad illos, qui dignitates appetunt in Ecclesiis : est enim quædam dignitas Archidiaconorum, Diaconorum, Sacerdotum, Episcoporum. » Et ad illud : *Nolite vocari Rabbi,* notat S. Doctor : « Nolite, id est, non ambiatis. » Accedunt exempla Moysis, *Exod.* 3, etiam post vocationem divinam et miracula regimen populi humiliter deprecantis ; Aaronis, cui per Moysen vocatio divina ad Sacerdotium innotuit, *Exod.* 28 ; S. Matthiæ, per inspirationem non sibi, sed S. Petro et multitudini factam ad Apostolatum evecti ; imò ipsius Christi D., qui, teste Apostolo, *Hebr.* v. 5, *Non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu.* Id est, utì notat hìc S. Thomas : « Non solùm non fecit se Pontificem, sed nec clarificavit. Et hoc

est verum, in quantùm homo : quia in quantùm Deus habet eamdem gloriam cum Patre. » 2° Patet ex PP. S. Cyprianus, *Ep.* 52, de S. Cornelio P. laudat : « Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit... Sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. S. Leo, *Ep.* 87, *ad Episc. Afric.*, c. 1, ait : « Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitio occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit : ipsius tamen initii sui est pernitiosus exemplo : et difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. » S. Bernardus, *Serm.* 30 *in Cant.*, ait : « Ego loci hujus occasione me ipsum reprehendere soleo, quòd animarum susceperim curam, qui meam non sufficerem custodire. » Et postquam seipsum humiliter ut imperfectum descripsit, subdit : « Sic eram, et nihilominus tamen posuerunt me custodem in vineis. » Et S. Laurentius Justin., *de Inst. Prælat.*, c. 2, ait : « Qui ad regimen vocantur animarum, summâ cum diligentiâ observare debent à quo vocentur, quove ad illud moveantur affectu. » 3° Ratio est ex S. Thomâ, 2, 2, q. 185, a. 2 : « Quia in assumptione Episcopatûs (vel alterius Prælaturæ) duo sunt consideranda : primò quidem, quid deceat hominem appetere secundùm propriam voluntatem. Secundò, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantùm ergo ad propriam voluntatem, convenit homini principaliter insistere propriæ saluti : sed quòd aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis. » Cui nimirum, non verò ipsi eligendo, ordinariè hanc vocationem Deus manifestat.

PRÆLATURAM LÆTANTER ACCEPTARE PLERUMQUE NON BONUS ZELUS EST.

Scholium. Igitur, universaliter loquendo, lætanter et ultroneè, etiam sub prætextu aliis proficiendi, acceptare Prælationem religiosam, illusio potiùs quàm zelus est, utpote sub quo facillimè ambitio occultatur, utì bene notat S. Gregorius, *Past.*, p. 1, c. 9, dicens : « Plerumque qui subire Magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt : et quamvis hoc elationis intentione appetunt, operaturos se magna pertractant....

Nam sæpe sibi de seipsâ mens mentitur, et fingit se de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloriâ non amare quod amat.... Sed repentè perveniens jure sibi hoc debitum, ad quod pervenerit, putat; cùmque percepti Principatûs officio perfrui sæculariter cœperit, libenter obliviscitur quidquid religiosè cogitavit. »

§ 638.

DIGNIOR ELIGENDUS EST.

Ut autem vocatio divina per alios eligendo ad Prælationem religiosam legitimè innotescat, si vocatio *per electionem* fiat, præter formam electionis ab Ecclesiâ præscriptam, ritè observandam, sub gravi obligatione ab eligentibus *dignior*, omnibus inspectis, *eligendus* est. Ita de promovendis ad curam animarum statuit Tridentinum, sess. 24, c. 1, de *Ref.*, dicens : « Omnes, et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quâcumque ratione a Sede Apostolicâ habeant, aut alioquin operam suam præstent, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur et monet S. Synodus, ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utiliùs posse facere, quàm si bonos Pastores et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum existentibus meritis, præfici diligenter curaverint. » Debet autem per digniorem, non solus dignus, seu non indignus intelligi, utì declaravit Innocentius XI, *prop. 47 damn.*, scilicet juxta S. Thomam, 2, 2, q. 185, a. 3, dignior, non in eligendi, sed eligentis existimatione : nec semper dignior, quia melior et sanctior, sed quia Ecclesiæ utilior. Cujus rationem dat Lugo, d. 35, *de Just. et Jur.*, sect. 2 et 5, quia cura animarum tanti oneris est, ut vix ad illam omnibus numeris dignus absolutè reperiatur, adeoque respectivè solùm dignus ille censetur, qui

minores defectus habet, et quo melior non occurrit : quòd si verò talis melior occurrat, sine gravi damno Communitatis prætermitti nequit, cui nec bonus, nec minùs malus Prælatus daretur : quod damnum in Communitate religiosâ adhuc magis foret, cùm tam difficile sit absolutè dignum reperire, qui suâ prudentiâ et exemplo subditos suos in disciplinâ religiosâ continere, eam relaxatam ad debitum rigorem reducere, et alios ad religiosam perfectionem promovere possit.

ELIGENDUS SE DIGNIOREM REPUTARE NON DEBET.

Scholium. Dignitas major eligendi in Prælatum Religiosum ab eligentibus ex qualitatibus boni Prælati, a. § 611 et seqq., colligi poterit, qui licèt meliorem quærere teneantur, eligendus tamen se digniorem reputare non debet : « hoc enim esset esse superbum, ait S. Thomas, l. c., et præsumptuosum; sed sufficit quòd nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium, » v. g. irregularitas, excommunicatio, suspensio, etc. Quod S. Doctor ab exemplo S. Petri probat : « Unde licèt interrogatus esset Petrus, an Dominum plus cæteris diligeret, in suâ responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit quòd Christum amaret. »

§ 639.

VOCATUS VOCATIONI OBSTINATÈ NON DEBET RESISTERE.

Factâ proinde bonâ et legitimâ electione ab illis ad quos ipsa pertinet, et per quos Deus voluntatem suam et vocationem demonstrare solet, si quis ad Prælationem Religiosam propriâ inclinatione non feratur, re cum Deo et Directore suo perpensâ, *meliùs faciet, si se huic oneri honorato humiliter subjiciat*, quàm si obstinatè resistat. Colligitur hoc 1° ex Parabolâ de Talentis, *Matth.* xxv, ubi ille qui unum talentum accepit, et abscondit pecuniam Domini sui, severè punitus est. 2° S. Athanasius *in Ep. ad Dracontium*, fugientem Episcopatum, cùm Monachus esset, ait : « Non vacat culpâ id quod agis,

carissime Draconti : non enim fas est eum qui hanc gratiam accepit in occultum abdi, neque prudentis est suppeditare aliis occasionem fugiendi... Meliùs, quàm nos, nostra novit Dominus, et novit quibus suas committit Ecclesias. Quodsi quis dignus non sit, ille mihi non ad vitam suam, sed functionem suam ministeriumque respiciat, ne simul cum vitâ illâ suâ etiam negligentiæ maledictionem referat. » Quæ omnia, a fortiori, de Prælatione religiosâ tenent. *Animas eorum de manibus vestris requiram.* Et S. Gregorius P., *Past.*, p. 1, c. 5, inquit : « Sunt nonnulli qui ex solâ humilitate refugiunt, ne eis quibus impares se æstimant, præferantur. Quorum profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cùm ad respuendum hoc quod utiliter sibi præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superni Numinis arbitrium, ut debeat præesse, intelligit, et tamen præesse contemnit. Sed divinæ dispositioni subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cùm sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. Ratio est, 3° ex S. Thomâ, 2, 2, q. 185, a. 2 : « Quia ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omnino contra Superioris injunctionem gubernationis officium finaliter recuset. »

OBSERVANDA CIRCA ACCEPTATIONEM PRÆLATIONIS.

Scholium. Circa dictam modò acceptationem Prælationis nonnulla adhuc observanda sunt. 1. Si quis se agnoscat versari in periculo proximo, graviter in obeundo Prælationis officio deficiendi ex neglectu, vel mortificationis passionum, bono regimini adversantium, vel orationis necessariæ, ut a Deo illuminetur, vel ignorantiæ rerum sui Instituti, et spiritualium, vel pravæ intentionis, peccat graviter illud acceptando; nam *qui amat periculum, in illo peribit, Eccl.* III, 27. Quoniam, ait S. Augustinus, l. 16, *de Civ.*, c. 19 : « Si periculum, quantùm caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quàm speraret in eo. » Præsertim in tam gravi negotio, unde salus Religionis et tot animarum dependet. 2. Si tamen accedat præceptum ejus, qui cogere potest ad subeun-

dam Prælationem, absque eo, quòd repræsentans proprium periculum aliquid proficiat, obediendum, et Prælatio acceptanda est. Tunc enim non ita urget ratio timendi, sed prævalere debet spes in Deo collocanda, in quo omnia possumus : imò in tali conflictu inobedientia et damnum boni communis timenda sunt. Neque tunc obstinatè resistere vera humilitas, sed defectus humilitatis erit. 3. Factâ sui periculi repræsentatione, si quis nil efficiat, non semper opus est expectare præceptum, sed quandoque ad acceptandum sufficit, quòd obedire instanter jubeatur, tum quia bonum commune, pax electionis, aut instantia nominantis, tum notabilis perturbatio regularis Ordinis ad hoc urgere potest, tum quia consilium prudentis et pii conscientiæ moderatoris, et spes in Deo collocata cum oratione, et novæ vitæ proposito, periculum proximum amovere potest. 4. Ex parte eligentium ad Prælaturam, per se loquendo, nisi præsumptio notorietate in contrarium elidatur, communiter præsumi potest, per illos voluntatem Dei innotescere, cui electus acquiescere valeat, dummodo electores non sint ex iis, de quibus S. Isidorus, l. 2 *Offic.*, c. 5, conqueritur : « At nunc cernimus plurimas, ob hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesiâ columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiis prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus Majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent, muneribus impetrârunt. » 5. Denique in Religiosis fervidis, nisi adsit motivum peculiare suam indignitatem repræsentandi, communiter laudabilius est, sicuti humiliter desiderium Prælationis fugere, sic etiam impositam humiliter acceptare : ita suadet S. Basilius, in *Reg. fus. inter.*, 43, dicens : « eum præferendum, qui in vitâ anteactâ morum suorum specimen sufficiens ediderit, et qui ejusmodi est, accipiat præfecturam : instituatque inter fratres disciplinam. » Et S. Salesius, l. 4, ep. 112, occasione cujusdam in Abbatissam eligendæ, ita generatim suas filias instituit : « Nec ullam rem exigere, nec ullam recusare.... Hoc unicum est documentum, quod ego desidero retineri practicè ab omnibus sororibus nostris. » Quippe ferventi oratione ad Deum pro illustratione præmissâ, et pio et prudenti Directore consulto, in adjutorio Dei confidere poterit.

§ 640.

PRÆLATUS SUÆ VOCATIONI IN REGIMINE BENE RESPONDERE DEBET.

Vocatione divinâ dicto modo cognitâ, necessarium est ut Prælatus religiosus illi *in Regimine suo religioso*, et officio suo cum divinâ gratiâ perfectè implendo, *fideliter cooperetur*. Ita 1° jubet S. Scriptura, *Eccl.* XXXII, 2 : *Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis, quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic confide, et omni curâ tuâ explicitâ recumbe.* Et, I *Petri* V, 2 : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei... Forma facti gregis ex animo.* Nempe, sicut S. Petrus ipse, *Joan.* XXI, jussus fuerat oves Christi pascere, quando a Christo in universalem Ecclesiæ pastorem electus fuit. 2° Hortantur ad hoc PP., præcipuè S. Ephrem, t. 2 *in Parœn.* XV. Sic Prælatum religiosum instruit : « Frater, creditæ tibi animæ cingere contende sicut vir lumbos tuos : certamen quippe imminet non exiguum, siquidem perfectorum est virorum animas suscipere. Quare sobrium te præbe ac vigilantem : quoniam multam res exigit attentionem, et non despexeris ; verùm in omni sanctitate ac puritate sit vestra conversatio ad invicem, ne fortè ex segnitie aliquid de proprio occultè superseminet inimicus, per ipsius, qui morem gerit, obedientiam. » S. Bernardus, *Serm.* X, *super Cant.* : « Quodsi talis ad regimen animarum assumitur, qui se neque ad congaudendum sentit pronum, neque promptum ad condolendum, talis quidem aliis non prodest, sibi obest plurimùm. Pascat autem gregem exemplo ædificationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Habeat tria, scilicet bonitatem, disciplinam et scientiam. Prima dat exemplum, secunda corripit, tertia instituit. » Ratio est 3° quia ad omne opus bonum salutariter incipiendum et perficiendum, necessaria est cooperatio ad gratiam vocationis divinæ, utì definit Tridentinum, sess. 6, can. 4. Ergo etiam ad Prælationem religiosam salutariter

incipiendam et perficiendam requiritur vocati cooperatio, ipsaque specialis non desidiosè, sed conatu ferventi præstanda, ob maximas in eâ occurrentes difficultates.

ADHORTATIO AD FUGIENDAM AMBITIONEM.

Corollarium. Malum igitur est ex ambitione aut spe lucri Prælationes maximè Religiosas desiderare, pejus, easdem procurare aut pretendere; pessimum tam eligentes quàm electos hoc vitio sordescere. Ex hoc enim infausto principio, quales Prælati emergent? Quo evangelico Spiritu et se et subditos suos gubernabunt? Undeisibi promittere poterunt specialia Dei auxilia, quæ ad tantum munus necessariò requiruntur? Et quanta proh dolor! mala exinde in Communitatibus Religiosis nascuntur? Deplorat illa S. Basilius, in *Const. Monast.*, c. 9 : « Quos occupat morbus iste, eos invidos, contentiosos, accusatores, impudentes, calumniatores, assentatores, molitores, et præter decorum humiles, illiberales, arrogantes, ac innumeris turbis refertos efficit. Invidet enim, qui ejusmodi est, viris claris, eosque calumniatur : imò etiam plerumque eorum mortem exoptabit, ut, hominibus qui ad opus idonei sint deficientibus, suffragia ad se devolvantur. Itidem penes quos est sortitio, electioque, iis adulabitur, ob idque habebit animum servilem : at verò adversùs inferiores, si adversentur, superbè ac insolenter invehitur. Dolos igitur consuet, turbis, ac suspicionibus innumeris futurus est obnoxius, animique dissolvet tranquillitatem : prætereaque Deus pacis fugabitur, utpote cui locus non est quiescendi. Cognito itaque detrimento, hanc absurdam cupidinem fugiamus. » Quodsi verò quis per viam sanctæ legitimæ electionis, institutionis aut obedientiæ ad Prælaturam a Deo vocatus fuerit, licèt se, ut par est, tanto muneri imparem humiliter agnoscat, postulet auxilium a Deo, et dabitur illi, allaboret fideliter vocationi suæ, oret Deum pro se et subditis suis : exemplo illis præeat, vigilet pro ovibus suis, nec nimiùm ob humanos subditorum defectus perturbetur : hoc enim modo juxta S. Gregorii, l. 5 *Mor.*, c. 4, monitum : « Intus quidem servabit desiderium pietatis, foris autem explebit ministerium Ordinis, quatenus nec a perfectione per intentionem recedat, nec dispositioni Conditoris per superbiam contradicat.... Et sic fiet mirâ dispositione pietatis, ut unde se destructiorem æstimat, inde locupletior ad cœlestis patriæ constructionem surgat. »

§ 641.

POTESTAS PRÆLATI JURISDICTIONALIS ET ŒCONOMICA.

Porro ut Prælati Religiosi suo munere ritè fungi possint, duplici potestate gaudent, scilicet *jurisdictionali et œconomicâ*, seu dominativâ. *Jurisdictionalis* seu ecclesiastica ea est, quæ ad claves Ecclesiæ pertinet, prout a Christo D. data, et ab Ecclesiâ, Summo Pontifice vel aliis Episcopis in Prælatos Religiosos derivata est, ad coercendum subditos legibus, censuris et pœnis severioribus. *OEconomica* seu dominativa est jus acquisitum Religioni et Prælatis ejus ad imperandum Religiosis, et utendum eorum operâ, prout conveniens judicaverint, fundaturque in voluntate profitentium talem Regulam, et se Religioni donantium cum promissione et obligatione obediendi secundùm eamdem Regulam : estque similis illi quam habet Pater in filios, quatenus præcipuè fundatur in amore, ad dirigendum ex amore Dei subditos ad cultum illius, quos licèt non naturâ, sed voluntariè in filios spirituales suscepit. Item est similis potestati Domini in servos, quatenus nil proprium relinquit in subdito, cujus omnia sunt in arbitrio Superioris, sicut omnia servi emptitii sunt Domini; quanquam hæc subjectio non sit coacta, nec emptitia, nec ex timore servili, sed potiùs filiali descendat : et quia hæc potestas ad res spirituales ordinatur, etiam ipsa potestas spiritualis est.

UTRAQUE POTESTAS IN OMNIBUS PRÆLATIS NON REQUIRITUR.

Scholium. Utraque hæc potestas communiter in Prælatis Religiosis reperitur, absolutè tamen loquendo cum solâ potestate œconomicâ seu dominativâ in Superiore Religioso potest subsistere : sufficit enim ad statum Religiosum sola potestas dominativa in vi voti obedientiæ, et traditionis per professionem, ut Superior Religiosus subditos gubernet. Sic olim SS. Antonius, Hilarion, Pachomius, utpote laici, potestate jurisdictionis carebant, et tamen Monachos magno numero, subinde plusquam mille, gubernabant :

quod idem hodie adhuc videmus in Abbatissis et aliis Præfectis Monialium, imò et in nonnullis virorum Communitatibus, ubi Superiores sunt laici, atque jurisdictioni Ecclesiasticæ vel Papæ, vel Episcoporum, vel aliorum ab iis Delegatorum subjiciuntur.

§ 642.

PRÆLATUS, VI SUÆ POTESTATIS, SUBDITOS IN CONSCIENTIA OBLIGARE POTEST.

Ex potestate partim œconomicâ, seu dominativâ, partim verò et præsertim ex potestate Jurisdictionis *Prælatus* religiosus *subditos suos in conscientiâ sub gravi aut levi peccato,* pro ratione materiæ, *obligare potest.* Nam cùm in potestate dominativâ includatur votum obedientiæ Prælato præstandæ, et traditionis propriæ Personæ ad Religionem per Prælatum, hi tituli, scilicet, unus ex Religione, et alius ex justitiâ sufficerent, ut subditus Prælato præcipienti obedire teneretur, et consequenter ut eum Prælatus in conscientiâ obligare posset, utì patet in Abbatissis et Superioribus laicis. At pro rebus saltem gravioribus ad majorem firmitatem accedit potestas Jurisdictionis, ita ut non solùm ut Paterfamiliâs, sed ut privatus Legislator sub censuris præcipere possit.

QUOMODO IN CORRECTIONE POTESTATE SUA SUPERIOR UTI DEBEAT.

Scholium. Correctio subditorum, quæ est una ex præcipuis curæ animarum partibus, per prædictam duplicem potestatem completur. Hæc enim potest esse vel paterna, vel judicialis : et licèt paterna satis exerceri possit potestate dominativâ per Superiorem ut Patrem, correctio tamen judicialis propriè exerceri nequit, nisi per Superiorem ut judicem potestate jurisdictionis. Prior usus correspondet correctioni fraternæ, vel evangelicæ, aut correctioni secretæ in delictis secretis : quantùm verò ad delicta publica, pro publicâ etiam vindictâ infligendâ, monet Innocentius, c. 24 *de accusat.,* licèt judicialiter procedendum sit, cum memoratis ibi juris circumstantiis : « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quæ cùm causa requirit, faciliùs et liberiùs a suis possint administrationibus amoveri. » Servari tamen debent quæ sunt de jure naturæ necessaria.

§ 643.

UTRAMQUE POTESTATEM IN OFFICIO CONTINEAT PATERNA LENITAS.

Duplex verò hæc potestas dominativa et jurisdictionalis ita Prælato Religioso competit, ut *primò* utramque in officio semper continere debeat *paterna lenitas*. Meminerit quòd, quidquid dominationis habet in suos subditos, ortum habeat ab eorum spontaneâ propter Deum voluntate, quâ, per obedientiæ votum et voluntariam suarum personarum traditionem, se totos in holocaustum charitatis tradiderunt : adeoque tractari merentur non ut servi coacti, sed ut filii voluntarii. Item meminerit jurisdictionem suam in subditos emanare a Christo Jesu bono Pastore, qui pascendas suas oves S. Petro tradidit; unde Episcopos monet Tridentinum, sess. 1, c. 1, *de Ref.* « Ut se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse subditis oportere, ut non in illis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quos per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli servanda præceptio tangit, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientiâ : cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quàm auctoritas, plus exhortatio quàm comminatio, plus charitas quàm potestas. » Quæ omnia Prælato Religioso multò magis dicta sunt, de quo S. Augustinus, in Regulâ suâ ep. 109 comprehensâ, ait : « Ipse verò, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. »

§ 644.

POTESTAS DOMINATIVA PATERNA PRÆFERENDA EST.

Secundò. Prælatus Religiosus, licèt utrâque potestate gaudeat, communiter tamen dominativam *paternam præferre*

debet, ac si more antiquo hac solâ præstaret. Ita 1° S. Petrus omnes Prælatos, I *Pet.* v, 2, instruit : *Neque ut dominantes in cleris :* scilicet despoticè, utì Principes laicis dominantur, et Domini mancipiis. 2° S. Gregorius Naz., *Orat.* 1, *de Fugâ*, de Antistite dicit : « Non per vim coerceat, sed persuasione alliciat; nam quod necessitate extorquetur, præterquam quod tyrannicum est et improbandum, ne firmum quidem ac stabile est. Quidquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa atque distracta, simul ut missum factum est, rursus ad se redire consuevit. Quod autem a liberâ voluntate proficiscitur, æquissimum simul ac certissimum esse solet, utpote benevolentiæ vinculis adstrictum atque conservatum. » Ratio asserti vel ex nomine Prælatorum Religiosorum apparet, qui vocantur Abbates, seu Patres, Ministri, Priores, Præpositi, Guardiani, Rectores, quæ nomina nihil auctoritatis redolent judiciariæ, sed paternum et simplicem modum gubernandi significant.

§ 645.

USUI POTESTATIS JURISDICTIONIS LENITAS IMMISCENDA.

Tertiò. Licèt Prælatus Religiosus *potestate jurisdictionis* aliquoties uti cogatur, in ejus tamen usu *paternam lenitatem* immiscere debet. Ita 1° quoties in S. Scripturâ mentio fit jurisdictionis Ecclesiasticæ, lenitas in ejus usu observanda notatur. Sic, *Matth.* xvi, 19, S. Petro a Chriso illa promissa est sub nomine clavium, non gladii, ad solvenda ligamina, non ad carenas confringendas, quasi Paterfamiliâs esset futurus, curam clavium Ecclesiæ habens. Et, *Joan.* xxi, 15, hæc cura illi ut Pastori actu commissa fuit, qui *Oves*, quarum Christus Pastor, et *Agnos*, quorum Christus Pater est, pasceret. Unde Tridentinum, cit. sess. 13, c. 1, Episcopos et omnes Prælatos hortatur : « Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordiâ

judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris et necessaria conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur. Cùm sit diligentis et pii simul Pastoris officium, morbis ovium levia primùm adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere : sin autem nec ea quidem proficiant illis submovendis, cæteras saltem oves a contagionis periculo liberare.» 2° S. Chrysostomus, l. 2 *de Sacerd.*, post. init., ait : « Exteri quidem judices, cùm facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magnâ se præditos auctoritate ac potestate ostendunt, eosdemque, vel invitos, suos ipsorum mores mutare cogunt. Hìc verò non vim afferre sed suadere tantùm oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data, ad delinquentes coercendos, ac ne si dedissent quidem haberemus, ubi vim hujusmodi, potentiamque exercere possemus : cùm Christus eos æternâ coronâ donet, non qui coacti, sed qui certo animi proposito a peccato abstinent. » Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 27, instruit Abbatem qualiter debeat esse sollicitus circa excommunicatos, « immittere quasi occultos consolatores, Sempectas, id est seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem. » Ratio est 3° quia etiam in rebus gravioribus, quando ad coercendos duros et improbos Religiosos, ad præceptum formale, censuras excommunicationis et suspensionis, aliasque pœnas spirituales, quin in corporales usque ad incarcerationem adveniendum est, hoc nonnisi coactè, et in quantùm fieri potest, duriora lenioribus temperando, fieri debere, et status religiosus, et character Patris in Prælato Religioso moraliter indelebilis requirit.

§ 646.

IN CORRECTIONE PIA ZELUS ABESSE NON DEBET.

Quartò. Quantùm ad *correctionem*, illi pariter ita *pietas miscenda est*, ut suus tamen locus *zelo animarum*, qui Prælato Religioso proprius est, relinquatur. Ideam eximiam hujus correctionis ex zelo et mansuetudine servandæ habemus 1° in S. Paulo, I *Cor.* IV, ubi fideles illos corrigens, ait, v. 14: *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo.* Et v. 21 : *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* Contra unum verò ex illis ob delictum enormius et non occultum, cap. seq., excommunicationem fulminat : ubi primò paternâ correctione utitur, deinde coercitionem mansuetè minatur, denique ad severius excommunicationis judicium progreditur. 2° S. Chrysostomus, *Hom.* 13, *in cit. ep. Cor.*, ait : « Multa hoc in loco gravitas et reprehensio : non enim locutus est ut Magister, neque ut Apostolus, neque ut tantùm habeat quod esset dignitatis, sed ut filios meos moneam. » Consuli etiam possunt S. Basilius, in *Reg. fus. inter.*, 46, 50, 51, S. Augustinus, in suâ, *Reg.*, c. 7 et 10. S. Thomas, 2, 2, q. 33, a. 3, et S. Bonaventura, *De sex Alis Seraph.*, c. 4. Ratio est 3ª quia quando paterna correctio nil proficit, Prælatus ad speciem judicis plus minusve severam, et ad pœnas etiam publicas pro ratione circumstantiarum et materiæ gravitate transire debet, ne levitas in mollitiem et charitas in humanum timorem degeneret, cui utique timor Dei prævalere debet, cui ratio omissæ correctionis a Prælato ob detrimentum boni communis et violationem justitiæ reddenda est.

§ 647.

MEDIA AD CONSERVANDAM, AUGENDAM ET REFORMANDAM RELIGIONEM PRÆLATUS ADHIBERE DEBET.

Ex recto usu duplicis potestatis dominativæ et jurisdictionalis bonum Regimen Prælati Religiosi dependet, sicuti econverso ex neglectu ipsius, vel perverso ejusdem usu familia religiosa aut omnino perditur, aut saltem spirituale illius incrementum impeditur : quod ne contingat, Prælatus *media* illa nosse et in praxin deducere debet, *quibus Religio in suo vigore conservari*, augeri et ab interitu præservari, vel si ad eum vergat, reformari valeat : quæ proinde modò indicanda et exponenda sunt.

MEDIA HÆC ENUMERANTUR.

Scholium. Media hæc præcipua sunt imprimis accurata votorum religiosorum observatio, et maximè 1. Voti obedientiæ. 2. Voti paupertatis. 3. Custodia Regularum. 4. Receptio, seu admissio hominum bonæ indolis. 5. Constitutio boni Magistri Novitiorum et Patris spiritualis. 6. Bonum exemplum Superiorum. 7. Studium orationis. 8. Amor solitudinis. 9. Occupatio honesta. 10. Electio bona Religiosorum Officialium. 11. Fuga ambitionis. 12. Fraterna charitas, et omnis discordiæ inter fratres exstirpatio. 13. Capitulorum celebratio. Et 14. Frequens domorum religiosarum visitatio.

§ 648.

PRIMUM MEDIUM EST OBEDIENTIA.

Primum itaque medium conservandæ, augendæ aut reformandæ Religionis est accurata votorum religiosorum observatio, et imprimis voti *Obedientiæ*. Nam 1° Christus D., *Matth.* XIX, 21, sequelam suî specialem non solùm imitatione, sed etiam personali famulatu, qualis est in Religioso,

consulens, ait : « Si vis perfectus esse, vade.... et veni, sequere me. » Ubi clarè indicat perfectionem religiosam non posse sine obedientiâ regulari subsistere. Unde, *Eccl.* III, 1, dicitur : *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum ; et natio illorum obedientia et dilectio.* Et, *Matth.* XII, 25, ait Christus : *Omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit.* Quodsi igitur regna ipsa divisione inobedientiæ discissa desolantur; si civitates integræ, domusque seculares, scissione hac admissâ stare nequeunt : qualis erit domus religiosa, a religando membra cum capite sic dicta, si obedientiæ vinculum relaxetur ? 2° S. Basilius, in *Const. Monast.*, c. 22, ait : « Si non perfectè obedire inutile est, operæ pretium est persequi nos quod magis expedit : nam, meâ quidem sententiâ, hoc quod dicitur inutile, magni cujusdam detrimenti, reique pœnitendæ significationem habet. » S. Augustinus, l. *de Mor. Eccl.*, c. 31, veterum Cœnobitarum sanctam vitam obedientiæ eorum erga suos Prælatos adscribit, « magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate. » S. Benedictus, *Reg.*, c. 5, 7 et 71, de obedientiâ tractat, et D. Calmet, *Comment. in Reg.*, c. 5, notat, quotquot in investigandâ Regulâ et mente S. Benedicti accuratiores fuêre, fatentur obedientiam esse singularem, et præcipuum suorum discipulorum characterem. 3° Rationem dat P. Alvarez, *de Vit. spir.*, t. 2, l. 5, p. 3, c. 3, his verbis : « In Religioso statu obedientia adeo necessaria est, ut eâ subtractâ penitùs stare non valeat. Nam Religio est congregatio multorum tendentium ad perfectionem, peculiaribus institutis et legibus, sub unius Capitis directione ordinatâ. Tolle obedientiam, ita ut quisque suo arbitrio vivat, et suo, prout libet, modo procedat : et auferes certas leges, multitudinem continentes, et tolles ordinem, ac ex consequenti auferes unitatem et Religionem. Et ibidem datam rationem ita urget. Status religiosus sine pace et concordiâ multorum stare non potest ; nam pax, ut Augustinus ait, est tranquillitas ordinis : ordine autem et tranquillitate sublatis, non manet spiritualis hominum con-

gregatio, sed manifesta confusio. Pacem verò obedientia efficit, obedientia custodit, quam si repellas, pacem quoque rejicies; pax enim subjectionem requirit inferioris ad Superiorem, ut secundùm istius voluntatem ille disponatur ac pareat : si ergo abstuleris obedientiam et subjectionem, tolles et pacem, » et consequenter Religionem.

§ 649.

IN QUIBUS PRÆLATO OBEDIENDUM.

I. *Obedientia* hæc Religiosa, ut Religionis incremento et conservationi proficiat, Prælato *non est præstanda*, si quid, quod est certò *peccatum*, vel certò contra *Regulam* præcipiat. Nam, *primò*, si res præcepta certò sit peccaminosa, subintrat illa Regula, *Act.* v, 29 : *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Si autem sit certò contra Regulam, obedire esset saltem impedire majus bonum, et Prælatus suâ auctoritate uteretur non ad ædificationem, sed ad destructionem, nisi justam dispensandi causam haberet. *Secundò*, ita docet S. Augustinus, *Serm.* VI, *de verb. Dom.*, c. 5, dicens : « Quid si illud jubeat, quod non debeat facere? Hìc sanè contemne potestatem, timendo potestatem, » scilicet divinam. Et S. Bernardus, *de Præc. et disp.*, c. 9, obediendum suadet, « ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. » Et S. Thomas, l. 10, a. 10, ex communi docet : « Quòd enim Religiosus non teneatur Prælato obedire in his quæ sunt contra Deum vel contra Regulam, vel quantùm ad ea, in quibus Prælatis dispensatio non committitur, omnes communiter dicunt. »

II. Obedire Prælato in omnibus quæ non sunt contra Deum vel contra Regulam, perfectionis quidem est, sed non obligationis in subdito, nisi quoad ea quæ Prælatus jubet *juxta Regulam*. Ita docet S. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 5, dicens : « Dicendum quòd Religiosi obedientiam profitentur, quantùm ad regularem conversationem, secundùm quam suis Prælatis subduntur, et ideo quantùm ad illa sola obedire tenentur,

quæ possunt ad regularem conversationem pertinere. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis. » Et S. Bernardus, l. c. c. 4, ait : « Is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundùm regulam, nec aliam quàm S. Benedicti ; ut oporteat eum, qui præest, non fræna suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regulâ sibi scire mensuram, et sic demum sua imperia moderari circa id solum quod rectum esse constiterit : nec quodlibet rectum, sed hoc tantùm, quod prædictus Pater instituit, aut certè quod sit secundùm quod instituit. » Verùm, c. 6, notat, hanc obedientiam necdum esse perfectam, licèt sufficientem; nam « Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis : et ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. »

AN IN DUBIO OBEDIENDUM.

Scholium. Quòd si subditus dubitet an illud quod Prælatus jubet sit honestum et licitum, necne, juxta communem Theologorum sententiam, non potest quidem obedire Prælato, retento dubio propriè tali, seu practico; tenetur tamen illud deponere, et ita obedire : nam si antecedens dubium sit negativum, potiùs est nescientia, aut ignorantia honestatis, quæ cedere debet præsumptioni de honesto, quando illud Prælatus jubet; si verò positivum sit, in æquè, vel inæqualiter probabili sententiâ fundatum, iterum judicio Prælati cedere debet, quia in concursu judiciorum probabilium justius et rationabilius est ut subditus accommodetur Prælato, quàm econverso.

§ 650.

QUOMODO OBEDIENDUM.

Ut verò Religiosa *Obedientia perfectè* præstetur, I. Moveri debet ex eo quòd Prælatus, sive sit bonus, sive non, Christi

personam gerat. Nam, *Luc.* x, 16, ait Christus : *Qui vos audit, me audit.* Et, *Matth.* xxiii, 2, dicitur : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite : secundùm verò opera eorum nolite facere, dicunt enim, et non faciunt.* Et S. Bernardus, *de Præc. et disp.*, c. 9, ait : « Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum. Et S. Bonaventura, *de Grad. virt.*, c. 2, docet : « Altissimus videtur gradus obedientiæ, cùm obedimus homini indiscreto et discolo, et despecto, in Personâ Dei, qui multa imperat cum impetu, et sine discretione et liberatione. »

II. Ut hæc obedientia sit acceptabilis Deo, et dulcis hominibus, S. Benedictus, *Reg.*, c. 5, sequentia præscribit : « Quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure vel cum responsione nolentis efficiatur.... Et cum bono animo a discipulis præberi oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solùm ore, verùm etiam in corde si murmuraverit, etsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit. »

QUOMODO OBEDIENTIA MALE PRÆSTITA RELIGIONEM PERDERE POSSIT.

Scholium. Hæc omnia fusiùs explicata legi possunt passim apud Ascetas, et quantùm ad obligationem voti obedientiæ consuli possunt Moralistæ. Illud solùm hìc notare juvat, cavendum esse ne, sub prætextu obedientiæ, ipsa obedientia et observantia regularis, et leges charitatis erga Deum et proximum relaxentur : qui abusus contingere potest primò ex parte subditi, si Prælatum circumveniat, illius voluntatem ad propriam trahendo, sive ut jubeat quod lubet, sive ut facilè secum dispenset, sive fingendo causam pro dispensatione, sive Prælato nimiâ cæcitate obediendo, quando subdito satis certò constat Prælatum aliquid contra legem Dei, aut vota religiosa, aut Regulam præcipere. Tum ex parte Prælati, si se circumveniri sinat, si dispenset sine causâ, vel facilis sit in

dispensando, vel temerè jubeat aut dispenset, absque eo quòd prudenter certus sit se legitimè dispensare posse. Ita monet S. Bernardus, *Serm.* 35, *de Div.*, dicens : « Quisquis vel apertè, vel occultè satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater injungat, ipse se seducit, si fortè quasi de obedientiâ blandiatur : neque enim in eâ re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. »

§ 651.

SECUNDUM MEDIUM EST PAUPERTAS.

Secundum medium conservandæ Religionis est exacta voti *Paupertatis* observantia. Ita 1° Christus consulit, *Matth.* XIX, 21, juveni ad evangelicam perfectionem aspiranti : *Si vis perfectus esse, vade, et vende quæ habes, et da pauperibus.* Et, *Luc.* XIV, 33, a discipulis suis, adeoque potissimùm a Religiosis, requirit : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Consequenter sine paupertate nec Christi discipulatus, nec status religiosus potest subsistere. *Secundò*, idem sentiunt PP. S. Basilius, in *Reg. brev.*, ait : « In societate fratrum nihil privatim haberi debet : qui enim suum dicit aliquid esse, is seipsum alienum reddit ab Ecclesiâ Dei et charitate Domini. » S. Gregorius, l. 10, *Ep.* XXII, dicit : « Si peculiaritas a Monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione câdem poterit permanere. » Cassianus, l. 7, *Inst.*, c. 6, proprietatem « receptaculum vitiorum, malorumque omnium, et inextricabilem malitiæ fomitem » vocat. S. Benedictus, *Reg.*, c. 33, statuit : « Præcipuè hoc vitium amputetur de Monasterio, etc. » S. Bonaventura, *de Inform. Novit.*, p. 2, c. 9 et 14, docet : « Cùm paupertas voluntaria sit totius spiritualis ædificii primarium fundamentum, idcirco toto tempore vitæ tuæ in omnibus transitoriis rebus strictam paupertatem observa, ut nihil sub cœlo habeas, nisi ea quæ necessitati tuæ per Regulam conceduntur. *Tertiò.* Ratio est tum quia ubi est meum ac tuum, ibi necesse est adesse lites, dissidia et graves defectus fraternæ

charitatis : quod est initium perditionis in Religione. Deinde per marsupia privatorum nequeunt non exsanguia reddi bona communia : unde bonum publicum semper pari passu deperit, quo bonum peculiare prævalet. Rursus subditus bona peculiaria habens non indiget Prælato in re temporali, et ad illius contemptum devenit. Communiter enim non curantur illi, quibus aliquis non indiget. Item subditus ejusmodi per ejusmundi bona habet ad manum media, ut exsequatur vitia, quæ, si religiosam paupertatem exactè observaret, in opus redigere non posset; unde plerumque obedientia et castitas cum fictâ suâ paupertate pari passu ambulant, et sic tota Religio destruitur. Unde etiam Sancti Ordinum Reformatores strictam religiosam paupertatem per divitiarum et bonorum etiam communium abusum sæpe valde labefactatam, pro fundamento suæ Reformationis posuerunt, et vigori suo restituerunt.

§ 652.

VITA COMMUNIS SERVANDA.

Ut igitur per religiosam Paupertatem Religio in suo flore conservetur, et ab interitu vindicetur, imprimis *vita communis*, quâ omnibus Communitatis membris ex communi in necessariis provideatur, sub gravi a Prælatis, ubi adest, retinenda, et ubi abest, superfluis amputatis, in quantùm fieri potest, procuranda est. Ita 1° de primis fidelibus, *Act.* IV, dicitur : *Nec quisquam eorum quæ possidebat suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quippe possessiones suas vendebant, et dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Eosque SS. PP. Hieronymus, Cyprianus et Basilius jam tunc votum paupertatis emisisse, ex morte Ananiæ et Sapphiræ, in pœnam retentæ pecuniæ ex agro vendito inflictâ, probant, exprobrante S. Petro, c. 5, v. 4 : *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Unde Tridentinum, sess. 25, c. *de Reg.*, statuit, ut Regulares « ad communem vitam, victum et vestitum conser-

vanda pertinentia observent.... Si enim quæ bases sunt et fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. » Et, c. 2, præcipit : « Nemini igitur Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia et mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs, possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. » Quod etiam statuit Clemens VIII, in Const. *Nullus omnino*, ubi prædictis verbis Concilii addit : « Quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. » *Secundò* SS. Patres potiorem etiam vim Religionis in communi vitâ constituerunt. S. Basilius, *Serm. 1 Ascet.*, ait : « Apotheca communis omnium sit, nec quidquam ceu cujusvis proprium nominetur, non vestimentum, non calceamentum, non quidvis aliud, quod ad necessarium corporis usum pertinet, sed usus sit penes Præfectum, ita ut quod cuique convenit, id ex communibus tribuatur juxta moderatoris præceptum. » Et, in *Const. Mon.*, c. 34, proprietarium Monachum cum Judâ fure et proditore comparat. Et S. Benedictus, *Reg.*, c. 33, jubet : « Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat. » Videri etiam possunt S. Laurentius Just., *de Paup.*, c. 4, et Gerson, vel alius, *Contr. proprietar. reg. Aug.*, p. 2. *Tertiò*. Ratio est quia Religio est fidelium ad christianæ vitæ et charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis substantialibus, et stabilis in *communi vivendi* modus, ab Ecclesiâ approbatus. Ergo deficiente vitâ communi, ejus essentia subvertitur.

LICENTIÆ GENERALES NON CONCEDENDÆ.

Scholium. Vitæ communi et Paupertati Religiosæ nimiùm præjudiciales sunt licentiæ generales, ad dandum et recipiendum, quæ a Prælatis prudenter restringendæ, et a subditis nullo modo sollicitandæ sunt : quia per tales licentias solùm nomen paupertatis remanet, et omne illius meritum exstinguitur, et subditus, qui a nutu Prælati omnino dependere debet, judex in

propriâ causâ constituitur. Inde amor proprius facilè in usus superfluos, et Christi pauperes minùs decentes, imò illicitos et inhonestos prolabitur. Inde abusus opinionum vel minùs fundatarum, vel minùs bene pro praxi intellectarum oritur, ita, ut juxta S. Bernardum, *Serm. 4 Adv.*, hi sint, « qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil illis desit; et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. » Certè per licentias generales inevitabiliter superflua irrepere necesse est.

§ 653.

VITA COMMUNIS IN VICTU ET VESTITU.

I. *Vita* hæc *communis* tum a Prælatis, tum a subditis Religiosis *in victu et vestitu* observanda est. Ita enim statuit Concilium Tridentinum paulò ante allegatum, et Clemens VIII, in suâ constitutione citatâ. Et quidem quoad victum communem S. Bernardus, *Serm.* 30 *in Cant.*, probat quantùm ejus observatio ad conservandam disciplinam regularem conferat, dum ita unumquemque Religiosum eum negligentem alloquitur. *Parce, obsecro, primùm quieti quidem tuæ*, quæ per affectum ad singularia in victu turbatur. *Parce labori ministrantium*, scilicet coqui et servitorum mensæ. *Parce gravamini domûs*, quæ novos sumptus et onera ad satisfaciendum appetitui particulari sufferre debet. *Parce conscientiæ, conscientiæ dico non tuæ, sed alterius*, Fratris, scilicet, tibi assidentis et communia comedentis, qui tuâ in cibo singularitate scandalizatur, vel contra te, vel contra Superiorem murmurando. Quæ communis vita non solùm a Religiosis, sed eorum etiam Prælatis observanda est, utì statuit Conc. Aquisgranense, a. 817, c. 25, dicens : « Eâ, quam Monachi sui habent, mensurâ sint Abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non sint occupati. » Plura præsertim pro Prælatis quoad hoc legi possunt in *Ep. Past.* Joannis ab Annunt., t. 2, p. 3, § 2, ubi de his singularibus Prælatis ait : « Qualis in hoc casu potest esse pax? quæ confidentia? qualis Religio? Certus sum,

tales Priores, si qui reperiuntur, et hanc destruere, et semetipsos.»

II. Quoad vestitum Religiosis et Prælatis communem, præter Tridentinum, S. Augustinus, *Serm.* 50, *de Div.*, ait: « Qualem potest habere Presbyter, qualem potest habere Diaconus, vel Subdiaconus, talem volo accipere vestitum, quia in communi accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod et facere soleo : et quando non potest esse vestis communis, pretium vestis sit commune. Vendo, et erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam talem, det, unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosâ veste erubesco, quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos.» Et S. Petrus Damianus, l. 6, ep. 14, dicit : « Eat ergo Monachus vanæ gloriæ deditus, et togâ radiante conspicuus, nitore vestium aspectantium pascat illecebras oculorum, sed dum vestibus fulget, iniquorum spirituum deceptionibus patet. Divinæ præterea indignationis adversùm se sententiam provocat, dum solis exterioribus deditus, oculos hominum, ut se admirentur, invitat, tantòque despicabiliùs, Deo superbiam reprobante, contemnitur, quantò coram oculis intuentium cultioribus induviis amicitur.» Unde meritò, ad vitandum scandalum sæcularium et ruinam Religionis, S. P. Benedictus, *Reg.*, c. 55, pro vestimentis Monachorum præscribit : « Quod viliùs comparari potest.

SENTENTIÆ DE MENSA PRIVATA PRÆLATORUM REFERUNTUR.

Scholium. Experientia docet Regulari disciplinæ vehementer prodesse, si Prælatus Religiosus communi mensæ Fratrum suorum in Refectorio sine ullâ singularitate in victu intersit : id quod etiam jam olim Concilium Aquisgranense, a. 817, pro reformatione Ordinis Monastici celebratum, c. 27, his verbis statuit : « Abbas, vel quispiam fratrum, ad portam Monasterii cum hospitibus non reficiatur; in refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen eâ cibi potûsque mensurâ contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in

suâ maneat potestate.» Equidem et nunc, et olim, utî videre licet in *Comment.* D. Calmet, quidam objicere solent, hoc esse contra textum Regulæ S. P. Benedicti, ubi, c. 56, mensam Abbatis cum hospitibus et peregrinis esse debere præcipitur. Quibus, ait *Cæremoniale Benedict.*, p. 3, c. 2, non aliter quàm ipsis verbis S. Petri Mauritii Cluniacensis Abbatis, qui ante quingentos annos vixit, respondere volumus. « Mensam Abbatis, inquit, juxta Regulam cum hospitibus et peregrinis non esse causamini, sed justè inde arguimini. Est quippe cum peregrinis et hospitibus semper, quoscumque enim Abbas substantiâ monasterii reficit, nonne propriæ mensæ participes facit? Et certè per Dei gratiam omnibus pauperibus, omnibus hospitibus sufficiens apud nos pro posse charitas exhibetur, et unicuique congruus honor defertur. Quodsi isto impleri a nobis Regula secundùm vos minimè potest, et hoc esse mandatum, ut cum Abbate manducent, affirmatur, fit et hoc aliquando de honestis personis. Nam indecens credimus ut, præsente Conventu, quarumlibet personarum non cunctis placitura incongruentia indiscretè introducatur, et ipsis fortè bonis inde scandalum oriatur. Si verò opponitis, non in Conventu, sed extra Conventum mensæ Abbatis hospites satiari debere, respondemus, hac occasione Abbates a Fratribus olim se sequestrare solere, et sub prætextu hospitum lautioribus cibis et familiaribus epulis indulgere, neque de ovium suarum pastu curare, et secundùm Prophetam, quod salvo mystico intellectu dicimus, quod crassum videbant, assumebant, et quod debile erat, projiciebant : et cùm limpidissimam aquam biberent, reliquam pedibus suis conturbabant, et gregem Domini turbidâ et cœnosâ aquâ potabant, hoc est, optimè sibi providentes, de cæteris non curabant. Qui quia præcepto bono malè utebantur, novo ulceri novum emplastrum superponendum fuit et præceptum, quod aliquando salubre fuerat, salubriori consilio commutandum. Ea propter ut vitium de virtute ortum, rursum virtute exstingueretur, cùm de communi mensâ ad singularem Regula transmisisset, iterum de singulari ad communem Regula rationis et charitatis reduxit. Unde et Abbates nostri, nisi infirmitas obstiterit, nobiscum semper comedunt : a communi tamen mensâ nunquam, vel rarò, discedunt; hospitibus autem et peregrinis nihil deesse patiuntur, etc.» Hæc ille alioquin Regulæ Benedictinæ rigidissimus observator.

§ 654.

SUPELLEX ET PRETIOSA ÆDIFICIA VITANDA.

Denique, ad conservationem Religionis, *Paupertas* religiosa in ædificiis et habitatione, ac reliquâ supellectili, a Prælatis Religiosis, et eorum subditis observanda est. Ita denuò statuit Tridentinum, sess. 25, c. 2, *de Ref. Reg.*, dicens : « Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in eâ sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. » S. P. Benedictus, *Reg.* c. 55, suis discipulis sequentia concedit, *cultellum*, *graphium*, *acum*, *mappulam*, *labulas*, et omnia, quæ necessaria sunt. Et de pretiosis ædificiis et superfluo eorum ornatu S. Bernardus, in *Apolog.*, l. 4, ait : « Video et alios, quod non sine dolore videri debet, post agressam Christi militiam rursum sæcularibus repleri negotiis, rursus terrenis cupiditationibus immergi, cum magnâ curâ erigere muros, et negligere mores. » Persequitur Nebridius, *Antiq. Monast.*, ep. 19 : « Quàm longe abfuit omnis magnificentia ab antiquorum habitaculis? Si quid superfluum habebant, distribuebant in egenos. Hodie corraduntur opes, et vel concluduntur in arcas, vel, ne otiosæ sint, impenduntur in ædificia, vel non necessaria, vel contra monasticam professionem nimis ambitiosa. » Et S. Bonaventura, *Ep. ad Provinc. sui Ord.*, t. 2 *Oper.*, inter alias causas relaxationis, refert curiositatem et magnificentiam ædificiorum; tum quia turbat *pacem* Superiorum, et eorum qui super ea constituti sunt, examinando et exsequendo eorum constructionem, procurando necessarios sumptus, et secularium tumultus in claustro, cum detrimento disciplinæ regularis, introducendo : tum quia ipsi sæculares per ejusmodi superbas structuras graviter scandalizantur. Rigidior erat S. Joannes Gualbertus, qui Moscetanum Monasterium visitans, grandiores ejus domos videns, Rudolpho ejus loci Abbati dixit : « Tu in hoc loco

magnis expensis, quibus pauperes plurimi refoveri potuissent, ex propriâ voluntate palatia fabricâsti. » Et conversus ad rivulum præterfluentem, adjunxit : « Deus omnipotens, qui de minimis magna facere consuevisti, videam per hujus rivuli parvitatem ipsius enormis ædificii citò vindictam. » Et subitò rivulus intumescens, saxa et arbores secum abripiens, prædictas domos funditus subvertit.

MONITUM CÆREMONIALIS BENEDICTINI.

Scholium. Optimè proinde monet *Cæremoniale Benedictinum*, p. 3, c. 2, § 4 : « Meminerit Abbas bonorum et fructuum Monasterii non dominum, sed tantùm dispensatorem se esse, nec proinde pro arbitrio et voluntate, sed secundùm piorum Fundatorum intentionem et Ecclesiæ, pro utilitate et necessitate Monasterii, bona Monasterii dispensare posse ac debere. Caveat ergo ne superfluo famulatu, nimio aut non necessario equorum numero, sumptuosis et inutilibus ædificiis Monasterii redditus consumat; interim verò nonnisi paucos Conventuales non sine summâ cultûs Divini diminutione alat. » Et, in 4, statuit : « Ad providendum periculis futuris, ad tollendam insuper justam Fratrum querelam juxta Apostolica statuta, saltem semel singulis annis, coram certis de Conventu Fratribus de perceptis et expensis rationem faciat. » Et p. 2, c. 3, § 2, n. 2, vult ut magnarum expensarum ædificatio cum omnibus Capitularibus deliberetur.

§ 655.

TERTIUM MEDIUM : CUSTODIA REGULARUM.

Tertium medium pro conservandâ disciplinâ Regulari est accurata *Regulæ* et *Constitutionum* uniuscujusque Religionis observantia. Sic *Primò* illud Jacob, 1, 25 : *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in eâ, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.* Hugo Victorinus id applicat Regulæ S. Augustini. Et S. Bonaventura illud, *Gal.* VI, 16 : « Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel

Dei, » applicat Regulæ S. Francisci. Et Tridentinum, sess. 25, *de Reg.*, c. 1, præcipit : « Ut omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ quàm professi sunt præscriptum vitam instituant et componant. » *Secundò*. S. Bernardus, ep. 321, ait : « Rogo vos, fratres, et multùm obsecro, sic agite, et sic state in Domino dilectissimi, solliciti semper circa custodiam Ordinis, ut Ordo custodiat vos. » Et S. Antoninus, 2 p., t. 1, § 2, c. 23, ruinæ Religionum hanc unam causam affert : « Quia præfatæ Religiones, quæ cum magno fervore et vitæ sanctimoniâ initium habuerunt, minina negligentes paternarum traditionum, in processu temporis paulatim defluxerunt, et exinanitæ sunt usque ad fundamentum in eis. » Quare S. P. Benedictus, *Reg.* c. 64, Abbati præcipit : « Ut præsentem Regulam in omnibus conservet. » Ratio est 3° quia sine accuratâ observatione Regulæ et Constitutionum nullus Religiosus exactè sua vota observabit, cùm Regulæ ad accuratam votorum observationem a SS. Fundatoribus ex instinctu Spiritûs S. conscriptæ fuerint : et deflectere a Regulâ, est deficere a perfectione, ad quam quivis Religiosus vi suæ Professionis tendere tenetur; præterquam quòd talis negligens pravo suo exemplo alios corrumpat, et totam paulatim Religionem relaxet.

COROLLARIA.

Scholium. Ex hoc sequitur : 1. Valde errare illum Religiosum, qui solùm timet ea transgredi quæ in Regulâ sub gravi peccato præcipiuntur, et cætera negligit; ut jam notatum fuit, t. 1, § 22, seqq. Certè miser erit Religiosus, et vix tendet ad perfectionem, si, nullâ habitâ ratione Doctrinæ Asceticæ, de solâ Morali, et fortè satis laxâ, in rebus suo statui essentialibus aliqualem rationem habeat, licèt ipsi Moralistæ moneant, ejusmodi probabiles sententias in praxi vix esse omni culpâ vacuas. Sic, licèt juxta multos Moralistas fieri possit, ut transgressio Regulæ, ad nullam culpam obligantis, per se loquendo, non sit culpa venialis, monet tamen P. Suarez, t. 3 *de Rel.*, tr. 8, l. 1, c. 3 : « Quia verò rarò contingit Religiosum operari ex motivo honesto, quando operatur contra Regulam, sed ex aliquâ otiositate, vel delectatione, ideo frequenter hoc non fit sine culpâ veniali. » 2. Non solùm autem

in subditis, sed multò magis in Superioribus, omnem habitualem inobservantiam circa vota et Regulam conniventibus relaxatio et ruina disciplinæ regularis timenda est, etiamsi solùm in levioribus, v. g. neglectu silentii, conniveant : sic enim negligentes subditi alios suos fervidos confratres et sæculares scandalizant. Prælati verò, quibus ex justitiâ zelus disciplinæ incumbit, si, velut canes muti taceant, vel fortè pravo suo exemplo faveant, relaxationi latam portam aperiunt. Ideo S. Bonaventura, *De sex Alis Seraph.*, c. 3, graviter Prælatos Religiosos monet, ut caveant transgressiones mandatorum Dei et Ecclesiæ, ac sui Ordinis, sicut et votorum, deinde transgressiones disciplinæ Regularis in officio divino, silentio, victu, habitu, labore, vigilis etc. de quibus inquit : « Si Prælatus non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, et consuetudines malas oriri, et jam exortas roborari et dilatari; si videt regulares observantias dilabi, et transgressiones multiplicari, et pro posse non obviat tam præsentibus malis quàm imminentibus, triplicem Deo reddet rationem, primò pro suâ negligentiâ.... Secundò, quòd omnia peccata subditorum, quæ poterat et debuerat correxisse et præcavisse, imputantur ei.... Tertiò, pro abusione honoris et potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam et commodum retorsit, et non ad quod data est ei. » Unde communis est Theologorum sententia, Prælatum graviter peccare, si culpas veniales et trangressiones S. Regulæ, alioquin fortè sub peccato non obligantis, corrigere negligat, quia ait Lugo, d. 9, *de Just. et jur.*, sect. 2 : « Per hujusmodi defectus toleratos observantia regularis maximè labefactatur. » Cujus exempla affert in transgressione silentii, lectionis, ingressûs in aliorum cellas, etc. 3. Inter ipsas transgressiones Regulæ, et, sive a subditis, sive a Prælatis, majori zelo curandæ sunt illæ, quæ magis immediatè spiritum internum religiosum nutriunt. Sic idem S. Bonaventura, l. c., taxat insipientiam illorum Prælatorum, qui pro imâ inclinatione in Choro neglectâ plus accenduntur puniendo, quàm pro longâ detractione alterius, et graviùs indignantur pro versiculo aut rubriculâ neglectâ, quàm pro magnâ perturbatione cum scandalo causatâ. Cavendam quidem docet exterioris disciplinæ negligentiam, maximè si prava consuetudo deformitatem et dissimulatio negligentiam nutriat : « Principaliter tamen cavenda et dolenda est transgressio Præceptorum Dei; deinde inviolabilium præceptorum S. Ecclesiæ : deinde illorum, quæ sub voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiæ, maximè quæ sub præcepto sunt statutæ : deinde omnia scandala speciem mali quamcumque habentia, nempe avaritiæ, superbiæ, etc. Deinde

cavenda est perturbatio studii devotionis, ex quâ fulcitur omnis vera Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. » 4. Quando relaxatio disciplinæ regularis vel latiùs serpit, vel jam invaluit, Superiores æquè ac subditi ad reformationem faciendam obligantur, utì jubet Tridentinum, sess. 25, c. 1, *de Reg.*, quod vult, « ut omnis cura et diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus et Provincialibus, quàm in eorum visitationibus, ut a substantialibus votorum et præceptorum non recedatur. »

§ 656.

QUARTUM MEDIUM : ADMISSIO HOMINUM BONÆ INDOLIS.

Quartum medium pro conservando bono statu Religionis est *admissio hominum bonæ indolis* ad eam, et dimissio matura eorum qui pravi sunt ingenii ab illâ. Ita, ad periculum destructionis tum Religionis, tum ingredientium maximè Monialium, præcavendum, Tridentinum, sess. 25, c. 17, *de Reg.*, statuit, « ut puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non antea eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia, professionem emittat quàm exploraverit Episcopus, vel, eo absente aut impedito, ejus Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus, ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Et Clemens VIII, in *Decr. pro Nov. recept.*, § 23, mandat : « Ut Superiores diligenter inquirant, quo spiritu, quâ mente ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectionis vitæ, et ut Deo liberiùs famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur. » Et, in *Bullario Rom.*, p. 3, p. 128, dicit : « Nihil ad gravem illam ac laudatissimam Priscorum Patrum vivendi rationem majorem vim habuisse, quàm vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem supra numerum quem capere aut alere Monasteria ipsa possent ; vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inserviendi : vel denique incuriam in

cis educandis atque instituendis. » Eodem modo, 2° sentiunt PP. S. Basilius, in *Reg. fus. interr.*, 10, multa circa examen recipiendorum disserens, omnia ad unum reducit, quod oporteat inquirere de præteritâ vitâ, « ne fortè simulatâ quis mente et fallaci animo ad Religionem accedat. » S. Bonaventura, in *Reg. S. Franc.*, q. 10, inter alias causas, cur non omnes in suum Ordinem reciperentur, hanc affert : « Multos enim sæpe reciperemus.... incompositos moribus quos vix corrigere ab inolitâ consuetudine possemus, et per tales dissolveretur Ordinis disciplina, et impediretur profectus aliorum. » Abbas Thritemius, in quâdam fusâ oratione de duodecim principiis statum Religiosum evertentibus, inquit : « Prima causa ruinæ Regularis observantiæ consistit in receptione personarum statui inutilium. Calamitas ista, sicut est ordine prima, ita pariter est in procurandâ totius perfectionis ruinâ potissima et fortissima, nec aliud est ineptas personas recipere, quàm anguem in sinu fovere et calefacere.... Nec cæcus ergo, neque claudus in templum intrare debet : id est, nemo ad Ordinem admittendus est, qui vel intellectu sit valde debili, vel pede minus heroico mundum calcet. Quid enim profectûs ab homine sperandum est, qui vel hebes est in intellectu, vel mundi vanitates necdum radicitus abdicavit? 3° Ratio est quia personæ pravæ indolis ægrè, tardè aut nunquam emendantur, sed in correctione culpas duntaxat abscondunt, non delent, nec corrigunt, adeoque familias observantiores relaxant.

COROLLARIA.

Scholium. Præter impedimenta Canonica, quæ aliquem ab ingressu Religionis arcent, scilicet, servitutem, æs alienum, obligationem ad ratiocinia, crimen, sexum, paupertatem parentum, vitium corporis, vim aut metum, vinculum matrimonii consummati, et ætatem pubertatis, et præter Regulas pro vocatione Religiosâ recognoscendâ datas, § 371; præcipuè in Candidato attendendum est an victûs, vestitûs aut aliorum temporalium causâ, aut ut honorem in Religione consequatur, ad eam aspiret; talis enim statim amandandus est : nulli enim magis suis querelis Religionem per-

turbant, quàm ejusmodi homines, qui in sæculo ægrè vitam sustentare, et e cœno vix emergere potuissent, ufi notat Trithemius, loco antea citato : et idipsum statuit Concilium Coloniense, an. 1536, p. 10, c. 4, dicens : « Qui Monasterium ingreditur alio affectu quàm simplici amore Dei ductus, veluti vel spem, vel promissionem Abbatiam consequendi habens, vel in otio vivere affectans, vel temporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens, non Dei filius, aut Monachus, sed planè mercenarius est. » 2. Idem Concilium, c. 3, jubet : « Admonendi erunt parentes, ne liberos in Monasteria invitos detrudant. » Unde Joannes ab Annunt., in *Ep. Pastor.*, t. 2, p. 1, *de Incip.*, monet : « Habeatur regulariter pro signo suspecto, si parentes instent ut filii inter Monachos suscipiantur : non enim hæc sollicitudo nascitur ex desiderio eos videndi sanctos, sed ex voluntate potiùs a se elongandi, et eis de victu et vestitu providendi. » 3. Diligenter attendendum est ad talentum et capacitatem Candidatorum : aliàs enim communibus Religionis functionibus in sacris ministeriis inepti turpi otio diffluent, quod quantùm Religioni obsit, inferiùs dicetur. Invigilandum igitur juxta citatum Trithemii consilium, ne cæci isti intrent in Templum Dei. 4. In ipso Novitio requirit S. P. Benedictus, *Reg.* c. 58 : « Ut sollicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria; » et vult, ut ei prædicentur omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum, » in observatione paupertatis, obedientiæ, abstinentiæ, solitudinis etc., in quibus observandis si sit remissus et tepidus, « id pessimum omen esse pro certo tene; » ait S. Bonaventura, in *Spec. discipl.*, « neque enim in novitio pejus potest inveniri prognosticum, quàm si eo tempore pigritiâ et remissione torpeat, quo ardere deberet præ fervore. » 5. Bona valetudo corporalis etiam in Candidatis et Novitiis consideranda est : quâ deficiente, utut præclaris dotibus aliàs polleant, dimittendi sunt, ne tum sibi, tum Religioni onerosi fiant, et jugum vires suas excedens sibi ipsis cum periculo corporis et animæ temerè imponant.

§ 657.

QUINTUM MEDIUM : BONUS MAGISTER NOVITIORUM.

Quintum medium pro bono Religionis est *perfectus*, et, in materiâ spiritûs, satis expertus *Magister Novitiorum*. De hoc jam alibi actum fuit, ubi de Magistro spirituali sermo erat, quæ potiori jure Magistro Novitiorum competunt, quem etiam

per integros tractatus instruunt Hugo Victor., *de Inst. Nov.*, S. Bonaventura, in *Spec. Discipl. de inform. Novit. de reform. ment.*, Joannes a Jesu Maria, *Instr. Mag. Nov.*, etc. Et præterea 1° id jubet Clemens VIII, in *Const. in supremâ*, c. 27, dicens : « Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, et per decennium a professione emissâ in Religione perstiterit : socius verò trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrinâ et quantùm per Superiorum diligentiam et vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis præterea et mortificationis operibus addicti, prudentiâ, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præ se ferentes, ab omni cordis et animi perturbatione, irâ præsertim et indignatione, quæ in se et erga alios charitatem impedire consueverunt, quàm longissimè alieni, et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quàm revereantur, nec illis unquam detrahere quidquam possint. » Idem 2° præscribunt Patres. S. P. Benedictus, *Reg.* c. 58, ait : « Senior ei, Novitio, talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat. » Et S. Bonaventura, *De sex Alis Seraph.*, c. 3, docet : « Sicubi informatores non habentur, quorum eruditione boni discipuli nutriuntur, aut rudes in spiritualibus erunt discipuli, aut erroribus variis sub specie boni per sensum proprium seducuntur, habentes quidem zelum justitiæ, sed non secundùm scientiam : et sic a perfectione virtutum plurimi retardantur, ut vel malum æstiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam, quàm debeant, ad perfectionem habendam. » Ex quo ratio et necessitas boni Magistri Novitiorum satis apparet.

COROLLARIA.

Schol. I. Qualitates boni et perfecti Magistri Novitiorum jam explicatæ fuerunt, § 334 et sqq., § 612 et sqq. Nonnulla tamen documenta particularia tum a Magistris Novitiorum, tum a Supe-

rioribus, qui eos eligunt, observanda hìc subnectenda sunt. 1. Expedit ut Magister Novitiorum sit bonæ et robustæ valetudinis et sanitatis, ut discipulis suis in omnibus Regularibus exercitiis et austeritatibus, etiam supererogatoriis, præire possit. 2. Magister Novitiorum sit vir magni judicii et discretionis : non enim requiritur ut sit eximius Theologus aut Concionator, sed sufficit si sit bonus Moralista, et Theologus Mysticus, ut discipulos in casibus conscientiæ et exercitio orationis rectè et prudenter dirigere possit. 3. Magister amorem jungat rigori, affabilitatem severitati, pro subjectorum et occasionum exigentiâ, ut et ametur et timeatur. Imò Joannes ab Annunt., *Ep. Past.*, p. 3, t. 2, § 1, suadet ut magis aliquo modo ad rigorem deflectat, quia hic rigor Novitiis cum primis necessarius est « tum ut habituentur ac disponantur ad ea quæ eos in futurum prosequi oportet : tum etiam, ut experientiâ constet, num verè eis virtutibus polleant, quæ ad implenda ea requiruntur, quæ propediem sunt professuri. » Hæc severitas utilissima est, et a sincerâ ac verâ erga Ordinem et ipsos Novitios charitate dictata : et S. Benedictus meritò jubet : « Prædicentur ei omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum.» 4. Magister erga omnes Novitios suos æqualiter se gerat, et licèt in uno vel altero majores dotes et virtutes advertat, in externâ tamen conversatione æqualem erga omnes affectum monstret : aliàs enim oblocutiones et inquietudines Novitiorum suorum vix evitabit. 5. Magister Novitios suos ab inordinato amore suorum parentum et consanguineorum perfectè abstrahere studeat, ne eis, molestis suis postulationibus, graves fiant, et eos scandalizent, quasi in Religione necessaria non accipiant. Hinc S. Theresia, in *Viâ perf.*, c. 9, ait : « Mirari satis non possum damnum, quod consanguineorum conversatio affert, et neminem id crediturum existimo, nisi qui id novit per experientiam. Nulla alia eorum vobis cura habenda est, quàm ut instanter, utì par est, Deum pro ipsis oretis, et cùm feceritis, deinde quod ad officium templi spectat, vestras de cætero cogitationes ab ipsis, quantùm quidem poteritis, abstrahatis. »

NON PLURES ADMITTENDI QUAM SUSTENTARI POSSUNT.

Schol. II. Ut media hucusque pro bono Religionis meliùs proficiant, cavendum est ne plures ad Religionem admittantur, quàm ab illâ congruè sustentari possunt : si enim publicæ Religionis officinæ multis careant in rebus temporalibus necessariis, inopia hæc ad turpes in rebus spiritualibus vilitates adigit; quippe qui

sua temporalia commoda curare cogitur, profectum suum spiritualem facilè negligit, utì notat S. Bonaventura, q. 19 in *Reg.*, dicens : « Sunt aliæ speciales causæ quorumdam Ordinum, utì nimia inopia, ex quâ coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi. » Et ideo Concilium Moguntinum, a. 183, c. 19, statuit : « Non plus mittatur in Monasteria Canonicorum, vel Monachorum, aut Puellarum, quàm sufferri possit. » Quod decretum innovavit Tridentinum, sess. 25, *de Reg.*, cap. 3, statuens : « In prædictis autem Monasteriis et Domibus, tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. »

§ 658.

SEXTUM MEDIUM : BONUM EXEMPLUM PRÆLATORUM ET SENIORUM.

Sextum medium pro conservandâ disciplinâ Regulari est *bonum exemplum Prælatorum et Seniorum*, utì de Prælatis ostensum fuit. De Senioribus verò probatur 1° ab exemplo generosi Eleazari, II *Mach.* VI, qui mori præelegit, quàm multos adolescentum per transgressionem legis scandalizare. 2° Patet ex S. Cypriano, l. *de Abus. Sæc.*, dicente : « Secundus abusionis gradus est, si sine Religione Senex esse inveniatur ; quò enim magis membra exterioris hominis veterascunt, eò magis vires animi, id est, interioris hominis membra, incrementa roboris capere necesse est. » Et S. Bonaventura, q. 16, in *Reg.*, ait : « Secunda causa relaxationis est defectus, sive non copia bonorum exemplorum, quia novi in Religione sæpe tales fiunt, quales alios esse vident : sicut in sigillis cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa. » 3° Rationem dat Trithemius, quia Seniores unico nonnunquam verbulo minùs religioso, et ad æquitatis trutinam non satis ponderato, sinceros juniorum animos scandalizant atque corrumpunt.

Scholium. Ut Prælati bono suo exemplo et exactâ totius regularis disciplinæ observantiâ etiam in minimis, in Choro, solitudine, silentio, victu, vestitu etc., Religionis bonum promoveant, sat multa in præcedentibus motiva adducta sunt, et adhuc afferenda sunt. Pro Senioribus hìc nonnulla particularia documenta ex citato Joanne ab Angelo, *Ep. Past.*, t. 2, p. 2, § 10, notanda sunt. 1. Licèt fortè Seniores aliqui, ob ætatis incommoda, rigores Ordinis non ampliùs omnimodè portare valeant, serviant saltem Deo, Religioni et omnibus bono consilio et rectis dictaminibus : nam hoc eorum ætatem propriè decet, quia « in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia, » *Job* xii, 12. Et teste S. Ambrosio, in I *ad Tim.* v, primis Ecclesiæ sæculis, « quælibet omnino Ecclesia Seniores habuit, sine quorum consilio nihil agebatur in Ecclesiâ. » Caveant verò Seniores ne propter insufficientiam intellectûs aut malitiam voluntatis, prava dent consilia, quibus juniores per laxa principia et dictamina ad laxitates inducant, qui illas sub specioso titulo accepti a seniore prudenti et discreto consilii liberè prosequantur. Certè tales Seniores ut plurimorum causa et origo damnorum exsecrandi sunt. 2. Seniores sint mansueti, humiles et grati. Provecta eorum ætas plurimùm humoris melancholici secum trahit, variis gravatur corporis infirmitatibus, et totidem animi deliquiis ac improvisis accidentibus. Dant præterea seniles cani certum superioritatis genus, quæ omnia sine magnâ virtute id efficiunt, ut senes facilè acescant, de omnibus conquerantur, etiam illis qui eis obsequuntur, bene faciunt, et de eorum solatiis sollicitam curam gerunt : hoc autem eos non decet, sed potiùs humillima et gratissima mansuetudo. Huic humilitati, imò et prudentiæ repugnat, quòd aliqui senes continuò ferè præteritorum temporum res et acta deprædicent, et quidquid in præsenti fit damnent et vituperent : id quod etiam notavit Innocentius III, l. 1. *de Contemptu Mundi*, c. 9, dicens : « Senex laudat antiquos, spernit modernos, vituperat sæculum præsens, commendat præteritum. » Optimum sanè fuerit ut senes ab ejusmodi odiosis comparationibus abstineant : nam cùm in his aliquâ ex parte eorum res agatur, eos in propriâ causâ tanquam testes sublestæ fidei respicere oportet. Spiritus S. jampridem ejusmodi comparationes a suis eliminatas voluit, *Eccl.* vii, dicens : « Nec dicas : Quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuêre, quàm nunc sunt? Stulta est enim hujusmodi interrogatio. » Et fortè hujus stoliditatis ratio in eo con-

sistit, quòd hanc diversitatem ut certam quis supponat, cùm tamen dubia sit : quia usque modo tempora sunt eadem, dantur boni, dantur mali, et simillimi præteritorum et præsentium annorum eventus. 3. Caveant Seniores, ne se a communibus Religionis exercitiis, sine gravi ratione, eximant, et temperantiam in cibo et potu excedant, ne et suæ sanitati noceant, et junioribus scandalo et ludibrio fiant.

§ 659.

SEPTIMUM MEDIUM : EXERCITIUM ORATIONIS.

Septimum medium pro bono statu Religionis est *orationis* tum vocalis, tum mentalis *frequens exercitium*. De utriusque necessitate et utilitate fusè tractatum fuit, t. 1, a § 32–84. Quibus pro hujus loci instituto nonnulla ex S. Bonaventurâ addere juvat, qui, in *Proc. Rel.*, l. 7, c. 11, ita loquitur : « Vita Religiosi sine studio devotionis internæ, sicut favus sine melle, sicut murus absque temperamento, et sicut cibus absque condimento.... Omnis Religio arida et imperfecta est, et ad ruinam promptior, quæ Spiritum divinæ suavitatis non quærit, et præcipuum conamen ad studium internæ pietatis non impendit. » Quare Prælati omnibus viribus adnitantur, ut Religiosis suis dulcescat oratio mentalis et vocalis, eaque cum fructu frequentetur : ita enim reformati ad intrà omnem reformationem ab extrà facilè recipient.

CHORI EXACTA OBSERVATIO.

Schol. I. Inter alia Religiosæ orationis exercitia præcipuum est Chorus, cujus incuria manifestum Religiosi tepescentis, et Religionis fatiscentis indicium est, utì notat P. Bourdaloue, in *Exerc. Spir.*, ad quem proinde in suo vigore conservandum Prælati sub gravi obligatione tenentur. Hìc solummodo nonnullos abusus circa frivolas a Choro exemptiones pro bono Religionis præcavendos annotare juvat. Et quidem Clemens VIII, *Const.* 60, *Nullus,* et Urbanus VIII, *Const.* 26, *Nullus*, statuerunt quòd omnes Regulares, quicumque sint, ob nullum privilegium sint exempti a Choro,

sive Generales, sive Provinciales, sive alii Officiales, Lectores etc., nisi dum actu occupantur in suo exercitio. 2. Notat P. Joannes ab Annunt., in *Ep. Past.*, t. 2, p. 2, alium abusum, quod valetudinarii, qui solâ aliquâ corporis indispositione laborant, tam leviter se a Choro et aliis Religiosis exercitiis eximant, in quos acriter invehitur, et Superiores monet, ut sine scrupulo paulò austeriores sint, et inter alia verba S. Theresiæ refert, quæ, *Vit.*, c. 13, ita ait de hujusmodi valetudinariis : « Imitari quoque Sanctos possumus in solitudine sectandâ, in silentio, aliisque virtutibus colendis, quæ misera et probrosa hæc corpora, quæ tam regulatè moderatèque conduci volunt, quò animam extra debiti regulam trahant, non enecabunt. Ipse quoque diabolus, si vel in aditu nos timore concuti videt, omnimodis ea inhabilia et inepta reddere adlaborat : neque enim aliud quàm hoc timoris argumentum quærit, ad nobis persuadendum fore ut omnia nos enecent, ac saluti noceant. Quia verò ita debilis et morbida sum, hinc semper quoadusque semel apud me firmiter statui, nullam corporis sanitatisque meæ rationem habere ; velut vincta et colligata eram, nihil ut generosi facere possem, utì nec modò multùm præsto : sed ex quo me Dominus hunc diaboli astum et technam intelligere voluit, quoties hic deinde aliquem mihi sanitatis amittendæ metum injiciebat, dicebam ipsa : Parùm refert me mori. Quoties quietis et commodorum amissorum quid suggerebat, oggerebam : non opus habeo quiete et commodis, sed cruce : atque ita de aliis rebus. Vidi quàm clarissimè, tametsi alioquin ego satis debilis et morbida sim, id in multis nonnisi meram dæmonis tentationem fuisse, aut meam ipsius inertiam; nam ex quo sanitati meæ non ita cavi, nec tantam ejus rationem habui, multò meliori sum valetudine quàm eram antea. »

OFFICIORUM DIVINORUM PROLIXITAS RELIGIONI NON SEMPER PRODEST.

Schol. II. D. Calmet, in præf. *Com. in Reg. S. Ben.*, n. 39, ita scribit : « Ut res sanctissimæ et optimæ institutæ non semper optatum assequuntur effectum, ita prolixitas, et multiplicatio Psalmodiæ Officii, et Cæremoniarum, non modò devotionem et orationis spiritum non fovent, sed exhauriunt, et vix non penitùs exstinguunt. Cœleste manna illud orationis, quod Sanctorum erat delicium, quodque novum, novumque identidem conferebat saporem, apud alios in bilium transiit, fastidiosum et insipidum, precum vocalium copiâ a rerum sacrarum sensu et intentione abstrahente. Et cùm exercitium adeo divinum Angelos fervore

inflammatos et solo viventes spiritu efficere debuisset, in plerisque Monachis effectum produxit omnino contrarium, fastidium nempe, et si ita loqui fas est, omnimodam ab oratione et Psalmodiâ animi alienationem. Quare etiam non pauci sapientes officiorum et orationum multiplicationem disciplinam Benedictinam imminuentibus causis annumerârunt. Nimia quippe precum publicarum prolixitas non tantùm molestiam, attentionis defectum, sacrique hujus exercitii nauseam peperit, sed et desidiæ, et ignorantiæ locum præbuit, tempus utpote hisce nimium, et vix non plus æquo impensum tædium studii, lectionis, manuumque laboris relinquit, et quod viros in oratione intimè collectos, Deoque conjunctos efformare debuisset, plerumque non protulit nisi homines, de quibus Propheta asserit : *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est a me.* Quibus incommodis ut occurreret, operique manuum opportunum magis ut destinaret tempus, S. Bernardus Abbas, et fundator Monasterii Tironensis, consulto Deo, cognitâque SS. Ejus voluntate, Psalmos voluntariè additos, quosque suâ ætate pleraque solebant decantare Monasteria, resecuit, et officium Benedictinum ad propriam, pristinamque mensuram revocavit, quam sequebantur et nuper reformatæ Congregationes. »

§ 660.

OCTAVUM MEDIUM : AMOR SOLITUDINIS.

Octavum medium conservandæ Religionis est *amor solitudinis.* Hanc 1° veluti ad perfectionem valde conducentem commendat Jeremias Propheta, *Thren.* III, dicens : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se.* Et, *Osee.* II, dicit Dominus Deus : *Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Solitudinis etiam amorem divino suo nos exemplo Christus ipse docuit, dum in deserto jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, *Matth.* IV, dum in monte solus orabat, *Luc.* VI, dum discipulos in desertum locum duxit, ut requiescerent pusillùm, *Marc.* VI : quod exemplum omnes Cœnobitæ et Anachoretæ secuti sunt. 2° S. Gregorius, l. 30 *Mor.*, ait : « Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitu-

dine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in orbe. » Cassiodorus, *de Inst. Mon.*, l. 8, inquit : « Solitudo sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, et intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare, ita eorum, qui minùs emendati sunt, vitia non solùm servare, sed etiam exagerare consuevit. Celebris est etiam S. Antonii M. sententia : « Monachus extra cellam aut solitudinem est sicut piscis extra aquam. » Et S. P. Benedictus, *Reg.* LXVI, jubet : « Monasterium, si fieri potest, ita construi debet, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foràs, quia omnino non expedit animabus eorum. » Docet S. Thomas de Villanovâ, *Conc.* II, *Dom. prim. Quadr.*, dicit : « Religiosum et honestum Monachum, sub charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendam, ad solatium infirmis exhibendum et alia pietatis opera exercenda extra Cœnobium ducit Satan, ut si per plateas vagantem libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, et a devotionis fervore distrahendo tepefaciat et infrigidet. » Ubi monitum S. Basilii, *Serm.* II, *Exerc.*, subintrat : « Si itaque contigerit, te juxta circumstantiam negotiorum aliquando e cellâ proficisci, armatus pectore timore Dei, et insertâ in manu charitate Christi, devictisque, per omnem continentiam, voluptatum incursibus, statim necessitate expletâ resili. » Ergo Superiores et rarò et nonnisi probos e claustro mittant, comessationes, compotationes, et inutiles conversationes prohibeant, quæ ad evagationes extra claustrum invitant, et optimè moratos corrumpunt.

CONCILIA RELIGIOSIS EVAGATIONES PROHIBENT.

Schol. I. Ad solitudinem et Clausuram et bonum Religionis conservandum, varia jam olim Decreta, Concilia et Pontifices ediderunt, aliaque Doctores monuerunt. Et *primò* evagationes extra Monasteria tam Prælatis quàm Monachis prohibuerunt. Ita Conci-

lium Aquisgranense, a. 802, c. 17, statuit : « Sæcularem negligentiam nullatenus sibi Monachi usurpent foris Monasterio progrediendi licentiam, nisi maximâ cogente necessitate : quod tamen Episcopus, in cujus diœcesi erunt, omnino procuret, ne foris Monasterio vagandi usum habeant etc. » Concilium Moguntinum, a. 813, c. 12, statuit : « Monachi in eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foràs vadat, nisi per necessitatem ab Abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent, neque bibant sine permissione Abbatis, nec ad convivia sæcularia vadant. » Concilium Aquisgranense, a. 817, c. 26, jubet : « Ut Abbates villas frequenter, et nisi necessitas cogerit, non circumeant, neque suis illas Monachis custodiendas committant, et si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio, ad sua mox Monasteria redeant. » Concilium Coloniense, a. 1260, c. 9, præcipit : « Ne Monachis detur frequens licentia exeundi. » Et, c. 160, « ut hæc licentia exeundi non detur ante Primam, et similiter post Completorium, nisi ex causâ valde rationabili et necessariâ, utpote si contingat ipsum extra Monasterium suum in aliquo loco Divinum Officium celebrare, vel in obitu parentum, fratrum aut sororum. » Et Concilium Moguntinum, a. 1316, c. 5, ordinat, ut si quis Monachus cum licentiâ « Monasterium egrediatur, id sine sui Ordinis socio, præcipuè in civitate nostrâ Moguntinâ, non præsumat. »

MONACHIS COMMORATIO IN PRIORATIBUS, VILLIS, AUT ALIBI PROHIBETUR.

Schol. II. *Secundò* prohibent ne Monachi, in villis, Prioratibus aut alibi, saltem soli commorentur. Concilium, vel Capitula Aquisgranensia, a 802, c. 17, jubent : « Foris verò peculium, vel res Monasterii sui Abbas cum Episcopi sui licentiâ ordinet, qui provideat non Monachum, nisi alium fidelem. » Concilium Aquisgranense, ann. 817, c. 26, mandat : Ut Abbates villas.... neque suis Monachis custodiendas committant. » Et c. 44, « ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici, et Abbas provideat ne minùs de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex. » Gregorius IX, in Bullâ ad Monachos Benedictinos, apud Matthæum Paris, et in aliâ ad Cluniacenses, a Nicolao IV renovatâ, decernit, ut in quovis Prioratu non unus solus Monachus, sed cum uno, vel pluribus sociis commoretur, alioquin ad claustrum revocetur. Et Benedictus XII in suâ Constitutione confirmat Decretum Concilii Lateranensis de Monachis « singulis per villas, oppida et Parochiales Ecclesias non ponendis. » Utì et Bullam Clementis V, editam in Concilio Viennensi, « ne ipsi sin-

guli Monachi in singulis sibi commissis administrationibus vel prioratibus habitare præsumant, » firmiter observari jubet. Idem in pluribus Conciliis legitur. S. Bernardus, *Ep.* 215, omnes privatas Monachorum habitationes *Satanæ Synagogas* vocat, Abbatique Garino, quòd eas destruxerit, gratulatur. Abailardus, *Ep.* 8, scribit : « Obedientias loca sua nominant, ubi nulla regula tenetur, ubi nulli rei, nisi ventri et carni obeditur, in quibus profectò impudentissimis apostatis excessus illos criminales esse dubium non est, qui in cæteris veniales sunt hominibus. » Et Joannes de Turrecremată, in *Reg. S. Ben.*, tr. 13, ait : « In parvis Prioratibus Religio annihilatur : ibi enim vitio proprietatis appropinquatur, meritum obedientiæ minuitur, continentia facilè periclitatur. Qui solus est in Prioratu, vel cum unico socio, ut frequenter ferè est proprietarius, quæ habet, pro majore parte habens sibi : obedientia ejus minùs meretur, cui nullus aliquid jubet, et ideo facit quod facere libet. Continentia etiam facilè periclitatur, quia opportunitas peccandi habetur. »

FAMILIARITAS CUM SÆCULARIBUS ET MAGNATIBUS VITANDA.

Schol. III. *Tertiò*, familiaritas cum sæcularibus, et confluxus eorum ad Monasteria ; et affectata amicitia cum divitibus et Magnatibus sæculi prohibetur. Concilium Aquisgranense, ann. 817, c. 42, statuit : « Ut nullus plebeius, seu Clericus sæcularis, in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus. » Et, c. 52 : « Ut laicus causâ manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur. » Et concilium Moguntinum, a. 1261, c. 52, vetat : « Sæculares personas ad ipsa cœnobia pro comessationibus invitare.... Si quis autem transgressor exstiterit, carceralem octo dierum sustineat disciplinam. » Decreta de Monialium clausurâ per se nota sunt ex Tridentino, sess. 25, *de Reg.*, c. 5. Et Concilium Trevirense, a. 1549, c. 11, mandat : « Regulares non invitent sæculares ad convivia, nec ipsi in eorum domibus invitentur. » Nimia etiam cum divitibus ac magnatibus hujus sæculi familiaritas, quæ ipsis Religiosis non tantùm quietem adimit, sed suâ visitatione, conversatione et colloquiis ac negotiis mundanis, spiritum sæculi inspirat, eosque totos sæculares efficit, improbatur a Matthæo, Parisiensi Monacho Benedictino, qui, ad an. 1235, narrat, quòd summus Pontifex ad F. F. Ordinis Minorum et Prædicatorum, quorum nonnulli erant Magnatum Consiliatores et Nuntii, etiam Domini Papæ Secretarii, nimis in hoc gratiam sibi sæcularem comparantes, torvo vultu dixerit : « Quid est hoc, Fratres? quò

prorumpitis? nonne professi estis paupertatem spontaneam, ut discalceati et inglorii peragrantes vicos et castella, et loca remotiora, prout opus Dei exigit, verbum Dei humiliter seminetur? Præsumitis jam invitis dominis feudorum mansiones vobis usurpare? Jam videtur in magnâ suî parte Religio vestra exspirare. » Consilium Ecclesiastici Religiosis bene convenit, qui, c. 13, ait : *Advocatus a potentiore discede, ex hoc magis te advocabit. Ne improbus* (id est *importunus*) *sis*, *ne impingaris* (id est *expellaris*), *et ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius : ex multâ enim loquelâ tentabit te, et subridens interrogabit te, de absconditis tuis.*»

§ 661.

NONUM MEDIUM : HONESTA OCCUPATIO.

Nonum medium pro conservandâ Religione est *occupatio honesta*. Nam 1° juxta S. Scripturam, *Eccl.* XXXIII, *Multam malitiam docuit otiositas.* Et II *Thessal.* III, Apostolus ait : *Si quis non vult operari, non manducet.* Et *Tit.* III, inquit : *Discant autem et nostri bonis operibus prodesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.* 2° S. Augustinus, *Serm.* XVI, *ad fratres in Erem.* dicit : « Quem tædet orare, vel psallere, laborare manibus non differat, cogitans quòd quamdiu David exercitavit se in militiâ, non insultavit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. » Cassianus, l. 10 *Inst.*, c. 8, ait : « Hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem Monachum dæmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari. » S. Benedictus, *Reg.*, c. 48, jubet : « Otiositas inimica est animæ : et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divinâ. » Et S. Bernardus, vel alius, *Ep. ad fratr. de monte*, monet : « Numquam otiosus sit servus Dei, quamvis a Deo feriatus sit. » Et Thomas a Kempis, *de Disc. claust.*, c. 5, ait : « Tria sunt omni Religioso necessaria, sine quibus non diu stare potest in bonâ vitâ. Hæc sunt oratio,

lectio et operatio; in istis omni die se exercere debet, et semper in aliquo horum occupari. » 3° Ratio est quia Religiosi otiosi quærunt evagationes et consortia irreligiosa cum sæcularibus, ut solitudinis tædia vincant, et sic totam familiam quantumvis reformatam perdunt, præcipuè si aliàs deliciis sint assueti, et aliquâ auctoritate polleant. Adsit multa occupatio, et non aderit multa perditio, ac magis proderit deesse occupationibus personas, quàm personis deesse occupationes : quantò enim Religiosi magis occupati fuerint, tantò minùs otiosi et minùs vitiosi erunt.

DE OPERE MANUUM RELIGIOSORUM.

Scholium. Antiquæ Monachorum Regulæ pro honestâ Religiosorum occupatione opus et laborem manuum summopere commendant. Cassianus, l. 4 *Inst.*, c. 39, ait : « Certè neminem impugnationes solitudinis tolerare, nisi eum, qui propriis manibus victum sibimet parare non fuerit contentus. » Prima occupatio eorum qui sæculo renuntiabant erat manuum labor, sudor et vita laboriosa. Eodem teste, l. c., l. 2, c. 3, tanto fervore illa opera incumbebant, ut nequidem per totum diem illis laborâsse suffecerit, sed nequidem per noctem laborem suum intermittere vellent, occupati nimirum iis operibus, quæ luminis claritatem non exigerent, utî idem Cassianus, l. c., l. 2, c. 32, testatur. Et licèt officium Divinum et Psalmorum recitationem maximi facerent, non verebantur tamen dicere, ideo sibi a Deo per Angelum brevissimum Psalmorum numerum præscriptum fuisse in communi ad vesperam recitandum, ut eis plus temporis ad orationem et laborem privatim relinqueretur : nam statim post vespertinum duodecim Psalmorum pensum, in cellas suas se recipiebant, in quibus laborem suum et Psalmodiam iterabant. Per diem nemo e cellâ egrediebatur, nec laborem intermittebant, sed privatim horis notatis laborantes officium persolvebant : ita narrat citatus Cassianus, l. 2, c. 2. Hæc erant professionis monasticæ primorum Patrum principia, quæ in suâ S. Regulâ ad amussim sectatus est S. P. Benedictus, nihil salubrius esse reputans, quàm si orationi labor succederet, et laborem consolaretur oratio, ac solitudinem et laborem, oratio et Psalmodia sustentarent. His gradibus talem perfectionis apicem sunt adepti, quem satis mirari non possumus : et quidem ideo hodie multi Religiosi ab hac perfectione adeo distant : quia silen-

tium, solitudo et labor manuum sunt neglecta, eorumque loco nugarum studium, dissipatio et otiositas in claustra irrepserunt. « Omissio enim laboris manuum, ceu occupationis abjectæ et servilis, ait D. Calmet, *Com. in Reg. S. Ben.*, fratribus conversis potiùs quam Religiosis Clericis et Sacerdotibus convenientis, cum primis hercle disciplinæ Monasticæ remissionem invexit. Monachi inertes et otiosi fastidium concipiunt de sacro secessu et solitudine, dumque tædiis suis levamen extra cœnobium quærunt, sæcularium consortia primò ambiunt, deinde ingenium et mores illorum induunt, fastum, lautitias, cæteraque ex his oriunda vitia amplectentes. Corpus interim bene pastum et otiosum, mens vacua et distracta, occasiones periculosæ, timor Dei diuturnâ tepiditate nimiùm quantùm debilitatus, aut pene exstinctus, frequentior ejusdem pii numinis ad iram provocatio, disciplinæ monasticæ remissioni, regularum omissioni, imò lapsibus ad horrorem scandalosis non solent aperire, sed eliminare januam. » Hinc S. Augustinus, l. *de Oper. Monach.*, ait : « Nullo enim modo docet, ut in eâ vitâ, ubi senatores fiunt laboriosi, ibi opifices sint otiosi. » S. Franciscus Seraph., in *Testam.*, inquit : « Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii fratres mei firmiter volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem, et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum et ad repellendam otiositatem. » Concilium Aquisgranense, ann. 817, c. 4, statuit : « Ut Monachi in coquinâ, pistrino et in cæteris officinis propriis operentur manibus, et vestimenta sua opportuno tempore lavent. » Concilium Coloniense, a. 1356, p. 10, c. 16, jubet : « Regulares orationi, Scripturarum lectioni et Divino cultui vacent, et aliquid operentur propriis manibus. » Brusfeldenses, d. 3, c. 9, ordinant : « Curandum est Abbati, ut singuli fratres speciali aliquo assuescant exercitio manuali, ne communi deficiente labore otium amare incipiant, si non habuerint in promptu, quo se utiliter occupare sciant. » Talia opera a *Cæremoniali Benedictino* assignantur : « Typis excudere libros, corrigere, vel rubricare scriptos, hortum colere, plantare, zizania evellere, hostias pinsere, flagella e funiculis conficere, succum et liquores in usum medicinæ ex herbis distillare, et extractus facere, purgare Ecclesiam et Claustrum, tornare rosaria, aut alia utilia conficere, excudere, vel colorare imagines, thecas pro Agnis Dei, compingere libros, etc. » Labor verò manuum suppleri potest per studia, verbi divini prædicationem, librorum compositionem, vel aliud quodvis exercitium laudabile, Religioni salubre, proximo utile.

§ 662.

OCCUPATIO PRÆCIPUA RELIGIOSORUM EST STUDIUM S. SCRIPTURÆ.

Inter præcipuas Religiosorum occupationes *studium sacrarum Scripturarum* locum obtinere debet. Ita 1° Christus D. ipse hortatur, *Joan.* v, dicens : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et *Rom.* v, Apostolus ait : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Et, II *Tim.* III, dicit : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum instructus.* Unde meritò Tridentinum, sess. 5, *de Ref.*, c. 1, statuit : « In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio S. Scripturæ habeatur, quâ in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, S. Scripturæ lectio habeatur, quæ lectio a Capitulis generalibus vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris. » 2° Accedunt PP. S. Ephrem, *Paræn.* I, ait : « Exercitatio Monachi sit meditatio Scripturarum... Iners autem est Monachus, qui in his versatus non fuerit. » S. Hieronymus, *Ep. ad Flor.*, inquit : « Ama scientias Scripturarum, et carnis vitia non amabis. » Et, *Ep. ad Rust.*, ait : « Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis, multo tempore disce, quæ postmodum doceas.... Post S. Scripturas, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est, quorum eruditio timorem creat, peritia confidentiam.... quorum pietas non vacillat.... Quæ enim potest esse vita sine scientiâ Scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur? qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm Dei scire prudentiam? » S. Isidorus, *de Libr. gent.*, inquit :

« Quid prodest in mundanis proficere doctrinis, et marcescere in divinis? caduca sequi figmenta, et cœlestia fastidire mysteria? Cavendi igitur sunt tales libri, et propter amorem SS. Scripturarum vitandi, qui exteriùs eloquentiâ verborum nitent, et interiùs vacui virtutis sapientiâ manent. » Ratio est 3° ex Guillielmo Peraldo, *de Prof. Mon.*, quia ex neglecto studio S. Scripturæ in Monasteriis sequitur cæcitas ignorantiæ in rebus ad perfectionem statûs Religiosi necessariis.

QUOMODO UTILITER S. SCRIPTURÆ STUDENDUM SIT.

Scholium. Ut studium Sacrarum Litterarum pro bono totius Religionis Religiosis proficiat, sequentia notantur a Patribus et Mysticis. 1. S. Augustinus, *Ep.* 56, *ad Diosc.*, monet : « Non aliam ad capessendam et obtinendam veritatem et sacram sapientiam viam munias, quàm quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas : et quoties interrogares, hoc idem dicerem. » Hugo Victor, L. 3, *de Anim.*, notat : « Ad Sacræ Scripturæ cognitionem opus est intimâ compunctione potiùs quàm profundâ investigatione, suspiriis quàm argumentis, crebris gemitibus quàm copiosis argumentationibus, lacrymis quàm sententiis, oratione quàm lectione, gratiâ lacrymarum, quàm scientiâ litterarum, cœlestium potiùs contemplatione quàm terrestrium occupatione. » 2. Joannes a S. Samsone, *de Stud. scient.*, observat : « Studium quod non ordinatur ad solam Dei gloriam, breve est ad inferos iter, non præcisè propter studium, sed propter superbiæ, quem parit, statum. » 3. Idem ait : « Satis mirari non possum quosdam Sacerdotes tam regulares quàm sæculares, qui sibi studium omne licitum putant, quantumcumque leve et profanum, dicentes debere se omnia videre et scire, ut sæcularium difficultates super horum malitiâ aut rectitudine dissolvant. Iste sensus valde rudis est, et inconditus, et pura naturæ quæsitio, quæ spiritualem olfactum corruptiori exponit cœlo, quòd possit dici : dejicere est statum suum in corruptione, et non, ut par est, supra Angelos extollere; justi et sancti cognoscere nolunt, nisi ut ament. » 4. Idem denique monet : « Qui vult sanctam studiis operam dare, nunquam debet ullo in casu appetitûs sui et propensionis in Deum sensum amittere; non quòd semper oporteat hoc sensu affici, sed identidem hanc attentionem ad Deum revocare, et non ex omni appetitu affectuque naturali in studiis effundi. »

§ 663.

STUDIA RELIGIOSO NON CONVENIENTIA RELIGIONI NOCENT.

Sicuti autem studia sacra et Religiosa bonum Religionis mirificè promovent, ita e converso *Curiositas*, seu inordinatus sciendi appetitus, et *studium*, quod *circa inutilia* et Religioso non convenientia occupatur, vel ad superbiam, neglectum spiritualium, aut alia vitia degenerat : ceu magnus abusus Religioni multùm obest, eamque destruit. Unde 1° monet Sapiens, *Eccl.* III : *In supervacuis rebus noli scrutari sensum tuum multipliciter : non est tibi necessarium ea quæ sunt abscondita videre oculis his : de eâ re, quæ te non molestat, non certaveris, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus.* Et Apostolus ipse, I *Cor.* II, 2, ait : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Et, I *Tim.* I, 4, Timotheum hortatur, ut fideles, et quantò magis Religiosi « neque intenderent fabulis et Genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. » 2° S. Augustinus, *Ep. ad Dioscor.*, scribit : «Humilitati saluberrimæ, quâ Dominus noster Jesus Christus, ut docet, humiliatus est, maximè adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et cæteri hujusmodi, ut docti eruditique videamur, cùm a doctrinâ et verâ eruditione id longè absit.» S. Hieronymus, in *Ep. de duob. filiis*, ait : « Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, sæcularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis; nulla justitia reperitur; studiosi earum in fame veri et in virtutum penuriâ perseverant. 3° Ratio petitur ex gravibus damnis et incommodis quæ inutilia, profana nimis, periculosa et Religioso indigna studia in claustra inveniunt : de quibus mox agetur.

QUOMODO APPETITUS SCIENDI INORDINATUS FIAT.

Schol. I. Appetitus sciendi potest esse inordinatus, juxta S. Thomam, 2, 2, q. 166, a. 1 : 1. Si quis per studium minùs utile retrahatur a studio necessario; unde S. Hieronymus conqueritur : « Sacerdotes, dimissis Evangeliis et Prophetiis, videmus comœdias legere, et amatoria Bucoliorum versuum verba cantare. » 2. Quando quis ab eo, a quo non licet, aliquid discere studet, v. g. a dæmone, vel hæretico etc. 3. Quando quis appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet cognitionem Dei; sed ad propriam gloriam et utilitatem. 4. Quando quis studet ad cognoscendam veritatem, quæ ingenii humani facultatem superat, quia in hoc facilè erratur.

INCOMMODA STUDIORUM INUTILIUM IN MONASTERIIS.

Schol. II. Abusûs studiorum incommoda in Monasteriis graphicè describit D. Calmet, *Præf. com. in Reg. S. Ben.*, dicens : « Quàm multi, ad altiora studia inepti, dum iis operam impendunt, unctionem et devotionem tempore probationis haustam amittunt, quam, emenso studiorum suorum curriculo, tantò difficiliùs resumere valent, quantò periculosiùs officiis, quibus faciliùs et jucundiùs quàm sterili Philosophiæ, et Theologiæ Scholasticæ studio annus distrahitur, occupantur. Quàm multi scholares, animo leves, imbecilles, et enucleandis, quæ in scholis proponuntur, difficultatibus impares, a veritatis recto tramite recedentes, omnia problematica habent, nullamque dari quæstionem existimant quæ probabilitate æquali in utramvis partem propugnari non possit. Inde exiguus eorum sanctissimas erga veritates et religiosas erga consuetudines respectus, exigua observantia. Inde etiam exigua legitimas erga potestates submissio : inde denique spiritus ille libertatis, effrænatæ licentiæ, contemptûs Superiorum, et erga regulas et constitutiones indifferentiæ, quæ non aliter ac inventa humana spectantur, ac citra pudorem ac scrupulum ab iis infringuntur, cùm de omnibus ratiocinari præsumant, ac pro suo captu veniale tantùm, vel meram imperfectionem, quod gravissimum sæpe crimen temerè audeant definire. His accedit fastidium, quod Scholasticæ difficultates innumeris pene Scholaribus generant, quo vix non ab omni studiorum genere abducti, lectionibus infœcundis, historiolis, itinerum relationibus, belli rumoribus, variis curiositatibus atque novellis pascuntur : dumque ad conservandum internæ attentionis, compunctionis et pietatis spiritum viro Reli-

gioso et solitario adeo necessarium, seria S. Scripturæ, Patrum, Conciliorum, Scriptorumque Asceticorum studia negligunt, prædominante novitatum cupiditate, dissolutionis et nugarum amore, spiritui Religionis e diametro adverso, sacræ solitudinis et silentii periculosissimam concipiunt nauseam et horrorem. Alii, dum ingenio suo et propensioni ad studia nimiùm indulgent, suavitate litterarum ebrii, devotionis et rerum spiritualium saporem amittunt, ut exhaustus studiorum exercitiis animus vix deinceps ad cœlestia meditanda et monasticæ vitæ exercitia cum fervore et devotione obeunda redire possit. Nihil jam sapit, nisi subtile et elaboratum; omnia ad ratiocinii trutinam revocantur; de omnibus disputatur; omnia revocantur in dubium : Ascetici Scriptores, Historici sacri, libri pii, tanquam simplicioris ingenii et nimiùm creduli fœtus negliguntur, et fortasse contemnuntur. Alius abusus, qui licèt studiis bene ordinatis adscribi, meo judicio, non debeat, ex iis tamen ob studentium plerumque præsumptionem emanare solet, et in eo constitit, quòd Religiosi juvenes perspicacioris ingenii et majoris industriæ, ob vanam de feliciori objectionum solutione gratulationem, de abundanti jam peritiâ et doctrinâ sibi applaudentes, a SS. Patribus, aliisque auctoribus nonnisi facta quædam edoceri posse arbitrentur, et neglectis illorum scriptis, præter dogma Catholicum, haustam moralem scientiam sine ulteriori lectione, tam ad propriæ quàm aliorum vitæ bene instituendam efformationem sufficere existiment. Magnus sanè error, qui nonnisi in superbum animum cadere potest, quique vera et solida studia, quibus scholastica disciplina introductionis duntaxat loco est, nunquam assequetur. Eadem est quippe disciplinæ scholasticæ ratio, quæ Grammaticæ, quâ linguarum acquiritur scientia, ad rerum cognitionem tantummodo serviens. Qui ergo in studio scholastico hæret, nec ultrà progredi cupit, similis est viatori, qui in medio itineris sui neglecto subsistit termino. » Ut igitur hæc incommoda evitentur, studia Religiosa in Monasteriis, juxta præscriptam a D. Mabillonio, in *Tr. de stud. Mon.*, normam ordinentur, et a Prælatis omnis aditus periculosis libris, quibus hodie mundus obruitur, sollicitè præcludatur.

§ 664.

DECIMUM MEDIUM : ELECTIO RECTA OFFICIALIUM.

Decimum medium pro bono Religionis est *electio circumspecta* probatæ virtutis *Officialium*. Hanc circumspectionem

1° valde commendat Concilium Aquisgranense, a. 816, quod, cap. 25, fusè ostendit, qualis Celleraria ab Abbatissâ in Monasterio constituenda sit. Et S. Basilius, in *Reg. fus.*, q. 44, monet magis expedire ut Monasterium, in rebus etiam necessariis, defectum et indigentiam patiatur, quàm ut illa per Monachos procurentur, qui sine detrimento vel periculo salutis suæ ad tale officium applicari non possunt. S. Bernardus, *Serm.* XXVI, *in Cant.*, de Gerardo laudat, et tales Officiales requirit, « qui non petulanti in eo officio detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis; qui, quantùm in ipsis est, semper optent quidem sibi intendere Deo vacare : nec implicitos teneant, nisi timor Dei, voluntas fratrum, ac studium obediendi. » 2° Hoc monent omnes Constitutiones monasticæ. S. P. Benedictus, *Reg.*, c. 31, statuit : « Cellerarius eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multùm edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni Congregationi sit sicut Pater... animam suam custodiat etc. » 3° Ratio est : quia, ut Religiosi intra septa Monasterii in cellarum latebris perseverent, non est opus virtute valde heroicâ; ipsi namque parietes eos a mille periculis tutantur; ad hoc autem, ut Officiales et Procuratores temporalium foràs egrediantur, itinerentur, domos frequentent, cum sæcularibus agant, et negotia sæcularia pertractent, probatissima virtus requiritur, cùm tot impingendi et cadendi occasiones ipsis se offerant, quot passus faciunt: unde publica scandala facilè oriri, fama Religionis denigrari et ipsa demum perdi potest. Prælati igitur gravis culpa foret, si quem in tali officio poneret, qui tali virtute destitutus est : ex parte verò electi magna temeritas, si electionem acceptaret, nec periculum suum manifestaret, ac omnem, ad id evitandum, lapidem moveret.

QUID IN ELECTIONE OFFICIALIUM OBSERVANDUM.

Scholium. Ut Prælatus in electione Officialium et in curâ eorum non erret, nonnulla documenta observare debet. 1. Fervidâ ora-

tione apud Deum instet, ut divinâ suâ eum luce collustret, quatenus inter Religiosos suos rectum discrimen facere, et quid, vel ad quid quisque eorum sit, quàm optimè intelligere valeat. 2. Religiosorum suorum spiritum, orationem, virtutem, maximè propriæ mortificationis exercitia, scientiam, S. Regulæ custodiam apprimè perspecta habeat, ut officia Religionis pro eorum capacitate sine damno æternæ salutis eorum eis imponere valeat. Sanè electio Religiosorum ad Monasterii Officia omnem Prælati circumspectionem sibi deposcit, licèt hodie non rarò contrarium contingat : vix enim Religiosus aliquis Sacerdotio initiatus est, mox, si nonnullis donis naturalibus polleat, ad Officia promovetur, nec attenditur quòd exiguum profectum, quem fortè in spiritu et virtutibus fecit, perditurus, et vix emortuas suas passiones resuscitaturus sit, ita ut posteriora ejus fiant pejora prioribus. Prælatus subinde optimè novit aliquem disciplinâ adhuc egere; quia tamen, in aliquo Officio, Monasterio profuturus creditur, ab eâ eximitur, salus ejus periculo exponitur, et victima pro peccato immolatur, et ejusdem damnationis se etiam Prælatus participem et reum constituit : neque Prælatos exempla luctuosa terrent, apud quos bonum temporale spirituali præponderat, qui perpendere deberent quòd, licèt ejusmodi incautè expositi fortè in aperta scelera cum scandalo publico non proruant, sæpe tamen occultis criminibus conscientiam commaculent : de quibus item a Prælatis Deo ratio reddenda erit. 3. Concilium Coloniense, a. 1260, c. 25, statuit : « quòd Monachi Officiarii, ad minùs semel in anno, in præsentiâ Abbatis et Seniorum computationem vel legitimam rationem faciant, et si quid ultra suorum Officiorum administrationem superfuerit, de hoc nihil per ipsos Monachos, sed per Abbatem et Superiores suî Conventûs, ad sui Monasterii utilitatem ordinetur. » 4. Plurimæ Congregationes Regulares ad spiritualem eorum profectum, qui inter temporales occupationes decrescere solet, attendentes, expressâ lege statuerunt, ut expletis in Officio tribus annis, ulteriùs dictam occupationem non prosequantur, sed sese recolligant, et ad quietem componant, nisi ex maximè rationabilibus causis a Superioribus dispensatum fuerit. Nam Hugo Victor, *de Claus. an.*, c. 4, inter alias tentationum causas, secundam ponit, *tractare nummos* : et subdit : « Timeat ergo unusquisque nostrûm, ne per pecuniam decipiatur, cùm unus ex duodecim, illum, qui diligendus est super aurum et topazion, tam parvo mutaverit pretio. Audiant igitur hæc, ut sibi caveant, illi qui loculos portant, qui pecuniam servant, qui nundinas et fora pro necessitate fratrum frequentant, qui sæcularium domos et curias perlustrant. Devitent

ergo personas infames, hospitia suspecta, munuscula dare et accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in ipsâ laqueus lateat, in quo cum alio pereant. » Id est cum Judâ, quocum, saltem quantùm ad Officium, utcumque conveniunt. 5. Superflua privilegia et exemptiones quoad chorum, victum, vestitum, habitaculum, suppellectilem, evagationes, titulos et præeminentias officiis quibuscumque non facilè, et sine gravi ratione boni publici, non concedantur, quæ privilegiatis nimis periculosa, aliis scandalosa, et Ordinis prorsus eversiva sunt. Unde S. Gregorius, relatus a S. Bonaventurâ, l. 1 *Pharetr.*, c. 32, inquit : « Si peculiaritas in Monachis habetur, nec concordia, nec charitas in Congregatione eâdem poterit permanere. » Et ex *Hist. S. Francisci*, p. 1, t. 1, c. 53, constat diabolum quemdam hujus S. Ordinis destructionem auguratum esse, eò quòd plures futuri essent, qui hujusmodi immunitates a Regularibus institutis in posterum sectarentur. Ablegentur ergo pro possibili e Religionibus nocivæ hujusmodi exemptiones, deponantur vani tituli, imò, utì D. Calmet, *Comment. in c.* 63 *Reg. S. Ben.*, in illud : *Nulli liceat alium puro nomine appellare*, vult, nullus alium appellet nomine vel Officii, aut Dignitatis, ut Sacrista, Cantor, Decane, quod sæculum.... sapit. » Et ut juvenum animi ad studia virtutis et doctrinæ excitentur, proponantur non hæc ambitiosa et deliciosa titulorum et privilegiorum motiva, mentibus perenniter exitiosa : sed potiùs timore novissimorum cogantur, et amore cœlestium ac charitate Dei et proximi, ad perfectionis et Sacrarum Litterarum studia alliciantur.

§ 665.

UNDECIMUM MEDIUM : FUGA AMBITIONIS.

Undecimum medium ad præcavendam Religionis ruinam est *fuga ambitionis*. De hac materiâ plura jam dicta sunt quibus sequentia accedunt. 1° Testimonium S. Ephrem, *Tit. ad Correct.*, ambitiosos Religiosos ita alloquentis : « Sæpe, qui ante renuntiationem domi suæ opifex fuerat, ignorabatque priùs quæ ipsius esset dextera, quæve sinistra, in Monasterio litterarum studiosus et interpres, doctorque incedit : Frater ille altioribus intentus est, et ego sublimiora spectare debeo? Frater ille honoribus ornatus est, quare non ego? Illi auctoritas commissa est, nonne et ego dignus sum,

cui hoc atque illud credatur et committatur?... Os illud terribile, et incomprehensibile ac formidandum locutum est : Qui vult, inquiens, inter vos major fieri, sit omnium novissimus. At nos, cùm nondum vel a limine Religionem salutaverimus, insolescimus, et unus contra alium extollimur : cuncti volumus esse duces, cuncti cum auctoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehendere, cuncti præcipere, cuncti Domini, cuncti curatores, cuncti œconomi, cuncti primi. » S. Theresia, *de Viâ perf.*, c. 7, ait : « Si fortasse quempiam verbulum aliquod durius proferre contingat, quàm primùm componatur, seque orationi quàm maximè applicet. Idem quoque in aliis id genus verbis, quæ diutiùs durare possunt, fieri suadeo, utì sunt parvæ quædam contentiones, partialitates, quoddam emergendi et præ aliis eminendi desiderium, aut demum aliquod honoris punctum. Porro sanguis videtur congelascere, dum hæc scribo, cogitans hoc ipsum fortasse aliquo tempore fieri posse : video namque id maximum, ac præcipuum malum, ac pestem Monasteriorum esse. Si quando autem ita futurum est, actum esse de vobis reputate, ac cogitate, et credite, vos sponsum vestrum domo suâ velut expulisse, et eum quodammodo compellere, aliud sibi ut domicilium quærat, cùm propriâ eum domo ejiciatis. » 2° Ratio est quia ambitio iras, rixas, contentiones, invidias, odia etc., inter fratres suscitat; et si tales ambitiosi Superiores, vel Officiales facti fuerint, divinâ maledictione eos persequente, et spiritualia et temporalia citiùs intra annum pessumdant, quàm eorum Patres vix multis annis maximo labore collegerunt : utì enim Rusbrochius, in *Tabor. fœd.*, c. 123, notat : « Haud secùs, quàm si in mundo agant, bonaque Cœnobiorum et honor ab Antecessoribus ad ipsos, quasi jure ac successione hereditariâ, devoluta sint, supra alios se efferunt, moxque sanctitatis suæ obliti, bona temporalia administrant, suumque exercent dominatum. »

Scholium. Ut ambitio e Monasteriis eliminetur, et Superioritates ac Officia magis fugiantur quàm affectentur, juvat. 1. Si Prælatus communia Religionis onera cum fratribus suis fideliter portet, in nullo exemptionem præ aliis quærat, superflua solatia sibi non indulgeat, vitam communem in omnibus sequatur, humilitatis exercitia ad exemplum aliorum obeat : hoc enim modo tot crucibus aculeatum Superioris Officium non tantâ aviditate ambietur. 2. Si aliis Officiis superfluæ exemptiones, solatia et privilegia non indulgeantur, si Officiales, v. g., ad triennium solùm eligantur : si ratio strictissima administrati officii ad minùs semel in anno exigatur, et negligentiæ pœna debita infligatur. 3. Si non detur locus sermonibus; in quibus materia promotionis etiam a longè attingatur et illi reprehendantur ac castigentur qui perverso hoc et summè nocivo ambitionis vitio tentantur : si verò remedia blanda non suffecerint, sepeliantur ejusmodi ambitiosorum dotes, etsi fortè non postremæ, eorumque, quantùm ad obtinenda officia, et Prælaturas, nequidem memoria sit : ægritudines enim suis contrariis curare necesse est. Patet autem ambitioni nil magis adversari ac neglectum et contemptum. Fieri sic poterit, ut similes damno suo intelligant, vel ad minùs experiantur, Religionem in nullâ omnino re ipsorum operâ indigere. Ita præter alios suadet Joannes ab Annunt., in *Ep. Past.*, p. 6, pond. 7, et alibi.

§ 666.

DUODECIMUM MEDIUM : FRATERNA CHARITAS, ET FUGA DISCORDIÆ.

Duodecimum medium pro bono Religionis est *fraterna charitas*, et omnis *discordiæ* inter fratres *exstirpatio*. De fraternâ charitate plura alibi dicta sunt; de discordiâ nonnulla hìc dicenda veniunt. Et quidem, quantum damnum hæc Religioni inferat, patet 1° ex illo, *Matth.* XII, Christi D. effato: *Omne regnum divisum contra se non stabit.* Et, *Gal.* VI, monet Apostolus : Si *invicem mordetis, et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* 2° S. Hieronymus, in *Reg. monach.*,

c. 1, ait : « Charitas Religiosos, charitas Monachos facit; sine hac, Monasteria sunt tartara, habitatores sunt dæmones : cum hac verò, sunt paradisus in terris, et in eis degentes sunt Angeli. Ideoque licèt vos longa macerent jejunia, abjecta et nigra vestis deformet, longa officiorum et operum texatur series, si intus desit charitas, ad infimum nondum Religionis gradum perventum est. » 3° Ratio est : quia discordia adversatur charitati, quæ est vinculum perfectionis, sine cujus unione cujuspiam Religiosæ Communitatis membra corpus mysticum sub uno capite Christo constituere non possunt.

MEDIA AD VITANDAM DISCORDIAM AFFERUNTUR.

Scholium. Itaque Superiores invigilent, ut scintillas exorientis iræ et discordiæ mox exstinguant, dissentientes e vestigio ad concordiam reducant, charitatis exercitia inter suos semper promoveant, et illud dilecti Jesu discipuli sæpe ingeminent : « Filioli, diligite alterutrum. » Quod faciliùs fiet, si Religiosi illud S. Joannis a Cruce monitum studiosè observent, qui, cautel. 3, ita ait : « Hæc igitur sit cautela, ut nimirum caveas omni studio cogitare, et multò magis loqui de his quæ in Communitate fiunt, vel Religiosum aliquem nominatim concernunt : non de illius indole, non de conversatione, non de illius rebus, etiam gravioribus, nec sub prætextu zeli aut emendationis, aliquid dicas alteri, quàm ei cui suo tempore id dicere expedit. Nunquam etiam scandalum patiaris, aut mireris, quidquid demum videas, audiasve : sed animam tuam in oblivione omnium istorum immunem serva. Licèt enim vivas inter Angelos, dum alios curiosè attendis, multa tibi videbuntur non bona, eò quòd illorum substantiam non percipias... « Tu verò, prout dictum est, nisi prospexeris tibi, non secùs ac si non esses in Monasterio, quantumvis allabores, Religiosus esse non poteris. » Item in *Vit. PP.*, l. 3, a Ruffino scriptis pro discordiâ vitandâ : « Quidam senex dixit : Si quis aut de Scripturis, aut de quàcumque causâ locutus fuerit, ne contendas cum eo, sed, si quidem bene dicit, consenti ei; si verò malè, dic ei : Tu scias, quomodo loquaris. Hoc observans et humilitatem possidebis, et odium evitabis; nam si persistas contendens, et vis defendere sermonem tuum, nascetur scandalum. De quâcumque ergo causâ si non observaveris contentiones, nullo modo requiem possidebis.» Ante omnia tollatur causa discordiæ et cententionis, scilicet su-

perbia et inanis gloria : « Meliùs enim est, ait Abbas Posthumius, in *Vit. PP.*, auct. S. Hieron., Monacho fraudem et injurias sustinere, quàm ut audiatur vox militis Christi in clamore. »

§ 667.

DECIMUM TERTIUM MEDIUM : CAPITULA.

Decimum tertium medium pro bono statu Religionis conservando est *celebratio Capitulorum*, in quibus Prælati cum Religiosis a Communitatibus deputatis conveniunt, et cum summâ auctoritate statuuntur, corriguntur, emendantur, et disponuntur, quæcumque ad vitæ monasticæ commodum, et disciplinæ Regularis conservationem pertinent, reformantur etiam abusus, et culpæ in Regulam commissæ regularibus pœnis coercentur : datâ insuper acceptâque administrationis monasticæ ratione, solutis etiam circa Regulæ observantiam dubiis, Superiores, vel de novo instituuntur, vel confirmantur. Hæc Capitula suâ antiquitate ipsâ Monastici Ordinis tempora adæquant. S. Pachomius, qui plurimis Monasteriis præerat, singulis annis in Monasterio Blamensi, convocatis Abbatibus et Superioribus, graviora Ordinis negotia providè expendebat et disponebat, pacem et concordiam nonnihil quandoque vacillantem confirmabat, Superiores et Officiales pro conservandâ disciplinâ Monasteriis præficiebat, utì patet ex ejus Regulâ, c. 27, et *Ep. univ. Monast. præf. in Reg.*, c. 17. Petrus Venerabilis, l. 4, ep. 17, hæc Capitula *magnos conventus* nominat. Concilium Lateranense, an 1215, statuit ut singulis quadrienniis hæc Capitula celebrentur. Benedictus XII, in Bullâ Benedictinâ, an. 1336, Capitulorum Generalium, Provincialium et particularium celebrationem præcipit. Concilium Constantiense pro reformatione Ordinum Religiosorum, an. 1416, Capitula generalia celebranda sancivit.

CAPITULA QUOTUPLICIA.

Schol. I. Capitula generalia sunt, ad quæ omnium Provinciarum Præfecti conveniunt, utì apud Mendicantes, vel in iis Ordinibus,

qui in certas Congregationes sunt redacti, in quibus Prælati talis congregationis congregantur. Provincialia apud Mendicantes sunt, in quibus Præfecti Monasteriorum alicujus Provinciæ conveniunt. Particularia sunt, quæ singulis hebdomadibus pro bono disciplinæ in bene ordinatis Monasteriis habentur. Quâ verò formâ et ritu Capitula celebranda sint, constitutiones singulorum Ordinum docebunt, dummodo semper bonum Religionis pro fine habeant.

INCOMMODA CAPITULORUM GENERALIUM.

Schol. II. D. Calmet, præf. *Comment. in Reg. S. Ben.*, de Capitulis generalibus ita loquitur : « Si Capitula generalia suam habent utilitatem, habent et sua incommoda, præsertim si sæpiùs celebrantur, et Capitularium est frequentia major : quare etiam Congregatio Cassinensis, postquam ultra duorum vel trium sæculorum spatium, singulis annis Capitula celebrâsset, ea tandem singulis trienniis habenda definiit. Ipsam imitari jam sæpiùs tentavit Congregatio S. Vitoni, eòque tandem pervenit, ut annuente summo Pontifice, et consentientibus sæculi Principibus, summisque Magistratibus, res propediem sit executioni danda. Vix enimverò exprimi potest, quæ dissipationi, perturbationi, disciplinæ regularis imminutioni, quàm multis superfluis sumptibus, tam in Monasteriis, in quibus celebrantur, quàm in illis, a quibus Superior et Monachus a Conventu delegatus diu abesse coguntur, frequentes hujusmodi Conventus occasionem præbeant. Multorum sæpiùs dierum iter agere debent, et plerumque sine fructu, nec operæ pretium referentes : certum namque est, decem vel duodecim selectos spiritûs efficacis, et cordatæ mentis viros tantùm effecturos, quantùm faciunt centum Monachi in Capitulo generali congregati : adeo ut hi Conventus ad constabiliendam Ordinis disciplinam instituti persæpe ejusdem remissionem pariant. Fiunt quippe plures in iis mutationes minimè necessariæ, et interdum causâ non satis cognitâ, nec iis, quorum interest, auditis. Unde ferè semper accidit, quòd, si uni fratri fiat satis, plures alii necessariò offendantur: cùm etiam inviti, quò nolunt ire, mittantur, aut eò se conferre jubeantur, quò nec eorum saluti, nec Religionis honori consultum est. »

§ 668.

DECIMUM QUARTUM MEDIUM : VISITATIO.

Decimum quartum medium pro conservatione Religionis est frequens *Monasteriorum visitatio*, quâ a Superioribus legitimis fit inquisitio de Statu Communitatis, tam in ratione bonorum Spiritualium, quoad observantiam Canonum Ecclesiæ, vel Regulæ, et Statutorum cujusque Religionis, quàm in ratione bonorum temporalium, ut semper in salvo et integro permaneant. Visitationem hanc commendant et præcipiunt, c. *In singulis, de Stat. Monach.*, Concilium Lateranense et Tridentinum. Et sanè visitationes bene institutæ multa pro bono Religionis commoda præstant : quippe juxta Trithemium, *de Visit.*, c. 1 : « Visitatio si debitè fiat, est Ordinis reformatio, disciplinæ conservatio, pacis et concordiæ restauratio, et totius honestatis ac pulchritudinis consummatio. Ipsa enim collapsa erigit, dispersa congregat, dissoluta reformat, confracta redintegrat, vaga reducit, divulsa componit, quæ sancta et justa sunt, custodit. Ipsa inter caput et membra, Abbatem et fratres, unitatem et pacem reformat, et inferiora Superioribus reconciliat.

REGULA PRO VISITATIONE BENE INSTITUENDA.

Scholium. Sicuti visitatio rite instituta eximia bona profert, ita imprudenter, vel perfunctoriè, vel perversè facta multa mala generat : triumphant mali, afflicti boni obstupescunt. Diffidentia, aversio animorum, suspicio, discordia, detractio, susurratio, scandala multâ malorum messe in ignem æternum exardescunt. Ut igitur visitatio tum solemnis, tum privata, quam quilibet Prælatus localis in suo Monasterio privatim sæpiùs laudabiliter instituere potest, optatum finem assequatur, V. Abbas Trithemius, l. *de Visit.*, sequentes regulas generales præscribit. 1. In Visitatores eligantur viri maturi, in multis experti, non Religione Novitii, zelum Dei et animarum secundùm scientiam habentes, docti in

S. Scripturis, periti legum Ecclesiæ ac Instituti Regularis. 2. Priùs visitent et reforment seipsos, et sibi subjectos, ne illis dicatur: Medice, cura teipsum. 3. Non sint comitatu suo onerosi Monasteriis, victu communi contenti, et paucis diebus, licèt cum summâ diligentiâ, visitationem absolvant. 4. In scrutinio sint discreti et prudentes, ut zelum deponentium, vitam, meritum, intentionem, motiva et causas bene expendant, ne temerè credant non credenda, imprudenter credenda dissimulent, injustè sine legitimis probationibus aliquem condemnent, aut secreta revelando, diffament. Præcipuè autem Visitatores cauti et discreti sint in examinandis excessibus Prælatorum, qui cùm aliorum debeant peccata corrigere, frequenter odium multorum incurrunt et insidias patiuntur. 5. Puncta, secundùm quæ Visitatores inquisitionem seu scrutinium facere debent, sumenda sunt ex Regulâ, Statutis Religionis, Ordinationibus præcedentium Visitationum, et primò generaliter a singulis quærendum, an hæc observentur, aut contrarium fiat; deinde in specie alia a Senioribus, alia a junioribus proportionatè inquirenda sunt. Unde hujusmodi punctorum formulas Visitatores ad manus habere debent. 6. Benedictus XII, in suâ Bullâ Benedictinâ, sub censurâ prohibet ne Visitatores munera quoquo modo per se vel per suos familiares accipiant, utpote quæ excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. 7. Principalis Visitationis fructus erit, si per Visitatores de dignis Superioribus Monasteria provideantur; utì enim observat Auctor *Th. Spir.*, p. 1, c. 1, sect. 2, sub sect. 5, § 1 : « Profectò quidquid Deus, Ecclesia, Religio, Visitator, rectè voluerit, constitueritve, præsidentibus Communitati Superioribus probis fiet : sicut sub Pastore indocto, negligente, vel improbo, leges divinæ humanæque pessum eunt, et frustra Æthiops lavatur, nec deponet nigredinem suam : ita Superior vitiosus nullis statutis, monitis, vel nimis mutabit consuetudinem suam. Dejiciendus ergo, et in locum ejus dignus Christi ovilis custos cum consilio proborum, Seniorum et aliorum substituendus. »

§ 669.

BONI ET MALI REGIMINIS RELIGIOSI VARIÆ CLASSES.

Ex omnibus hucusque dictis colligi poterit, quandonam malum aut bonum regimen in Religione emergat. Pertractat

hanc materiam, et *varias classes mali* et boni Regiminis Religiosi recenset P. Godinez, in *Prax. Th. Myst.*, l. 11, c. 8, 9 et 10, cujus verba, cum nonnullis notis et remissionibus ad probationes in antecedentibus hujus capitis allatas, dabimus; tum ut differentia inter malos et bonos Prælatos clariùs appareat, tum ut Prælati non boni, videntes suos defectus graphicè depictos, ad semetipsos cognoscendos induci fortè valeant. Tum ut illi, ad quos electio Prælatorum pertinet, paradigmata ob oculos habeant juxta quæ cum maturâ discretione procedant, bonosque, non bonis prætermissis, præferant. Tum ut hæc serviant, ut indigni, qui magis huic absurdo sunt obnoxii, per fenestram ambitûs in sacram Regiminis aulam intrare erubescant.

OBJECTIO SOLVITUR.

Scholium. Posset hic aliquis objicere, expedire de his silere potiùs, quàm loqui; quid enimverò subditi dicturi sunt de Prælatis suis? Quid sæculares de Prælatis Religiosis? Verùm subditis jam medicina præscripta est in sanctâ obedientiâ collocanda. Sæculares verò abusus multò graviores ab ipsis in suis rebus corrigendos et evitandos cogitent. Sanè Salvator mundi, *Apoc.* 2 et 3, nullum inconveniens putavit septem Prælatis majoribus totidem litteras scribere ipsasque in toto Orbe Catholico publicare, in quibus defectus simul cum bonis illorum qualitatibus ad commune exemplum annotantur.

§ 670.

RELIGIO PLERUMQUE GUBERNATUR AD NORMAM INCLINATIONIS PRÆLATI.

Ante omnia autem prælaudatus P. Godinez, c. 8, observat: « Plerumque homines in officiis præeminentibus constituti juxta suam feruntur naturalem conditionem et inclinationem: crudelis exsequitur ultiones; cupidus lucra quærit; vanus ambit laudari; mansuetus se affabilem, facilemque demonstrat; insipiens exsequitur inscitias; ignorans, si addicitur

Regimini, subito ait Religionem spiritu indigere ac humilitate, non litteris, quæ homines reddunt inflatos, vanos et superbos, quasi litterati humiles non essent columnæ Religionis. Si litteratus assumitur in Prælatum, indoctos contemnit, et inquit spiritum sine litteris esse gladium evaginatum, qui potest tam esse damno, quàm profectui. Rigidus et Austerus affirmat perditam ire Religionem, nisi abundent pœnæ ac pœnitentiæ; contra verò, qui naturâ est blandus et benevolus, asserit filios Dei non debere duci rigore, sed amore, quasi tempestivè rigor non interesset valde : quodque magis noxium est, quamdiu sunt Superiores, Regulas et Constitutiones explicant ad salivam suæ innatæ propensionis, semperque inveniunt, qui præsidio sint ad hæc illorum dictamina. Si Prælatus est juvenis, zelator, bonusque Religiosus, communiter est in suorum exsecutione dictaminum, viribus et animo præstans. Si est solitudinis amans et naturâ melancholicus, desiderat multùm omnes deditos secessui, et quòd subditi assuescere incipiant solitudini. Si est criminator, amicus erit rumusculorum, fabellarum et calumniarum : facilè credit aliorum culpas, nec nisi pœnis inflictis conquiescit : amat punire magis quàm emendare, quo proinde plures suscitat lites, et pace parvâ vel nullâ gaudet. Superiores suspicaces et malitiosi vivunt cruciati suspicionibus; plura sciunt, quàm quæ corrigere valent : quod illos interiùs continenter excruciat. Qui autem sani sunt cordis, curant potiùs nescire quod nequeunt, nec debent emendare, sicque tam secum, quàm cum subditis fruuntur pace. Postremò juxta naturæ indolem communiter gubernat Prælatus bene aut malè. »

§ 671.

PRIMA CLASSIS MALI REGIMINIS : DEBILITAS INTELLECTUS ET JUDICII.

His suppositis, P. Godinez, c. 9, ad varias Classes mali Regiminis Religiosi progreditur, et ait : « *Prima* Classis eorum

est, qui debilis sunt intellectûs, minorisque judicii. Hi, quamvis habeant ob oculos regulas omnes Regiminis boni, vix aliquid boni assequuntur; et si semel aut iterum rem attigerint, casu erit. »

§ 672.

SECUNDA : POLITICA HUMANA.

« *Secunda* est hominum, qui politici dicuntur, Religionemque gubernant humanâ statûs, ut vocant, ratione, modisque sæculariter politicis, cogitantes sæcularem politiam miscere cum sinceritate et veritate quam requirit regimen filiorum Dei : eosque Deus solet manumittere a suâ protectione, unde fit, ipsos in gravibus negotiis a recto deviare, deveniuntque bonis in derisum. »

§ 673.

TERTIA : REGIMEN MERE SPECULATIVUM.

« *Tertia* est hominum habilium, argutorum, qui promptè discurrunt, suntque magni speculativi Gubernatores, maximè damnando alienam rationem gubernandi; qui tamen in praxi solent esse oppidò inscii, licèt dum essent subditi, de alieno regimine censores se facerent, venditando propria dictamina. Practicè verò labuntur : est enim facile obloqui de regimine, sed justè in praxim deducere, difficile admodum. »

§ 674.

QUARTA : AFFECTATA GRAVITAS.

« *Quarta* Classis est hominum naturâ gravium, politicorum habitorum in existimatione : hi cùm Superiores sunt, aliquoties prætextu officii superaddunt quamdam gravitatem suppo-

sititiam, quâ evadunt odiosi, et alienant a se corda subditorum : sunt in obsequiis humanis retinendis morosi, nimiùm solliciti de personæ suæ auctoritate : iidem parvi sunt spiritûs, parvi judicii, et paucos numerant amicos. »

§ 675.

QUINTA : INDISCRETA VIGILANTIA.

« *Quinta* est quorumdam hominum malè in alios animatorum, minutorumque, nihil non inquirentium, et scire volentium vel minimos defectus subditorum : hi et seipsos inquietant et subditos : nesciunt ignorare multa quæ nequeunt emendare, quâ de causâ habiles et arguti qui multa sciunt, procedunt tristes et afflicti : viri autem boni, qui plura nesciunt, pacifici et contenti indulgent genio. »

§ 676.

SEXTA : IMMATURUS SPIRITUS REFORMANDI.

« *Sexta* est quorumdam Reformatorum infimæ sortis, intempestivè zelatorum, qui ad puerile aliquid exstirpandum, nihili ducunt fraudare pace totam Communitatem : hi tamen tam imprudentes sunt, quàm morosi, res turbatas relinquunt, et in hoc sistit tota ipsorum reformatio. »

§ 677.

SEPTIMA : AVARITIA.

« *Septima* est quorumdam miserè tenacium qui, victum resecantes, Communitatem implent murmurationibus : nemo est qui cum eis convivere ferat, ob illorum abjectos mores et sordidos. »

§ 678.

OCTAVA : PRODIGALITAS.

« *Octava* est quorumdam immodicè profusorum, qui fabricas struunt cariores quàm utiles aut necessarias, ut aucupentur suî in posteris memoriam : his minimè fidenda sunt aut æs, aut gubernatio; quoniam æs malè perdent, et regimen pejus ministrabunt. »

§ 679.

NONA : SUPERBIA ET AMBITIO.

« *Nona* est quorumdam hominum impetu correptorum et cholerâ, qui propriæ superbiæ ambitionique indulgere amant, expensis alienæ obedientiæ ac humiliationis : hi continuis litibus laborant et vitam agunt, ut æquè odii ac timoris objectum, tandem tragicam. »

§ 680.

DECIMA : IRACUNDIA.

« *Decima* est quorumdam hominum tetricorum et imperiosorum in jubendo, in increpando iracundorum, disponentium ad libitum proprium : qui aptiores sunt in Dynastas ad imperandum, quàm in Superiores filiorum Dei. »

§ 681.

UNDECIMA : DEFECTUS ZELI.

« *Undecima* est quorumdam hominum, qui sunt boni viri, humani, simplices, sub quibus subditi cum libertate vivunt

conscientiæ : hi non solent habere vim, neque mentem ad procurandos progressus in bono, et repellendos in malo; unde perditur totum. »

§ 682.

DUODECIMA : PUSILLANIMITAS.

« *Duodecima* est quorumdam cordis pusillanimitas, qui levi de causâ conturbantur : hi mente præsentes habent subditorum defectus, quibus ut pungentibus cor eorum cruciatur : iidem bonis aliis juvantibus gubernant minùs malè. »

§ 683.

DECIMA TERTIA : PERTINACIA.

« *Decima tertia* est quorumdam hominum cerebrosorum, qui sunt tam proprii dictaminis amici, quàm inimici alieni : atque hi, propterea quòd sunt imperiosi nimis, paucos habent qui promptè obediant : iidem successus patiuntur adversos, et inimicos non paucos. »

§ 684.

DECIMA QUARTA : COMMODITAS CARNIS.

Decima quarta est quorumdam bellicosorum hominum, tumidorum, superborum, qui regimine utuntur tanquam virgâ potentiæ suæ, sicque indulgent affectionibus suis, delitiis, placitis, amicitiis et ambitioni : publicè colunt amicitias privatas, officiosi sunt amicis suis, prosequuntur inimicos : hi multis palam vitiis tenentur et peccatis secretis. »

§ 685.

DECIMA QUINTA : CRIMINATIO.

« *Decima quinta* est quorumdam hominum criminatorum, qui exagerant nimis aliorum defectus, ex levi fidem præstant susurrationibus; nec remedium acceptant, quod careat supplicio : hi sunt crudeles, vindicativi, sinistræ intentionis, demonstrantque tam habere judicium vitiatum, quàm viscera. »

§ 686.

DECIMA SEXTA : IMPORTUNITAS.

« *Decima sexta* est quorumdam hominum paradoxorum, qui ad nutum humoris prævalentis gubernant, bene, vel malè : si venit ipsis in mentem facere quidquam modo suo, de suis amicis non curant, nec de surrecturis incommodis, dummodo intentum suum adimpleatur. »

§ 687.

DECIMA SEPTIMA : IGNORANTIA.

« *Decima septima* est quorumdam spiritualium insipientium et stupidorum ignorantia : hi, ad sanctitatem apti, ad regimen sunt inepti; nec enim est perinde bonum esse, ac, quod donum distinctum est, esse bonum Prælatum. »

§ 688.

ULTIMA : COMPLACENTIA PROPRIA.

Postremò. Sunt aliqui præsumptuosi, pleni semetipsis, qui mirè suo in judicio, intellectu et talento sibi placent; hi rem

attingunt, si facilis sit, et e trivio; in gravibus autem negotiis dilabuntur. Aliique sunt inscii, cerebrosi et difficiles, qui cùm intellectûs sint miseri, æstimant se posse totum mundum idoneè gubernare : hi ad disertorum conspectum stupidiores comparent : demumque hoc regendi donum, quod in libris legitur et non invenitur, desuper venturum est. »

§ 689.

CLASSES BONI REGIMINIS RELIGIOSI.

« Econtra *gubernare bene*, donum est practicum, cujus fundamentum nobiscum ortum habet, cujus complementum acquiritur longâ experientiâ plurium negotiorum. Fundamentum nimirum est indoles quieta, mansueta, bonusque intellectus, verior quàm acutior, maturumque judicium. Complementum autem est, versare negotia propria statûs, cujus quis existit gubernator; quo fit, ut ex erroribus eliciat peritiam, ex seductionibus documenta, et practicam hauriat cognitionem cum experientiâ personarum, negotiorum aliarumque circumstantiarum, quæ multùm juvant ad negotia in finem præstitutum dirigenda. » Hinc *variæ classes boni Regiminis Religiosi emergunt.*

§ 690.

PRIMA : PRUDENTIA.

« *Prima Classis* est quorumdam hominum intellectûs boni, ac boni judicii; hi, quamvis parùm experti, si sensim procedunt, bonisque utuntur consiliariis, bene gubernant. »

§ 691.

SECUNDA : HUMILITAS.

« *Secunda* Classis est quorumdam hominum humilium et mitium, qui, multùm de se diffisi, multùm fidunt Deo, atque

in rebus arduis consilium ab aliis capiunt, quorum judicium præponunt suo : hi Deum sibi debitorem faciunt, negotiaque difficilia feliciter expediunt. »

§ 692.

TERTIA : SENECTUS EXPERTA.

« *Tertia* Classis quorumdam senum expertorum, qui experientiâ nôrunt præterita, præcognoscunt cum quâdam scientiâ conjecturali futura, et quasi venturarum rerum videntur divini : loquuntur pauca, et multa operantur, præsentia medicant, et tempestivè præservant a damno futuro ; hi verè magni sunt gubernatores. »

§ 693.

QUARTA : INSIGNIS DOCTRINA.

« *Quarta* est quorumdam hominum doctorum et spiritualium, mentis capacissimæ, talentorumque insignium, ad Cathedram, Pulpitum, et ad gubernandum : hi sunt ad regendum majora opportuni : sed periculum est, ne fiant absoluti, et propriæ voluntati addicti ; rarus enim ex his est, qui sibi non tribuat supra justum. »

§ 694.

QUINTA : SANCTITAS.

« *Quinta* est quorumdam hominum non mediocriter sanctorum et amicorum Dei : qui ubi naturâ sint mediocri talento dotati, solent valde illud gratiâ perficere : si verò naturâ sint insipientes, miseri intellectûs, vel nullius judicii, erunt sancti ordine supernaturali ; sed utpote insipientes, in ordine naturali, non sunt ad gubernandum idonei. »

§ 695.

SEXTA : ZELUS.

« *Sexta* est quorumdam hominum affatim prudentum, et valde bonum commune ambientium : hos Deus magno accendit zelo faciendi ut Religio in meliùs procedat, et audacter superant difficultates quæ commune bonum præpediunt : at in hoc quod ipsis expediens est, communiter laborant aliquibus imprudentiæ defectibus. »

§ 696.

SEPTIMA : EXPERIENTIA.

« *Séptima* est quorumdam juvenum vix numerantium annos triginta, bonoque præditorum intellectu, qui optant bonum in posterum nomen comparare : sed cùm experientia illis desit, prudenter modò, modò se gerendo imprudenter, obtundunt caput proprium et aliorum, in occursu rerum minimarum : atque hi sufficientes sunt pro minoribus Communitatibus, unde aliorum expensis acquirunt experientiam, evaduntque apti ad majores etiam Communitates bene regendas. »

§ 697.

OCTAVA : BONUM EXEMPLUM.

« *Octava* Classis est quorumdam hominum spiritualium, oppidò addictorum exercitiis virtutum; unde præeunt exemplo non mediocri, nec aliquid jubent, quod non faciant ipsi ac in rebus Communitatis sunt primi : et quanquam hi tales ad res temporales parùm sint habiles, oratione ac vitâ sanctâ felices obtinent eventus : ex iisdem multi, licèt aliquas insci-tias incurrant, hoc una iisdem vertitur in utilitatem, urgendi fortiter exsecutiones. »

§ 698.

NONA : CHARITAS ET AFFABILITAS.

« *Nona* est quorumdam hominum nobilis conditionis, verbis affluentium, et humanissimæ gratiæ in familiari suâ consuetudine, unde redduntur cari omnibus : hi, subditorum erga se benevolentiâ semel conciliatâ, plus amore proficiunt quàm timore : quanquam verum sit, timore gubernari bene Communitatem, amore aptiùs regi personas privatas. »

§ 699.

DECIMA : PATIENTIA.

« *Decima* est illorum, qui et sunt cum primis intelligentes, et simul æquè patientes, quæ duo rarò consociantur : hi publicis in exhortationibus urgent ad summam obedientiam, perfectam mortificationem, orationem devotione præstantem : in privatis autem subditis contenti sunt cum quâdam mediocri virtute, scientes plenam Communitatem non ferre nisi perfectionem regularem, nempe insimul agere omnes, verrere, studere, orare promptos : perfectio enim personalis, quæ in magnâ quâdam sanctitate sita est, vix in aliquâ Communitate centum personarum reperitur in unâ vel alterâ, in quibus etiam deesse nequeunt aliquæ imperfectiones, quæ cum perfectione regulari permixtæ subrepunt. »

§ 700.

ULTIMA : TIMOR ET AMOR.

« Tandem regimen consultum est donum Dei, ubi Prælatus indiget talento timoris pariter et amoris : timoris ad malos, amoris ad bonos : timoris ad Communitatem, quæ sine timore aliquo et coactione regi bene non potest; amoris ad privatos,

qui, ubi discoli non sint, amore trahuntur et ad obediendum acquiescunt. Bonus Superior a longè debet timore acceptus esse, ac reverentiâ; prope benevolentiâ : in jubendo debet esse animosus, constans, bonorum amicus, publicus virtutis æstimator, et virtuti addictorum; simul connivendo in mille imperfectiones, quæ in malis remedio carent; necesse quippe est in suâ Communitate bonos esse ac malos, perfectos et imperfectos; et si essent omnes boni, nulla superesset regendi difficultas. »

§ 701.

APHORISMI AD REGIMEN RELIGIOSUM.

I. Christum per omnia imitari, est ad regendum optimè gubernari.

II. Non gubernat omnino ut Pater, qui viscera non habet ut Mater.

III. Carnifex pro fine habet rei culpas castigare, Pater pro fine habet illas emendare.

IV. Modus jubendi imperiosus in Superiore, impedimento est obediendi bene in inferiore.

V. Si Superior sis exemplaris, mereberis ut obediaris.

VI. In Superiore luxûs ratio est publica relaxatio.

VII. Superior absque oratione, currus est sine temone.

VIII. Superior sine prudentiâ, est morosus cum ineptiâ.

IX. Superior absque experientiâ, erit mancus in prudentiâ.

X. Qui cum violentiâ gubernat, conscientias bene non reserat.

XI. Quando culpæ sunt leviores, præstat quandoque excusatione admittere Superiores.

XII. Superior criminalis non tam Pater est pius, quàm Præfectus fiscalis.

XIII. Amicus proprii judicii, erit opere non parvi præjudicii.

XIV. Qui non gubernat in pace, censendus est pro regendi incapace.

XV. Qui est subjectus mœrori, non fidet ficto et non sincero Superiori.

XVI. Politicum Regimen intra Religionem, est illam præcipitare in perditionem.

XVII. Superior, quem ira occupabit, non modicè subditum turbabit.

XVIII. Regimen affluens benevolentiâ, erit præditum quasi divinâ potentiâ.

XIX. Nimius regiminis rigor ad mancipia est opportunior.

XX. Superior in agendo affectatus, est quasi ad fastidium commune natus.

XXI. Ille qui nescit dare non pauper est, sed tenax avarè.

XXII. Superbus, sumptibus alienæ humilitatis, dilatat phylacteria propriæ vanitatis.

XXIII. Bona opera cum animi candore, sunt magnes, cor trahens cum certo quodam dulcore.

XXIV. Cùm duriter imperatur, promptè non obsecundatur.

XXV. Ob defectum abundantiæ, defectus est observantiæ.

XXVI. Prudens quædam simulatio, est tacita quædam increpatio.

XXVII. Pro scandalis in peccatore, sint pœnæ non sine rigore.

XXVIII. Juxta propriam quisque inclinationem, suam gubernat Religionem.

XXIX. Rigidus Superior in jubendo, afflictos facit subditos in obediendo.

XXX. Est qui curet exteriora, negligens curare interiora.

XXXI. Qui hoc procurat officium, pessimum demonstrat judicium.

XXXII. Qui assequitur more humano, laborat ambitu vano.

XXXIII. Quia esse bonum Prælatum, est servum esse honoratum.

§ 702.

ARCANA REGIMINIS RELIGIOSI.

(EX P. GODINEZ.)

I. Principalior virtus Prælati, post prudentiam, est patientia, quâ toleret bene proprias melancholias et ineptias alienas : nam reliquæ virtutes pro unâ vel alterâ occasione necessariæ sunt : at patientiâ omni horâ opus est, in omni actione, in omni occasione; maximè si Superior suis inimicis familiaris esse, sereno vultu cum eis agere, et cum bonâ gratiâ necessaria eis suppeditare debeat.

II. Religioni alicui reformatæ nihil magis repugnat, quàm vitium non debitè punitum, ac virtus sine condigno præmio et æstimatione, præsertim si vitium exemplo virorum gravium et seniorum decoratur, et continuatâ impunitate præscribat.

III. Vitium, quod Religionem maximè relaxat, est defectus paupertatis ob generales licentias ad dandum et recipiendum : nam defectus in obedientiâ et castitate sunt personales, quodammodo regulares; defectus verò in paupertate totam regularitatem statûs Religiosi destruit.

IV. Dignitates et honores plerumque non mutant homines, sed quid sint intrinsecus manifestant; qui enim subditus circumspectus apparebat, factus Prælatus, si mente non viget,

ineptum se demonstrat : si subditus debili judicio pollebat, sed ex defectu materiæ non agnoscebatur, Prælatus constitutus, stupidum se ostendit. Crudelis et criminalis ignotus, quamdiu subditus est, Prælatus, ultor in puniendo apertus evadit. Itaque plerumque honores non mutant mores, sed detegunt. Dixi plerumque : nam non omnino rarò etiam homines, qui verè bonis erant prædiți qualitatibus, dum erant subditi, facti Superiores degenerant, et de bonis in malos vitiantur, utì inter alios Saul, Salomon, et alii suo exemplo probant.

V. Qui sunt naturæ impetu protervi, et ingenii pravi, nunquam bene reguntur amore, sed timore ac rigore. Homines docti, si vani sint, et non boni judicii, gravabunt utut prudentem et mitem Superiorem. Qui boni sunt intellectûs, sed malæ voluntatis, si amori proprio inserviunt cum pravâ intentione, similes sunt dæmonibus, quorum intellectus boni sunt pessimæ suæ voluntatis executores : hi tam maligni sunt et protervi, ut punitionibus exacerbentur magis, beneficiis deteriores fiant : hi tales nisi vel carcerati, vel, si fieri possit, dimissi, nihil boni præstabunt.

VI. Vitia quæ ortum habent ex fragilitate vel tentatione facilem habent medicinam : at vitia moralia, quæ radices agunt in naturæ defectibus, sæpenumero superant remedia; pœnis enim absconduntur, sed non exulant. Qui subest ingenio naturæ vano, insano et superbo, serò, ægrè vel nunquam humiliat se : qui est naturâ veterator, et tortuosæ intentionis, erit perpetuus vitæ aliorum censor, et Superiorum detractor : qui est naturæ voracis, rarò fiet pœnitens. Ita homines communiter, naturâ duce, vivunt et moriuntur sub illis defectibus, qui defectibus naturæ respondent. Deus tamen cum gratiâ suâ est super omnia.

VII. Vel Prælatus munus suum bene implebit, vel malè : si bene, suberit detractioni malorum; si malè, detractioni bonorum. Atque adeo persuasum sibi omnes habeant, quòd communiter perinde sit esse Prælatum, ac subjici censuræ

aliorum. Unde si renuat hanc pati pensionem, necesse est ut renuat ipsam prælationem.

VIII. Bona hujus mundi non adeo sunt perfecta, ut concomitanter aliqua mala non imbibant : nec ulla est res ita conveniens, ut aliâ ex parte aliquod inconveniens non habeat. Atque ideo (aliquas omittendo exceptiones particulares) communiter loquendo est impossibile, ut bene gravia negotia exsecutioni mandentur, in quorum exsecutione aliqua inconvenientia non eveniant.

IX. Scientiæ sunt actus intellectûs speculativi, et ipsius perfectio ; prudentia verò est propria intellectûs practici, et ipsius perfectio : ingenio habilissimi, sunt ad Cathedras et Pulpitos valde apti, et ad gubernandum non idonei, eò quòd sint communiter novitatum condictores, et parùm constantes : at oppidò prudentes, pollent maturiore judicio, licèt non adeò ingenio et intellectûs acumine ; apti sunt proinde regimini, et parùm aut minimè idonei Pulpito vel Cathedræ. Quod tamen communiter loquendo intelligendum est : notum enim est, viros nihilominus fuisse ingenio et doctrinâ habilissimos, et simul eximios Prælatos.

X. Prælationes regulares, vel temporales, v. g. ad triennium, vel perpetuæ esse possunt, et de facto variè a variis Religionibus adoptantur, prout unaquæque magis expediens, aut minùs sibi censuit incommodum et possibile ; quia in utroque modo possunt esse multa commoda in ordine ad bonum Regimen ; et quamvis habeant admixta incommoda, vel non sunt contra rectam rationem, vel non per se sequuntur, sed per accidens, necessariòque sunt in rebus humanis toleranda : quia non possunt omnia vitari ; et præcipuum punctum humanæ prudentiæ est tunc id eligere quod minùs habet incommodi.

XI. Licèt aliquando Prælatus nonnulla, in virtute sanctæ obedientiæ, præcipere possit Communitati suæ, serò tamen, vel nunquam hoc facere expedit : quia est signum ultimæ

perditionis in aliquo individuo, vel aliquâ Communitate, quando ad hanc præcepti necessitatem devenit : siquidem præcepta hæc sunt extrema remedia, quæ non debent applicari, nisi in extremâ pariter necessitate, maximè si præcepta sint habitualia, de quibus, quantumvis strictissimis, subditi mox invenient opiniones et doctrinas, quæ eorum obligationes evacuent, unde opinantur ea non obligare, et consequenter non esse vera præcepta. Hoc ita contingit in Religionibus, quando præceptis onerantur : præterquam quòd sit certum signum fatiscentis Religionis, si necesse sit ut præceptis sustentetur.

XII. Cùm Superior Religiosus sit judex subditi ordinarius, potest illi imponere præceptum obedientiæ circa culpas ipsius proprias, vel alterius, de quibus sufficientia indicia habet, subditusque tunc sine æquivocatione respondere tenetur.

XIII. Crux, quæ gravius premit subditum doctum, est Superior ineptus, cujus ratio regulatur passione, vel affectione suâ ; et cùm talis Superior, ob tarditatem intellectûs sui, quam tamen non agnoscit, non penetret gravia inconvenientia quæ ex pravo suo regimine proficiscuntur, et suâ propriâ ignorantiâ eum quodammodo a multis distortis sensis excuset : hæc recidunt in subditum doctum, qui quidem, nisi magnâ roboretur virtute, vitam aget in agone.

XIV. Quemadmodum corpus humanum evacuatum humoribus malignis manet vegetum, sanum, et boni coloris, cum viribus, nitore, agilitate; retentis verò humoribus noxiis, ut calore naturali recoquantur, citò potest fieri ut homo debilitetur et pereat : ita si corpus mysticum Religionis velit salute spirituali gaudere, splendoremque, pulchritudinem et gratiam in oculis Dei et hominum retinere, expellat a se maturè in Novitiatu filios diffidentiæ, incorrigibiles, vitiosos, qui eam perdunt, ac nitore, venustate et bono nomine privant. Ejectis pravis, boni domi manent ad summum Religionis honorem et utilitatem. Præstant pauci boni quàm multi mali.

XV. Religio reformata est quasi Communitas quædam Patrum et filiorum, ubi justitia naturalis, agnitâ veritate, licèt præter terminos juridicè legales, potest in conscientiâ operari quod utilitati filiorum magis convenit. Hæc justitia naturalis tutâ conscientiâ exercetur, quando abest scandalum. In omni bene ordinatâ familiâ, ubi Pater pro correptione ac punitione paternâ filii non indiget ejus defectum juridicè compertum habere, sufficit quòd eum noverit ex testimonio viri probi, qui non consuevit falsum dicere : nec multùm refert si innocens filius semel aut bis sine culpâ pœnam aliquam levem sustineat; deserviet enim ad perfectionem et exercitium patientiæ, parvaque jactura est, si superveniat innocenti : ut tamen ad pœnam graviorem deveniatur, culpa per idoneas probationes naturales et legales cognosci debet. Væ parentibus et liberis sive sæcularibus, sive Religiosis, quorum conservatio et commune bonum magis a justitiâ legali quàm naturali, dependet! nam in hujusmodi Communitatibus multò plures noxæ operiuntur, et paucæ curantur.

XVI. Ad Regimen Religiosum inepti sunt stupidi, qui sunt depravati judicii, aut intellectûs obtusi; alieni ab omni scientiâ, qui maturo judicio carent; ignorantes, qui nihil callent; juvenes, qui nimio vigore procedunt; imprudentes, nimiùm senes, qui jam desipiunt et infantiles fiunt; valetudinarii, qui exemplo præire nequeunt. Si soli juvenes Religionem gubernaverint, ipsi eam perdent. Si soli senes, his morientibus, subintrant juvenes numero plures, eamque destruunt. Regant igitur juvenes in consortio senum : I. Ut habeant unde addiscant; II. Ut incipiant tempestivè experientiam capere, et sua idonea talenta præmonstrare; III. Ut juvenes in consortio senum, tanquam suorum Quæstorum criminalium, malè operari non audeant.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

CONSPECTUS

CAPITUM, PARAGRAPHORUM, SCHOLIORUM ET COROLLARIORUM QUÆ IN HOC TOMO SECUNDO CONTINENTUR.

PARS II.

DE MAGISTERIO SPIRITUALI.

CAPUT I.

An, et qualis procurandus sit Magister spiritualis ab animabus, quæ ad perfectionem christianam aspirant.

	Pag.
§ 338. Magister spiritualis quis.	1
§ 339. Magister spiritualis procurandus est.	2
Scholium. Referuntur errores.	4
§ 340. Magistri defectum Deus subinde supplet.	5
Scholium. Quod tamen rarò fit.	6
§ 341. Magister junioribus necessarius est.	6
§ 342. Etiam perfecti magistro indigent.	7
Scholium. Nonnulla notanda.	8
§ 343. Magistro ratio totius conscientiæ reddenda est.	9
Schol. I. Quomodo reddenda sit.	10
Schol. II. Quomodo sub sigillo a Magistro retinenda.	10
§ 344. Magister sit omnibus numeris absolutus.	11
Scholium. Etiam confessarius numeris omnibus absolutus procurandus est.	13
§ 345. Magistri dotes : Primò doctrina, pietas et experientia.	13
§ 346. Doctrina in Magistro requisita.	14
§ 347. Pietas.	15
Scholium. Corollaria.	15
§ 348. Humilitas.	16
Scholium. Quomodo exercenda.	16
§ 349. Mansuetudo.	17

Pag.

Scholium. Quomodo rigor mansuetudini jungendus. 17
§ 350. Charitas proximi et zelus. 18
§ 351. Donum discretionis spirituum. 18
Scholium. Quomodo donum discretionis suppleri possit. 19
§ 352. Temerè se quis in magisterium spirituale intrudit sine præfatis dotibus. 20
§ 353. Vocatus vero sanctè suscipit. 21
Scholium. Quomodo procedere debeat. 22
§ 354. Talis Magister a Deo petendus. 22
§ 355. Magistro electo plenè obediendum. 23
§ 356. Tentationes Magistro aperiendæ. 24
Scholium. Objectio solvitur. 25
§ 357. Non uni Magistro se pertinaciter alligandum. 26
Scholium. Quando Magister mutandus. 27
§ 358. Nonnullæ regulæ generales pro Magistro. Primò : Perfectio in executione obligationis suæ consistit. 27
Scholium. Non verò in donis extraordinariis. 28
§ 359. Secundò : Notet virtutis medium servare. 28
§ 360. Tertiò : Magister orationem vocalem subinde suadeat. 29
§ 361. Quartò : Orationi discipuli se accommodet. 30
§ 362. Quintò : Non semper maximam perfectionem a singulis exigat. 30
§ 363. Sextò : Non deproperetur negotium perfectionis. 31
§ 364. Septimò : Voluntatem propriam abnegare doceat. 32

CAPUT II.

Quomodo Magister spiritualis incipientes, proficientes et perfectos juvare debeat.

§ 365. Magister spiritualis capacitatem naturalem sui discipuli bene perspectam habeat. 33
Scholium. Quæ aliquo modo ad perfectionem prodesse potest. 33
§ 366. In quo consistat capacitas naturalis. 33
Scholium. Quinam incapaces sint naturaliter. 34
§ 367. Capacitas supernaturalis in quo consistat. 35
Scholium. Unde hæc capacitas cognosci possit. 35
§ 368. Vocatio definitur. 36
Scholium. Vocatio alia naturalis, alia supernaturalis. 36
§ 369. Deus omnes ad ecclesiam vocat. 36

Pag.
§ 370. Deus omnes ad aliquem statum vocat. 37
Scholium. Varii status. 38
§ 371. Deus vocat ad statum laicalem et sæcularem. 38
Scholium. Vocatio ad statum laicalem subinde est naturalis, subinde supernaturalis. 39
§ 372. Vocatio ad statum sæcularem maturè recognoscenda. 40
§ 373. Regulæ pro cognoscendâ vocatione ad statum sæcularem. 41
§ 374. Vocatio ad dignitates civiles bene expendenda est. 43
§ 375. Regulæ pro electione dignitatum civilium. 44
§ 376. In statu sæculari, vocationi suæ respondens perfectionem assequi potest. 45
Scholium. An in statu electo perseverandum sit. 46
§ 377. Deus vocat aliquos ad statum clericalem. 47
Scholium. Vocatio hæc est supernaturalis. 48
§ 378. Vocatio ad statum ecclesiasticum valde maturè expendenda est. 49
§ 379. Signa vocationis ad statum clericalem. 50
Scholium. Monitum Catechismi romani. 51
§ 380. Deus aliquos vocat ad statum religiosum. 51
Schol. I. Vocatio religiosa est signum prædestinationis. 54
Schol. II. Professio religiosa est quasi alter baptismus. 54
§ 381. In vocatione religiosâ maturo consilio procedendum. 55
Scholium. Propinqui in hac vocatione subinde malè consuluntur. 56
§ 382. Regulæ pro cognoscendâ vocatione religiosâ. 57
§ 383. Vocatio religiosa non negligenda, nec diu procrastinanda. 58
§ 384. Vocatio secunda est specialis gratia. 59
Scholium. Ad vocationem secundam quænam spectent. 60
§ 385. Secundæ vocationi obediendum est. 61
§ 386. Nonnisi rarò transitus ab unâ ad alteram religionem consulendus est. 62
Corollaria. Scholium. 63
§ 387. In religione non tepidè vivendum est. 64
Schol. I. Corollaria. 65
Schol. II. Religiosus status est continuum martyrium. 65
Corollarium. Adhortatio ad sequendam vocationem religiosam. 66
§ 388. Signa vocationis religiosæ. 66
§ 389. Examinatâ vocatione, Magister, discipuli sui temperamentum naturale cognoscere studeat. — Temperamentum quid? 67

Pag.

Schol. I. Quotuplex. 67
Schol. II. Signa temperamentorum. 68
§ 390. Cholericorum affectiones. 68
§ 391. Phlegmaticorum affectiones. 69
§ 392. Melancholicorum affectiones. 69
§ 393. Sanguineorum affectiones. 70
§ 394. Cognito temperamento, attendat Magister quas amicitias discipulo permittere possit. — Amicitia quid? 70
Scholium. Amicitia quotuplex? 72
§ 395. Amicitia prava in religione maximè fugienda. 72
§ 396. Amicitia privata cum consanguineis vitanda. 73
Corollaria. Scholium. 74
§ 397. Amicitia privata erga conterraneos vitanda. 75
Scholium. Mala ex amicitiâ provenientia. 76
§ 398. Amicitia privata non satis decora seniorum cum junioribus vitanda. 76
§ 399. Amicitia privata juniorum inter se vitanda. 78
§ 400. Amicitia privata cum tepidis fugienda. 79
§ 401. Amicitia privata prava magis sæcularibus fugienda. 80
§ 402. Amicitia privata concupiscentiæ carnis fugienda. 81
Scholium. Amicitia etiam amoris sensibilis periculosa est. 83
§ 403. Amicitia concupiscentiæ oculorum fugienda. 83
§ 404. Amicitia superbiæ vitanda. 84
§ 405. Amicitia privata bona colenda est. 85
§ 406. Amicitia privata sancta sæcularibus quærenda est. 87
§ 407. Cautelæ pro amicitiâ privatâ bonâ. 88
Scholium. Quomodo elevetur. 89
§ 408. Amicitia privata communem non debet excludere. 89
Scholium. Amicitia erga peccatores et inimicos vera est. 90
§ 409. Amicitia privata nullam aliis offensionem pariat. 90
§ 410. Regulæ pro juvandis incipientibus. 91
§ 411. Regulæ pro juvandis proficientibus. 92
§ 412. Regulæ pro juvandis perfectis. 94
§ 413. Vitia capitalia hominum spiritualium. 95
§ 414. Alia vitia spiritualium. 96
Scholium. Notanda de his vitiis. 98
§ 415. Frequentia SS. communionis. 98
Scholium. Decreta Ecclesiæ de SS. communione. 98
§ 416. Frequentia S. communionis nondum perfectis expedit. 99
Schol. I. Errores circa frequentem communionem. 101
Schol. II. Objectiones solvuntur. 102
§ 417. Quotidiana communio non omnibus expedit. 103

Pag.
Schol. I. Error nonnullorum. 105
Schol. II. Objectiones remissivæ. 105
§ 418. Regulæ pro concedendâ frequenti vel quotidianâ communione. Primò : Laici non sunt absolutè excludendi. 105
§ 419. Secundò : Consensus superioris requiritur. 107
§ 420. Tertiò : Requiritur fames spiritualis. 107
Scholium. Fames hæc non sit vitiosa. 108
§ 421. Quartò : Sine scandalo aliorum. 108
§ 422. Quintò : Opera virtutum requiruntur. 109
§ 423. Sextò : Aspirantes ad perfectionem ad communionem octiduanam admitti possunt. 110
§ 424. Septimò : Minus perfectis menstrua communio suadenda. 111
Scholium. Notandum de menstruâ communione. 111
§ 425. Octavò : Confessio laudabiliter omni communioni præmittitur. 112
§ 426. Nonò : Etiam recidivis moderata frequentia consulenda est. 112
Scholium. Notanda pro recidivis. 113
§ 427. Decimò : Subinde frequentia et abstinentia alternanda. 113
Scholium. Nonnulla monita. 114
Corollarium. Adhortatio ad discretam frequentiam communionis. 114
§ 428. Celebratio missæ. 115
§ 429. Quotidiana celebratio omnibus sacerdotibus expedit. 115
Scholium. Objectiones solvuntur. 117
§ 430. Ad quotidianam celebrationem digna præparatio requiritur. 119
§ 431. Regulæ pro quotidianâ celebratione. Primò : Cavendum ne quis cum mortali celebret. 120
§ 432. Secundò : Cavendus relapsus in mortalia. 121
§ 433. Tertiò : Cavenda venialia. 122
§ 434. Quartò : Tepore excusso ad perfectionem tendendum. 122
§ 435. Quintò : Sacerdos perfectus quotidie cum amore et timore celebret. 123
§ 436. Sextò : Pollutio involuntaria in somnis non impedit celebrationem. 124
§ 437. Septimò : Quandocumque celebratio est licita, consulenda est. 125
Scholium. Quid de imperfectis dicendum. 125
§ 438. Octavò : Subinde quotidianâ celebratione ob reverentiam abstineri potest. 126

Pag.

Scholium. Quando non expediat. 126
§ 439. Nonò : Devotio externa requiritur. 127
Scholium. Temporis spatium pro Missâ. 127
§ 440. Decimò : Celebrans non proficiens, de malo statu suo timere potest. 128
§ 441. Undecimò : Non celebrans vel communicans, saltem Missam audiat. 129
Scholium. Modus fructuosè Missam audiendi. 129
Corollarium. Adhortatio ad devotam celebrationem. 130
§ 442. Aphorismi pro Magistris spiritualibus. 130

CAPUT III.

Quomodo Magister spiritualis bonos a malis per discretionem spirituum discernere, et vitiatos emendare debeat.

§ 443. Spiritus et vir spiritualis explicantur. 133
Scholium. Discrimen inter spiritualem et devotum 133
§ 444. Divisio spiritûs. 134
Schol. I. Ejus subdivisiones indicantur. 134
Schol. II. Inspirationes et instigationes quid. 135
§ 445. Discretio spirituum definitur. 136
Schol. I. Alia est acquisita, alia infusa. 136
Schol. II. Difficultas discernendi spiritus. 137
§ 446. Necesse est bene discernere spiritus bonos. 138
Scholium. Quomodo Deus inspiret. 139
§ 447. Regulæ pro discernendo bono spiritu. Primò : Ex fructibus cognoscitur. 140
Corollaria. Scholium. 141
§ 448. Secundò : Ex operibus internis bonis. 141
Corollaria. Scholium. 142
§ 449. Tertiò : Ex humilitate cordis. 143
Corollaria. Ex quâ varii boni spiritûs cognoscuntur. 144
§ 450. Quartò : Amare pati et contemni. 145
Corollaria. Scholium. Unde varii boni spiritus prodeunt. 146
§ 451. Quintò : Resignatio in voluntatem Dei et directoris. 146
Corollaria. Scholium. Ex quo varii boni spiritus discernuntur. 147
§ 452. Sextò : Extraordinariæ inspirationes non facilè approbandæ. 147
Corollarium. Scholium. Nisi fortè satis de eis constet. 148
§ 453. Discretio Malorum spirituum necessaria est. 149

Pag.

§ 454. Regulæ pro discernendo malo spiritu. Primò : Si sit contra fidem et bonos mores. 150
Schol. I. Corollaria. Ex quo varii mali spiritus emergunt. 151
Schol. II. Notanda de usu SS. imaginum. 151
§ 455. Secundò : Si opus internum non sit moraliter bonum. 152
Corollaria. Scholium. Aliàs enim a malo spiritu procedet. 152
§ 456. Tertiò : Si superbia interveniat. 153
Corollaria. Scholium. Utpote quæ multos spiritus corrumpit. 154
§ 457. Quartò : Si quis in contemptu contristetur. 155
Corollaria. Aliàs enim spiritus perfectus non erit. 155
§ 458. Quintò : Si non sit conformis voluntati Dei et superiorum. 155
Corollaria. Scholium. Hujus conformitatis defectus varios spiritus malos prodit. 156
§ 459. Sextò : Si ad extraordinaria moveat. 157
Corollaria. Scholium. Aliàs enim spiritus a Deo non erit. 157
§ 460. Discretio inter spiritus bonos et malos, in dubio necessaria est. 158
Scholium. Monita pro discretione spirituum. 160
§ 461. Regulæ pro discretione spirituum. 160
Primò : Ex principio et effectu discretio facienda est. 161
Corollaria. Scholium. Mali enim a malo, boni a bono procedunt. 161
§ 462. Secundò : Intentio et affectus internus attendantur. 162
Corollaria. Scholium. Ne scilicet malum occultum ibi delitescat. 163
§ 463. Tertiò : Attendere quinam spiritus cor humiliet. 163
Corollaria. Scholium. Hic enim bonus est. 164
§ 464. Quartò : Ex spiritu mortificationis discernendum est. 165
Corollaria. Scholium. Hic enim spiritus Christi est. 165
§ 465. Quintò et Sextò : Ad docilitatem spiritûs attendere. 166
Corollaria. Scholium. Et an hodiernis Ecclesiæ moribus conveniat. 166
§ 466. Septimò : Orandum a directore pro discretione rectè faciendâ. 167
§ 467. Octavò : Orandum a discipulo pro illustratione directoris. 168
Corollarium. Adhortatio ad discretionem rectam. 169
§ 468. Illusio quid. 169
Schol. I. Explicatur. 169
Schol. II. Quotuplex. 170
§ 469. Justi illusionibus sunt obnoxii. 170

Scholium. Illuminati. 172
§ 470. Illusiones cavendæ sunt. 173
Scholium. Confirmatur. 174
§ 471. Radices illusionum. Prima est negligentia in rebus divinis. 175
Scholium. Quomodo hæc radix præcaveri possit. 176
§ 472. Secunda est defectus rectæ intentionis. 176
Scholium. Etiam in spiritualibus bona intentio deesse potest. 177
§ 473. Tertia est præcipitatio. 177
§ 474. Quarta est alios non consulere. 178
§ 475. Quinta est revelata ad proprium sensum detorquere. 179
Scholium. Dæmoni non credendum. 179
§ 476. Sexta est extraordinaria appetere. 180
Scholium. Extraordinaria in sanctis admiranda, non imitanda. 180
§ 477. Ignorantia culpabilis ab illusione non excusat. 181
Scholium. Nonnulla peccata ignorantiæ in viris spiritualibus. 182
§ 478. Remedia contra ignorantiam. Primum : Consulere doctores. 182
§ 479. Secundum : Expiatio conscientiæ. 183
§ 480. Tertium : Examen quotidianum conscientiæ. 183
§ 481. Quartum : Oratio. 184
Corollarium. Adhortatio ad cavendas illusiones. 184
§ 482. Illusiones particulares spiritualium. 185
Scholium. Quinam magis illusionibus sint obnoxii. 186
§ 483. Effectus illusionum. 186
§ 484. Regulæ pro corrigendis spiritibus vitiatis. Prima : Observatio ingenii. 187
§ 485. Secunda : Observatio recreationis. 188
§ 486. Tertia : Instructio bona. 188
§ 487. Quarta : In humilitate exerceatur. 189
§ 488. Quinta : Sanctitatis fundamentum virtus est. 189
§ 489. Sexta : Magis virtuosus, magis sanctus. 189
§ 490. Septima : Dæmon dulcedines internas dare potest. 190
§ 491. Octava : Discipulus a Magistro in faciem non laudetur. 190
Scholium. Regula specialis. 190
§ 492. Aphorismi pro agnoscendis spiritibus rectis. 191
§ 493. Magisterii spiritualis arcana. 193

CAPUT IV.

Quomodo Magister spiritualis visiones, locutiones, revelationes, prophetias, Raptus et Extases suorum discipulorum discernere valeat.

Pag.

§ 494. Visio definitur. . . 196
Schol. I. Divisio visionum. 197
Schol. II. An visio ab apparitione differat. 198
§ 495. Visio simplex quid? 199
Scholium. Quotuplex. 199
§ 496. Dantur visiones simplices sensibiles supernaturales Dei. 199
Schol. I. Apparitiones Dei in V. T. fuerunt impersonales. 202
Schol. II. Apparitiones Christi post ascensionem multæ impersonales sunt. 203
Schol. III. Quales sint apparitiones Christi in SS. Eucharistiâ sub specie carnis, etc. 203
Schol. IV. Quomodo impersonales Dei apparitiones sensibiles fiant. 204
§ 497. Angeli boni sensibiliter apparere possunt. 205
Schol. I. Angeli boni, in apparitionibus, aliquo modo, corpora verè talia assumunt. 206
Schol. II. Quæritur ex quo illa forment. 206
Schol. III. Apparitio angelorum bonorum sensibilis an sit miraculosa. 207
Schol. IV. Angeli, quomodo corpori assumpto uniantur. 207
Schol. V. Operationes angelorum in assumptis corporibus non sunt vitales. 208
§ 498. Dæmones etiam sensibiliter apparere possunt. 208
Scholium. Quomodo appareant. 209
§ 499. Animæ beatorum apparere possunt. 209
Schol. I. Quomodo animæ beatorum appareant. 211
Schol. II. Viventes in alio loco subinde apparent. 212
Schol. III. Apparitiones sanctorum corporales sunt miraculosæ. 213
§ 500. Animæ purgantes apparere possunt. 213
Scholium. Quomodo fiat. 214
§ 501. Damnati etiam visibiliter apparere possunt. 214
Schol. I. Quomodo appareant. 215

Pag.

Schol. II. Infantes sine baptismo mortui non apparuerunt. 215
§ 502. Visio simplex imaginaria quid. 216
Schol. I. Quotuplex. 216
Schol. II. Quomodo fiat. 216
§ 503. Visio simplex imaginaria Dei dari potest. 216
Schol. I. Visio imaginaria Dei fit per angelos. 218
Schol. II. Hæc visio non est falsa, sed perfecta. 218
§ 504. Angeli boni imaginariè apparere possunt. 219
Schol. I. Quomodo fiant, et an opera dæmonum fieri possint. 220
Schol. II. Beati imaginariè apparere possunt. 220
§ 505. Datur visio purè intellectualis. 220
Schol. I. Quomodo fiat ostenditur. 220
Schol. II. Solus Deus est causa visionis intellectualis. 221
Schol. III. Visio intellectualis non potest verbis explicari, nisi sensibilis subsequatur. 221
Schol. IV. Visio intellectualis negativè et positivè fieri potest. 222
§ 506. Datur visio purè intellectualis. 222
Schol. I. Deus Christus, SS. Deipara, angeli et beati visione intellectuali videri possunt. 224
Schol. II. Intellectuales visiones non sunt falsæ. 225
§ 507. Visio symbolica quid. 225
Scholium. Quid ad eam requiratur. 226
§ 508. Datur visio symbolica. 226
Schol. I. An visio Dei et sanctorum in corpore sit symbolica. 228
Schol. II. An Deus in visionibus symbolicis appareat. 228
Schol. III. An visio symbolica purè intellectualis sit possibilis. 229
§ 509. Visio symbolica in symbolo non sistit. 229
Scholium. Symbolicæ figuræ sunt tantum sæpè apparentes. 230
§ 510. Regulæ pro discernendis visionibus inter se. Prima: Visio sensibilis seu corporalis ab aliis visionibus discernitur, si ab omnibus præsentibus videatur. 231
Schol. I. An hæc regula sit universalis. 231
Schol. II. Quomodo divina ab angelicâ apparitione secernatur. 232
Schol. III. An Christus in judicio particulari per se appareat. 232
§ 511. Secunda : Visio imaginaria censenda est, si nullum objectum in sensus externos incurrat. 233
§ 512 : Tertia : Visio purè intellectualis est, si fiat sine medio sensibili. 233
§ 513. Quarta : Visio symbolica est quando res repræsentatæ aliud significant. 233
§ 514. Regulæ pro discernendis visionibus veris a falsis. 234

Pag.

Scholium. Quomodo ordinari possint. 234
§ 515. Signa apparitionis falsæ ex parte sui ipsius. Primò : si sit contra fidem. 235
§ 516. Secundò : Si quid indecens et impudicum includat. 235
§ 517. Tertiò : Si forma sit deformis. 236
Schol. I. Hoc signum non est infallibile. 237
Schol. II. Quomodo in dubiâ apparitione procedendum. 237
Schol. III. An dæmon in specie crucifixi apparens licitè aliquando adorari possit. 237
§ 518. Quartò : His exclusis, apparitio ex parte materiæ divina est. 238
§ 519. Signa apparitionis falsæ ex parte personæ. Primò : Si sit acatholica. 239
Scholium. Solvitur objectio. 239
§ 520. Secundò : Si sit peccatrix. 240
Scholium. Solvuntur objectiones. 240
§ 521. Tertiò : Si sit superba. 241
§ 522. Quartò : Si visiones desideret. 241
§ 523. Quintò : Si sit arreptitia, vel delira. 242
§ 524. Sextò : Si sit melancholica. 242
Scholium. Hoc signum est levius. 243
§ 525. Septimò : Si sit novitia. 243
Scholium. Quod non est universale. 244
§ 526. Octavò : Si sit pauper, dives, juvenis, senex. 244
Scholium. Quod generaliter non valet. 244
§ 527. Nonò : Si sit femina. 244
Scholium. Quod tamen non semper tenet. 245
§ 528. Signa visionis divinæ ex parte personæ. 246
§ 529. Signa visionis non divinæ ex parte effectuum. Primò : Si ad indecens vel impudicum excitet. 246
Scholium. Objectiones solvuntur. 247
§ 530. Secundò : Si excitet ad superbiam. 248
§ 531. Tertiò : Si visiones patri spirituali pro consilio non revelet. 249
§ 532. Quartò : Si visiones suas facilè propalet. 250
§ 533. Quintò : Si ad mortificationem non excitet. 250
§ 534. Sextò : Si animam inquietam relinquat. 251
§ 535. Septimò : Si ad signum crucis fugetur. 252
§ 536. Signa visionis divinæ ex parte effectuum. 252
Corollarium. Adhortatio ad bonum usum visionum. 253
§ 537. Post visiones, locutiones divinæ examinandæ. Locutio divina quid. 254

Pag.

Scholium. Quot modis nobis Deus loquatur. 254
§ 538. Locutio divina vocalis quid. 255
Scholium. Quomodo fiat. 255
§ 539. Deus subinde per externa verba vocaliter cum hominibus loquitur. 255
Schol. I. Locutiones divinæ an sint propriè tales. 257
Schol. II. An locutiones hæ sint personales. 257
Schol. III. Unde cognoscatur angelum nomine Dei loqui. 258
Schol. IV. Dæmon etiam homini subinde loqui potest. 258
§ 540. Locutio imaginaria quid. 258
Scholium. Quomodo fiat. 258
§ 541. Deus subinde per imaginariam locutionem loquitur. 259
Schol. I. Quomodo imaginaria locutio ab externâ discernatur. 260
Schol. II. Quomodo angeli ad locutionem imaginariam concurrant. 260
Schol. III. Locutiones imaginariæ vigilantibus fiunt. 261
Schol. IV. Locutiones imaginariæ etiam in somnio fiunt. 262
§ 542. Locutio intellectualis quid. 262
Schol. I. Locutio intellectualis explicatur. 263
Schol. II. An et quomodo fiat. 263
Schol. III. Quotuplex sit locutio intellectualis. 264
Schol. IV. Quomodo discernatur. 264
§ 543. Deus subinde locutione purè intellectuali perfectis loquitur. 265
Scholium. Solvuntur objectiones. 266
§ 544. Signa locutionis divinæ ex parte materiæ. 266
§ 545. Signa locutionis divinæ ex parte personæ. 267
§ 546. Signa ex parte effectuum. 267
Corollarium. Adhortatio ad audiendas locutiones divinas. 268
§ 547. Locutio divina aliquid occultum detegens dicitur revelatio. — Revelatio quid. 269
Schol. I. Explicatur. 269
Schol. II. Revelatio quotuplex. 270
§ 548. Dantur revelationes divinæ privatæ. 270
Schol. I. Hæresis lutheranorum. 272
Schol. II. An revelationes divinæ privatæ sint objectum fidei. 273
Schol. III. An privatæ revelationes approbatæ sint credendæ. 274
Schol. IV. An inter revelationes approbatas apocryphæ dentur. 274
Schol. V. Dantur etiam revelationes, quæ a sanctis divinæ putantur et non sunt. 275
§ 549. Revelationes dæmoniacæ quid. 276

Pag.
Scholium. Quomodo fiant. 276
§ 550. Revelationes dæmoniacæ fieri possunt. 277
Scholium. Quænam occulta dæmon revelare potest. 278
§ 551. Revelatio naturalis quid. 279
Schol. I. Revelatio naturalis fieri potest in somniis. 279
Schol. II. Revelatio naturalis in vigiliâ fieri potest. 279
Schol. III. Revelatio naturalis ex debilitate sensus et complexionis oriri potest. 280
Schol. IV. Revelatio imaginaria ex indiscretis mortificationibus oriri potest. 280
Schol. V. Revelatio imaginaria ex indiscretâ oratione oriri potest. 281
Schol. VI. Corollaria. 281
§ 552. Revelationes naturales imaginariæ dari possunt. 282
Scholium. Revelationes scienter confictæ dantur. 283
§ 553. Signa revelationis divinæ ex parte materiæ sunt Primò : Si non sit contra fidem. 284
Scholium. Quid de revelationibus in rebus contra communem theologorum sententiam necdum definitis, et dispensationibus dicendum. 284
§ 554. Secundò : Si ad malum non provocet. 285
Scholium. Solvuntur objectiones. 286
§ 555. Tertiò : Si revelationes inter se non sint contrariæ. 287
§ 556. Quartò : Si revelationes non sint nimis multæ. 287
Scholium. Hoc signum non est universale. 288
§ 557. Quintò : Si non sint de vanis et inutilibus. 288
§ 558. Sextò : Si revelata naturaliter cognosci non possint. 288
§ 559. Septimò : Si non sint circa statum animæ vivorum, aut mortuorum. 289
§ 560. Octavò : Si non sint de rebus rarò revelari solitis. 289
§ 561. Nonò : Si ea solum, quæ videntur Deum decere, revelentur. 290
§ 562. Signa revelationis divinæ ex parte personæ. 290
Scholium. Revelationes feminarum diligentius examinand sunt. 29
§ 563. Signa revelationis divinæ ex parte effectuum. 291
Corollarium. Adhortatio ad bonum revelationum usum. 291
§ 564. Revelatio futurorum dicitur prophetia. — Prophetia quid. 292
Schol. I. Prophetia propriè est de futuris. 292
Schol. II. Prophetia cognitionem et manifestationem includit. 292

Pag.

Schol. III. Quomodo fiat revelatio prophetica. 293
Schol. IV. Prophetica revelatio fit per angelos. 293
Schol. V. Prophetia quotuplex. 294
Schol. VI. Subjectum prophetiæ. 294
Schol. VII. Ad prophetiam non requiritur naturalis dispositio, nec morum probitas. 295
Schol. VIII. Prophetia non datur in habitu. 296
§ 565. Spiritus prophetiæ fuit semper in Ecclesiâ. 296
Scholium. Prophetia divina est infallibilis. 297
§ 566. Dantur etiam pseudoprophetiæ imaginariæ. 298
Scholium. Quomodo dæmon suas pseudoprophetias edat. 299
§ 567. Dantur etiam pseudoprophetiæ imaginariæ. 300
Scholium. Animæ humanæ nulla indita est vis futura præsciendi. 301
§ 568. Signa veræ prophetiæ ex parte materiæ. Primò : Non sit contra veritatem et pietatem christianam. 303
§ 569. Secundò : Si non sit circa res curiosas et inutiles. 303
Scholium. Unde prophetis passim sine discretione non credendum. 303
§ 570. Tertiò : Si vera occulta certò et non conjecturaliter prædicantur. 304
§ 571. Quartò : Si propheta vaticinia sua certò cognoscat. 305
§ 572. Quintò : Si prædictum evenerit. 305
Schol. I. Excipiuntur prophetiæ comminatoriæ et conditionatæ. 305
Schol. II. Item prophetiæ non rite explicatæ. 306
Schol. III. Item excipitur instinctus propheticus. 307
Schol. IV. Nonnulla his exceptionibus addenda. 307
§ 573. Signa veræ prophetiæ ex parte personæ. Primò : Sanctitas morum. 308
§ 574. Secundò : Mens sana et pacata. 309
§ 575. Signa veræ prophetiæ ex parte effectuum. 309
§ 576. Regulæ discretionis pro visionibus etc. Primò : Non omnes visiones statim rejiciendæ. 310
§ 577. Secundò : Non omnes passim revelationes admittendæ. 310
§ 578. Tertiò : Veritatem revelationis aliquis in seipso per donum discretionis spirituum cognoscere potest. 311
Scholium. Non tamen sine consilio alieno. 311
§ 579. Quartò : Discretio fieri potest per instinctum divinum. 312
Scholium. Sed denuò cum consilio prudentis. 312
§ 580. Quintò : Revelatio vera in alio per discretionem spirituum cognoscitur. 312

Pag.
Scholium. Unde quis de hac discretione habitâ certioretur. 313
§ 581. Sextò : Discretio hæc fieri potest per instinctum. 313
Scholium. Qui divinus erit. 314
§ 582. Septimò : Discretio fieri potest per discretionem doctrinalem. 314
Scholium. Quomodo hæc facienda sit. 315
§ 583. Octavò : Authentica discretio habetur a judicio Ecclesiæ. 316
Schol. I. Quæ ratio revelationum habeatur in causis canonizationis. 317
Schol. II. Quid de illis censendum. 317
Corollarium. Adhortatio ad bonum usum prophetiarum. 318
§ 584. Extasis quid. 319
Scholium. Cujus natura explicatur. 319
§ 585. Raptus quid. 320
Scholium. Divisio. 320
§ 586. Extasis naturalis. 320
Schol. I. Quomodo a morbo causetur. 320
Schol. II. Quomodo a vehementi imaginatione causetur. 321
§ 587. Datur Extasis, et Raptus naturalis. 321
Schol. I. Corollaria. 323
Schol. II. An in Extasi naturali anima corpus deserere possit. 323
Schol. III. Differentia inter somnum et Extasin naturalem. 324
§ 588. Signa Extasis naturalis. Primò : Moribus præcedens. 324
§ 589. Secundò : Determinatum tempus Extasis. 325
§ 590. Tertiò : Morbus subsequens. 325
§ 591. Quartò : Lassitudo membrorum succedens. 326
Scholium. In ipsâ Extasi tamen corpus imbecillum est. 326
§ 592. Quintò : Oblivio rerum præteritarum. 327
Scholium. Hoc signum non est universale. 327
§ 593. Sextò : Amor terrenorum. 328
§ 594. Septimò : Extasis a pavore orta. 328
§ 595. Octavò : Extasis a musicâ inducta. 328
§ 596. Extasis dæmoniaca. 328
Scholium. Quomodo fiat. 328
§ 597. Datur Extasis dæmoniaca. 329
Schol. I. An in Extasi dæmoniacâ corpus in altum sublevari possit. 331
Schol. II. Dæmon subinde cadavera ab aliquâ specie incorruptionis præservare potest. 331
§ 598. Signa Extasis diabolicæ. Primò : Mala vita. 332
§ 599. Secundò : Indecentes corporis motus. 332

Pag.

Scholium. Hoc signo cautè utendum. 333
§ 600. Tertiò : Si quis pro suo libitu Extasin patiatur. 334
§ 601. Quartò : Si ab Extasi pro libitu cessare possit. 334
Scholium. Quid dicendum, si ad vocem superioris cesset. 335
§ 602. Quintò : Si extaticus loquatur mente turbatâ. 335
Scholium. Quid si in personâ Christi etc., loquatur. 336
§ 603. Sextò : Si quis non recordetur præteritorum in Extasi. 336
§ 604. Septimò : Si sæpe in locis publicis rapiatur. 336
§ 605. Octavò : Si extaticus clamores brutales edat. 337
Scholium. Non verò, si modestos. 337
§ 606. Extasis divina quid. 337
Schol. I. Quomodo fiat. 338
Schol. II. Quandonam extasis contingat? an sit miraculosa, et semper omnes sensus suspendat. 338
Schol. III. An sensus interni suspendantur, et Extasis in somno dari possit. 339
Schol. IV. Corollaria. 339
§ 607. Datur Extasis divina. 340
Schol. I. An anima in Extasi divinâ corpus deserat. 341
Schol. II. An Extaticus mereatur. 341
§ 608. Extasin divinam subinde comitatur raptus corporis in aera. 342
Scholium. Quomodo fiat, explicatur. 342
§ 609. Extatici subinde splendore fulgent. 343
Schol. I. Quomodo fiat. 344
Schol. II. Quandonam splendor miraculosus sit. 344
§ 610. Extatici subinde diu ab omni cibo et potu abstinent. 345
Scholium. Quomodo fiat. 346
§ 611. Extaticis nonnullis SS. stigmata impressa sunt. 347
Schol. I. Quomodo fiat. 349
Schol. II. Sanguineus sudor extaticorum. 350
§ 612. Signa Extasis divinæ. Primò : Suspensis sensibus anima contemplatur divina. 350
Scholium. Quandonam revelata in Extasi postea narrare possit. 351
§ 613. Secundò : Extasis divina decens est, et verba cœlestia profert. 351
Scholium. Extatici subinde loquuntur. 352
§ 614. Tertiò : Extasis divina est ardenter affectiva. 352
Scholium. Unde a Charitate divinâ oriri debet. 353

Pag.
§ 615. Quartò : Extasis divina plerumque in sanctis exercitiis contingit. 353
§ 616. Quintò : Extasis divina sæpe brevis est. 354
§ 617. Sextò : Extasis divina vitam sanctam post se trahit. 354
Corollarium. Adhortatio ad Extasin amoris. 355
§ 618. Arcana circa Extases et Raptus. 356

CAPUT V.

De bono regimine religioso.

§ 619. Regimen religiosum quid. 359
Scholium. Explicatur. 360
§ 620. Superior religiosus quid. 360
Scholium. Varia nomina superiorum religiosorum. 360
§ 621. Prælatus religiosus est magister. 361
§ 622. Scientia Prælati. 361
Scholium. Qualis scientia requiratur. 362
§ 623. Oratio et studium Prælati. 363
Scholium. Quomodo huic studio intentus esse debeat. 363
§ 624. Prædicatio et exhortatio. 364
Scholium. Prælati a prædicatione se non subtrahant. 366
§ 625. Exemplum bonum. 367
Scholium. Quomodo bono exemplo præludere debeat. 368
§ 626. Humilitas prælati. 369
Schol. I. Quomodo humilitas exercenda. 370
Schol. II. Excusationes Prælatorum eliduntur. 370
§ 627. Prælatus religiosus dux est. 371
§ 628. Prudentia Prælati. 372
Schol. I. Qualis prudentia in Prælato requiratur. 373
Schol. II. Quomodo prudenter procedat. 374
Schol. III. Quomodo executio bene facienda. 375
Schol. IV. Discrimen inter Prælatum prudentem et imprudentem. 376
Schol. V. Media pro acquirendâ prudentiâ. 377
§ 629. Vigilantia Prælati. 377
Scholium. Quomodo vigilandum. 378
§ 630. Zelus, fortitudo et magnanimitas Prælati. 379
Scholium. Quomodo zelus exercendus. 380
§ 631. Patientia et constantia Prælati. 380
Scholium. Quænam prælatum acerbius torqueant. 381

Pag.

§ 632. Prælatus religiosus est Pastor. 382
§ 633. Unde primò charitatem habere debet. 383
Scholium. Qualis charitas esse debet benefica. 384
§ 634. Mansuetudo Prælati. 384
Scholium. Quomodo mansuetudo exercenda. 385
§ 635. Misericordia Prælati. 386
Scholium. Quomodo misericordia exercenda. 387
Corollarium. Adhortatio ad fugiendam prælaturam. 388
§ 636. Vocatio Dei ad Prælaturam requiritur. 389
Schol. I. Quale peccatum sit appetere Prælaturam. 390
Schol. II. Solvuntur objectiones. 391
§ 637. Vocatio ad prælaturam non manifestatur eligendo, sed aliis. 392
Scholium. Prælaturam lætanter acceptare plerumque non bonus zelus est. 393
§ 638. Dignior eligendus est. 394
Scholium. Eligendus se digniorem reputare non debet. 395
§ 639. Vocatus vocationi obstinatè non debet resistere. 395
Scholium. Observanda circa acceptationem Prælationis. 396
§ 640. Prælatus suæ vocationi in regimine bene respondere debet. 398
Corollarium. Adhortatio ad fugiendam ambitionem. 399
§ 641. Potestas Prælati jurisdictionalis et œconomica. 400
Scholium. Utraque potestas in omnibus Prælatis non requiritur. 400
§ 642. Prælatus, vi suæ potestatis, subditos in conscientiâ obligare potest. 401
Scholium. Quomodo in correctione potestate suâ Superior uti debeat. 401
§ 643. Utramque potestatem in officio contineat paterna lenitas. 402
§ 644. Potestas dominativa paterna præferenda est. 402
§ 645. Usui potestatis jurisdictionis lenitas immiscenda. 403
§ 646. In correctione piâ zelus abesse non debet. 405
§ 647. Media ad conservandam, augendam et reformandam religionem Prælatus adhibere debet. 406
Scholium. Media hæc enumerantur. 406
§ 648. Primum medium est obedientia. 406
§ 649. In quibus Prælato obediendum. 408
Scholium. An in dubio obediendum. 409
§ 650. Quomodo obediendum. 409

Pag.

Scholium. Quomodo obedientia malè præstita Religionem perdere possit. 410
§ 651. Secundum medium est paupertas. 411
§ 652. Vita communis servanda. 412
Scholium. Licentiæ generales non concedendæ. 413
§ 653. Vita communis in victu et vestitu. 414
Scholium. Sententiæ de mensâ privatâ Prælatorum referuntur. 415
§ 654. Supellex et pretiosa ædificia vitanda. 417
Scholium. Monitum cæremonialis Benedictini. 418
§ 655. Tertium medium : custodia regularum. 418
Scholium. Corollaria. 419
§ 656. Quartum medium : Admissio hominum bonæ indolis. 421
Scholium. Corollaria. 422
§ 657. Quintum medium : Bonus magister novitiorum. 423
Schol. I. Corollaria. 424
Schol. II. Non plures admittendi quàm sustentari possunt. 425
§ 658. Sextum medium : Bonum exemplum Prælatorum et seniorum. 426
Scholium. Documenta pro senibus. 427
§ 659. Septimùm medium : Exercitium orationis. 428
Schol. I. Chori exacta observatio. 428
Schol. II. Officiorum divinorum prolixitas religioni non semper prodest. 429
§ 660. Octavum medium : Amor solitudinis. 430
Schol. I. Concilia Religionis evagationes prohibent. 431
Schol. II. Monachis commoratio in prioratibus, villis, aut alibi prohibetur. 432
Schol. III. Familiaritas cum sæcularibus et magnatibus vitanda. 433
§ 661. Nonum medium : Honesta occupatio. 434
Scholium. De opere manuum Religiosorum. 435
§ 662. Occupatio præcipua Religiosorum est studium S. Scripturæ. 437
Scholium. Quomodo utiliter S. Scripturæ studendum sit. 438
§ 663. Studia Religioso non convenientia Religioni nocent. 439
Schol. I. Quomodo appetitus sciendi inordinatus fiat. 440
Schol. II. Incommoda studiorum inutilium in monasteriis. 440
§ 664. Decimum medium : Electio recta officialium. 441
Scholium. Quid in electione officialium observandum. 442

Pag.

§ 665. Undecimum medium : Fuga ambitionis. 444
Scholium. Media pro ambitione exstirpandâ. 446
§ 666. Duodecimum medium : Fraterna charitas, et fuga discordiæ. 446
Scholium. Media ad vitandam discordiam afferuntur. 447
§ 667. Decimum tertium medium : Capitula. 448
Schol. I. Capitula quotuplicia. 448
Schol. II. Incommoda capitulorum generalium. 449
§ 668. Decimum quartum medium : Visitatio. 450
Scholium. Regula pro visitatione bene instituendâ. 450
§ 669. Boni et mali regiminis religiosi variæ classes. 451
Scholium. Objectio solvitur. 452
§ 670. Religio plerumque gubernatur ad normam inclinationis Prælati. 452
§ 671. Prima classis mali regiminis : Debilitas intellectûs et judicii. 453
§ 672. Secunda : Politica humana. 454
§ 673. Tertia : Regimen merè speculativum. 454
§ 674. Quarta : Affectata gravitas. 454
§ 675. Quinta : Indiscreta vigilantia. 455
§ 676. Sexta : Immaturus spiritus reformandi. 455
§ 677. Septima : Avaritia. 455
§ 678. Octava : Prodigalitas. 456
§ 679. Nona : Superbia et ambitio. 456
§ 680. Decima : Iracundia. 456
§ 681. Undecima : Defectus zeli. 456
§ 682. Duodecima : Pusillanimitas. 457
§ 683. Decima tertia : Pertinacia. 457
§ 684. Decima quarta : Commoditas carnis. 457
§ 685. Decima quinta : Criminatio. 458
§ 686. Decima sexta : Importunitas. 458
§ 687. Decima septima : Ignorantia. 458
§ 688. Ultima : Complacentia propria. 458
§ 689. Classes boni regiminis religiosi. 459
§ 690. Prima : Prudentia. 459
§ 691. Secunda : Humilitas. 459
§ 692. Tertia : Senectus experta. 460
§ 693. Quarta : Insignis doctrina. 460
§ 694. Quinta : Sanctitas. 460
§ 695. Sexta : Zelus. 461
§ 696. Septima : Experientia. 461

Pag.

§ 697. Octava : Bonum exemplum. 461
§ 698. Nona : Charitas et affabilitas. 462
§ 699. Decima : Patientia. 462
§ 700. Ultima : Timor et amor. 462
§ 701. Aphorismi ad regimen religiosum. 463
§ 702. Arcana Regiminis religiosi. — Ex P. Godinez. 465

FINIS TOMI SECUNDI ET ULTIMI.

247.3
Sch69

44908

AUTHOR

SCHRAM, O. S. B., DOMINICUS

TITLE

Theologia Mystica Ad Usum
Directorum Animarum.
Tomus II.

DATE ~~DUE~~	BORROWER'S NAME
Dec. 24'68	Fr. Sáenz

44908